THEOLOGIA

WIRCEBURGENSIS

V

Hist. Text Book

IMPRIMERIE
CONTANT-LAGUERRE

BAR-LE-DUC

RR. PATRUM SOCIETATIS JESU

THEOLOGIA

DOGMATICA

POLEMICA, SCHOLASTICA ET MORALIS

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

ACCOMMODATA

EDITIO TERTIA

LOCUPLETATA NOVISSIMIS DECRETIS SS. PP. ET CONCILII VATICANI

OPERA ET STUDIO PATRUM EJUSDEM SOCIETATIS

TOMUS QUINTUS

DE BEATITUDINE, DE ACTIBUS HUMANIS ET DE LEGIBUS

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
W743
Alma, California

PARISIIS

BERCHE ET TRALIN, EDITORES

69, VIA DE RENNES, 69

1880

8854

TRACTATUS

DE BEATITUDINE

ACTIBUS HUMANIS ET LEGIBUS

AUCTORE R. P. IGNATIO NEUBAUER S. J.

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE EJUSDEMQUE

ET SACRARUM SCRIPTURARUM IN ALMA UNIVERSITATE

WIRCEBURGENSI

PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO.

TOMUS QUINTUS.

DE BEATITUDINE.

CAPUT I.

DE NATURA BEATITUDINIS.

ARTICULUS I.

IN QUO CONSISTAT BEATITUDO HOMINIS?

1. *Nota.* Beatitudo sumi potest vel pro statu omnium bonorum aggregatione perfecto; et sub hac ratione vocatur in Scriptura *Regnum cœlorum*, Matth. 25, 1. *Vita æterna*, ibid., v. 46. *Gloria*, Luc. 24, 26 : vel pro summa quadam perfectione hominis, qua conjungitur optimo ac summo Bono; et sub hac ratione Christus Matth. 5, 8, dicit *beatos mundo corde, quoniam* Deum *videbunt.* Sub duplici hac acceptione SS. PP. et etiam Theologi ac Philosophi eamdem definiunt. Dividitur autem 1° in *Essentialem*, quæ secluso quovis alio facit simpliciter beatum; et in *Accidentalem* seu integralem, quæ superaddit accidentia et complementum beatitudinis. 2° Utraque in *Naturalem*, quæ est perfecta possessio summi boni per actus ordinis naturalis; et in *Supernaturalem*, quæ est perfecta possessio summi boni per actus præstantissimos, excedentes debitum, vires et exigentiam naturæ creatæ; de hac agit Theologus, et de illa Ethicus. 3° In *Objectivam*, quæ est ipsum objectum beatificans; et in *Formalem*, quæ est ipsa illius objecti possessio : utraque constituit beatitudinem *adæquatam* et *totalem*, quæ est perfecta satietas. De utraque hic quæritur in quo consistat.

2. *Dico I.* **Beatitudo Objectiva Essentialis est solus Deus.**

Prob. Solus Deus est 1° Finis ultimus hominis : nam Deus dicit Apoc. 1, v. 8 : *Ego sum α et ω, principium et finis;* unde S. Aug., L. 1 *Conf.*, c. 1 : *Fecisti nos ad te Domine, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* 2° Summum bonum : Ps. 72, v. 25 et 26 : *Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?...* Deus *cordis mei, et pars mea* Deus *in æternum.* Ps. 143, v. 15 : *Beatus populus cujus Dominus* Deus *ejus;* unde Christus Marc. 10, 18 : *Nemo bonus, nisi solus* Deus. 3° Perfecte satiativum hominis. Gen. 15, 1 : *Ego ero merces tua magna nimis.* Ps. 16, v. 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Ps. 102, v. 5 : *Qui replet in bonis desiderium tuum;* unde S. Cypr. Serm. de Ascens : *Erit* Deus *omnia in omnibus, et illius præsentia omnes animæ et corporis implebit appetitus.*

Itaque vera hominis beatitudo nequeunt esse bona creata : nam *Divitiæ* in vita sunt irritamenta malorum; curam servandi, augendi sitim, metum amittendi, pedissequos habent; in morte ridentibus sæpe et ingratis hæredibus spolia cedunt. *Honores* pendent ab opinione hominum instabili et fallaci; sæpe in ignominiam desinunt, ac cum vita veluti fumus evanescunt. *Voluptates corporis* sunt communes cum brutis, enervant corpus, rationem opprimunt, et in fœdissima flagitia præcipitant. *Potentia* seu *Dominatus* nunquam est sine comitatu curarum ac timorum; sæpe protegit malos, nocet bonis; sæpe viam sternit Principi ad ruinam. Denique *Virtus* duntaxat via est ad veram felicitatem, quæ præmium est virtutis; proin ne in hac quidem, minus in illis, animus hominis quiescit.

3. *Dico II.* **Beatitudo Formalis consistit initiative in visione Dei, perfective in amore Dei, completive in gaudio, quiete et pace animi.**

Prob. prim. part. Joann. 17, 3 dicitur : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum* Deum *verum.* 1ª Joann. 3, 2 : *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* 1ª Cor. 13, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Matth. 18, 10 : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.*

Consentiunt SS. PP. : Iren., L. 4, c. 37; Cyrill. Alex., L. 3 cont. *Julian.*; Hier. *in Psal.* 89; Aug., L. 1 *Retract.*, c. 14 et plures alii apud Suarez hic. Adde clausulam Concil. Francof. ad Episc. Hisp. : *Prædicamus* Deum *verum et vivum ac vere Filium* Dei, *ut ad ejus beatissimam visionem pervenire mereamur, in qua est vera beatitudo et beata æternitas.*

Conf. Visio est prima et præcipua operatio creaturæ intellectualis circa beatitudinem : immediate attingit ipsum finem ultimum : facit objectum præsens beato, et eidem conjungit : facit beatum intentionaliter similem Deo; per quæ habet potestatem beatus utendi quasi Deo pro suo arbitrio, et illo fruendi, et sic recte dici potest consequi summum bonum.

Prob. secund. part. Beatituno formalis perfecta est consecutio summi Boni et Finis ultimi, ut bonum et finis est : atqui perfectus amor amicitiæ Dei est talis consecutio; ergo.

Conf. Perfecta unio cum Deo habetur per amorem, tum quia juxta Dionys. de *Hier. Cœl.*, c. 7 : *Amor transformat amatum in amantem* : tum quia per amorem objecto adhæremus, juxta illud vulgatum : *Amor intrat, ubi cognitio foris stat* : ergo, cum amor in patria maneat juxta illud 1ª Cor. 13, 8 : *Charitas nunquam excidit;* et cum beatitudo formalis conjunctionem beati cum Deo involvat; beatitudo in amore amicitiæ etiam statuenda est. Huc faciunt omnes Scripturæ textus qui de gaudio Beatorum afferuntur : item verba Patrum et Conciliorum de *Fruitione.*

Prob. tert. part. Matth. 25, 21 dicitur : *Intra in gaudium Domini tui.* Joann. 15, 11 : *Gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.* Id. 16, 22 : *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Ps. 4, v. 19 : *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Sap. 3, 3 : *Illi autem sunt in pace.* Eccli. 44, 14 : *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem.* 2ª Thess. 3, 16 : *Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam.*

Consentiunt SS. PP. præcipue Aug. qui L. *de mor. Eccl.*, c. 3 ait : *Quid est aliud, quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis?* et L. 1 *de*

Doctr. Christ., c. 33 : *Illo frueris, quo efficieris beatus*; et L. 8 *de Civ.*, c. 9 : *Et ipsi, qui res non amandas amant, non se beatos esse putant amando, sed fruendo.* Porro Ecclesia apprecatur defunctis requiem æternam. Denique fruitio ab omnibus dicitur beatitudo formalis.

Conf. Gaudium, delectatio et pax animi est actus formaliter quietans omnia animi desideria, ultimo perficiens beatum, ac demum ultima perfectio, propter quam intenduntur visio et amor.

4. *Observa I.* Objectum præsentis beatitudinis est DEUS secundum essentiam et attributa et ideas, simulque secundum personalitates : nam de essentia beatitudinis est ut sit : 1° *Intuitiva* DEI, ut est in se; 1ª Joann. 3, 2 qualis non esset, si videretur tantum essentia, aut sine ideis vel attributis, aut sine personalitatibus; cum essentia non sit sine illis, quippe simplicissima; et 2° *Perfecte satiativa,* qualis itidem non esset, quia intellectus beati non quietaretur, sed rationabiliter desideraret videre totam substantiam et modum personalem subsistendi, maxime cum fecunditas et communicabilitas sit de essentia naturæ divinæ; ergo DEUS *secundum se totum* est objectum beatudinis.

5. *Observa II.* Quæstio de essentia Beatudinis Formalis inter disceptationes scholasticas olim nonnullis fuit de celeberrimis una; cum vero plus speculationis præ se ferat, quam utilitatis, hanc *Scholasticorum subtilitatem* reliquimus, contenti iis actibus, quibus perfecta et adæquata satietas animæ beatæ perfici videtur. Quæ vero contra beatitudinem objectivam opponi solent, ea fere omnia discutit ac dissolvit *Ethica* hodie cultior et copiosor. Objectiones pariter nullas subjecimus de essentia beatutidinis formalis, eo quod lis hæc, teste SUARESIO, plus habeat nominis, quam rei.

ARTICULUS II.

UNDE ET QUALIS SIT TUM VISIO, TUM AMOR BEATIFICUS?

6. *Nota.* Ad visionem DEI Intuitivam DEUS ipse concurrit in ratione objecti, per se præsens, et beneficio luminis gloriæ, attemperatus nostro intellectui. Auxiliam illud supernaturale, quo intellectus creatus juvatur et elevatur, vocatur *lumen gloriæ;* tum quia idem præstat respectu intellectus beati, quod lumen corporale respectu oculorum; tum quia sic indicatur a Scriptura, Ps. 35, 10 : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen :* tum quia sub hoc nomine venit in Conc. VIENN. Definitur autem : qualitas intellectualis supernaturalis intellectum elevans ad visionem DEI intuitivam. Verum sicut intellectus in ratione potentiæ, ita DEUS in ratione objecti est improportionatus intellectui creato; hinc quæritur an, sicut ex parte intellectus *lumen gloriæ,* ita ex parte objecti species ejus vicaria requiratur? Demum a Scholasticis hic inquiritur utrum Beati ament necessario DEUM quoad exercitium, ut naturaliter saltem ab eo amore cessare non possint? De singulis nonnisi necessaria delibabimus.

7. *Dico I.* **De potentia ordinaria intellectus indiget lumine gloriæ ad visionem Dei.**

Prob. tum ex Ps. 35 cit. quem S. Aug. aliique PP. de auxilio ejusmodi supernaturali exponunt : tum ex Conc. Vienn. ubi Clemens V contra Beguardos et Beguinas ita definit : *Nos Sacro approbante Concilio sectam ipsam cum præmissis erroribus damnamus et reprobamus omnino;* inter eorum vero errores a Pontifice recensetur quintus : quod *quælibet natura intellectualis in se ipsa naturaliter beata est : quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad* Deum *videndum, et beate fruendum;* hæc enim referuntur in *Clementinis,* c. *ad nostrum,* tit. *de hæret.*

Dixi : *de potentia ordinaria;* non enim vacat disceptare an lumen gloriæ possit absolute suppleri per specialem concursum omnipotentiæ Div. extrinsece elevantis, in quo Nostri contra Thomistas nullam impossibilitatem deprehendunt.

8. *Dico II.* **In visione Dei intuitiva datur species expressa, non item impressa, objecti vicaria.**

Prob. prim. part. Intellectus videndo Deum, vere cognoscit ac intelligit, et cognoscendo similis fit objecto; ergo non minus visio Dei intuitiva debet esse forma ab intellectu producta Deum repræsentans, quam quæcumque alia cognitio cujusvis objecti : ita communius TT. et SS. PP. Aug., L. 9 *de Trin.,* c. 7 et 11; Anselm. in *Monolog.,* c. 31; D. Thom., p. 1, q. 27, a. 1 et q. 1 *de verit.,* a. 2, etc.

Prob. secund. part. Deus per suam immensitatem intellectui est maxime præsens, et intimior nostro intimo, ut ait S. Aug. : est ex parte sua tanquam summa veritas per sese maxime intelligibilis : ex parte potentiæ, per *lumen gloriæ* tollit omnem incapacitatem : neque impeditus est tanquam omnino independens; nec impedit visionem tanquam omnia ad illam necessaria liberalissime donans; adeo ut intellectui beato non solum possibilis, sed et necessaria sit Dei visio; ergo de facto non datur *species impressa,* sine cujus interventu sicut Angelus Angelum et seipsum intuitive cognoscit, ita intellectus hominis elevatus Deum.

9. *Dico III.* **Beati necessario amant Deum, a quo amore cessare naturaliter non possunt.**

Prob. Posita visione beatifica, adsunt omnia principia quæ sufficiunt ad necessitatem amoris inferendam : nam 1° *objectum* est bonum infinitum; ergo si bonum, quo perfectius est, eo fortius movet ad sui amorem, Deus tanquam bonum infinite perfectum summe et necessario movebit. 2° *Cognitio* sive *applicatio objecti* est maxima quæ potest requiri, tum quia per visionem bonitas objecti, ut est in se, fit præsens; tum quia tanta necessitate fit præsens, ut voluntas intellectum non possit divertere ab eo judicio; tum quia vi visionis beatificæ exceditur omne judicium et opinio falsa ac contraria. 3° *Potentia* sive *voluntas,* quamvis sit libera respectu mediorum, tamen est determinata ad finem ultimum amandum; ergo cum Deus sit finis ultimus, et ut talis clare cognoscatur, ferri in eum voluntatem necesse est, cum ista inclinatio ad finem ultimum, etiam ut supernaturalem, dici possit conaturalis, quatenus, supposita visione et charitate, voluntas est proportionata ad illum. 4° *Actus ipse,* vel potius suspensio actus, non potest voluntati proponi sub aliqua ratione commodi et boni in positis circumstantiis; ergo voluntas non potest eamdem eligere, et sic omittere amorem.

Conf. 1ª Cor. 13, 8 dicitur : *Charitas nunquam excidit* : et Apoc. 4, 8 : Beati *requiem non habent, sed die ac nocte clamant, Sanctus, Sanctus;* ubi primum intelligi potest de exercitio, cum ea, quæ dicuntur *excidere*, intelligi debeant de cessatione usus et exercitii : secundum autem explicatur a S. Aug., L. ult. *de Civ. Dei*, c. ult. : Deus *sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur;* ergo.

10. *Observa. Intellectus* concurrit *active* ad eliciendam visionem Dei : hæc enim est vera intellectio, ac proin vitalis operatio, qua ille fit formaliter intelligens. Ad hæc liberum hominis arbitrium ad actus supernaturales *active* se habet, uti constat ex Conc. Trid., Sess. 6, c. 5 et can. 4; ergo et intellectus ad visionem supernaturalem. An intellectus respectu visionis debeat dici causa *instrumentalis* vel *principalis*, quæstio de nomine est : melius autem tum intellectus, tum lumen gloriæ respectu visionis dici possunt causa principalis partialis.

CAPUT II.

DE AFFECTIONIBUS BEATITUDINIS.

ARTICULUS I.

DE AFFECTIONIBUS BEATITUDINIS QUOAD STATUM.

§. Unicus.

An Statui Beatifico propria sit ac essentialis Perpetuitas?

11. *Nota.* Origenes, sicut de pœnarum æternitate, ita de beatitudinis perpetuitate, erroris accusatur? Est autem hæc articulus fidei expressus in Symbolo per *vitam æternam* : et quod æternitas hic stricte sumatur, constat tum ex intelligentia Ecclesiæ, et sensu omnium PP.; tum ex aliis Scripturæ locis, e. g. Apoc. 3, 12 : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius.* 1ª Thess. 4, 16 : *Sic semper cum Domino erimus.* 1ª Petr. 1, 4 : *Hæreditas incorruptibilis;* et c. 5, 4 : *Immarcessibilis gloriæ corona.* Porro ut hæc thesis etiam ratione stabiliatur, quæritur ulterius utrum de ratione et essentia veræ beatitudinis sit æternitas, ita, ut vera beatitudo non sit, si non sit æterna?

12. *Dico.* **Vera Beatitudo debet esse æterna.**

Prob. Beatitudo, qua talis, debet esse sufficiens ad satiandum appetitum hominis et excludendam anxietatem seu timorem, qui tristitiam ingerere possit : atqui nisi beatitudo foret *perpetua*, non satiaret appetitum humanum, cujus perpetua capacitas et conatus, inseparabiliter se conjungendi cum

ultimo fine, revera satiari nequit per operationem temporalem et desituram : neque excluderet tristitiam de amittenda olim sua beatitudine, cum beatus proprie tristari posset de beatitudinis amissione, sicut damnatus posset se solari, si spem haberet, e pœnis aliquando evadendi; ergo.

Conf. ex S. Aug., qui L. 13 *de Trin.*, c. 8 sic ratiocinatur : Si quem beata vita deserit, *aut nolentem deserit procul dubio, aut volentem, aut neutrum. Si nolentem quomodo beata vita est, quæ ita est in voluntate, ut non sit in potestate?... Si autem volentem deserit, etiam sic quomodo beata erat, quam perire voluit, qui habebat? restat, ut dicant neutrum esse in animo beati; id est, eum deseri a beata vita, cum per mortem deserit tota vita, nec nolle, nec velle, ad utrumque enim parato et æquo corde consistere. Sed nec ista beata est vita, quia talis est, ut quem beatum facit, amore ejus indigna sit.* Unde demum concludit : *Nullo modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna.*

13. *Obj. I.* Nullum ens creatum est ex essentia sua perpetuum; ergo nec beatitudo.

R. — *D. A.* Nullum ens creatum spectatum entitative est essentialiter, hoc est, naturaliter exigitive perpetuum *T. A.* Spectatum secundum certam rationem, quæ involvit æternitatem *N. A.* Beatitudo formalis non quidem secundum entitatem suorum actuum, sed tamen secundum propriam rationem beatitudinis, exigit semper esse; perinde autem est, an *perpetuitas* dicatur ingredi conceptum essentialem beatitudinis, an vero se tantum habeat instar proprietatis metaphysicæ. Beatitudo, quatenus est possessio summi boni perfecte satiantis appetitum rationalem animæ vel Angeli immortalis, non quidem requirit ut operatio, in qua consistit, ex natura et ab intrinseco semper existat : sed sufficit quod semper sit extitura, sive hoc habeatur ab intrinseco, sive ab extrinseco, nempe Dei decreto, volentis eam semper conservare; si tamen non esset semper extitura, jam non esset perfecte satiativa, nec vera beatitudo.

Inst. 1. Visio et Amor beatificus hodie sunt iidem actus, sive postea amittendi, sive in æternum conservandi : atqui in æternum conservandi hodie beatificant; ergo etiam postea amittendi.

R. — *D. M.* Sunt iidem actus physice et entitative, sive in ratione actuum attingentium *C. M.* Moraliter et in ratione actuum beatificantium *N. M.* Neque hic inquirimus an beatitudo habeat suam *perpetuitatem* a visione Dei : quamvis enim concedatur, visionem ex natura sua non esse indestructibilem, salva tamen manet thesis nostra, quam ex natura beatitudinis derivamus. Esse beatum ex suo conceptu formali dicit *perpetuitatem*, et ideo nomine beati, et beatitudinis in actu secundo, significantur visio et amor inamissibiles; proin qui solum aliquo tempore Deum videret, vere beatus non foret, etiamsi errore deceptus putaret beatitudinem fore æternam : *Non enim minus nescientes error, quam scientes timor beatos esse non sinit.* S. Aug., L. 11 *de Civ. Dei*, c. 11.

Inst. 2. Deus potest visionem tollere, et animam annihilare; ergo nec ipsa beatitudo exigit semper esse.

R. — *D. A.* Potest Deus absolute et antecedenter annihilare animam, ut sic annihilata nunquam fuisset beata *C. A.* Consequenter et ex supposito quod æternam beatitudinem decreverit, quale decretum importat denomi-

natio vere ac perfecte beati *N. A.* Vel enim talis scivisset suam beatitudinem non fore *æternam*, vel non, vel erronee id existimasset? si *primum*, anxietas mentis : si *secundum*, ignorantia : si *tertium*, error intellectus impedivisset beatitudinem ; neque reipsa unquam possedisset quod animum potest vere satiare : cum ad beatitudinem non sufficiat beatum non esse anxium ex errore, ignorantia aut inadvertantia, sed requiratur ut anxietas excludatur ex perfectione visionis.

14. *Obj. II.* Quod actu non est, non satiat aut beatificat : sed perpetuitas actu non est ; ergo nec satiat aut beatificat.

R. — *D. M.* Quod actu non est, nec objective et intentionaliter, nec formaliter et realiter, non satiat *C. M.* Quod quidem formaliter et realiter tanquam successivum actu non est, sed est tamen actu objective et intentionaliter, non satiat *N. M.* Quatenus nempe beatus *certus* est de beatitudine semper futura, animus acquiescere potest. Pro quolibet instanti datur perpetuitas activa et causalis, id est, decretum Dei de visione et amore beatifico semper conservandis, quod in quolibet instanti physice existit : et hæc *perpetuitas* est de ratione beatitudinis formalis *in actu secundo* ; hæc quippe primo et perfectissime radicat *satietatem*, excluditque anxietatem de amittenda beatitudine ; atque sic beatitudo, quæ dicitur vita æterna, est *tota* simul in quolibet instanti, adeoque Dei æternitatem magis æmulatur.

Inst. 1. Potest quis satiari cibo, esse contentus dignitate et potestate regia, quamvis sciat non semper adfuturum cibum, vel dignitatem duraturam ; ergo a pari.

R. — *Tr. A.* Quia hæc satietas perfecta dici nequit. *N. C.* Nam prædicta bona desiderantur tanquam particularia et ad aliquod tantum tempus ; e contra beatitudo desideratur tanquam finis ultimus, et pro statu ac capacitate animæ immortalis, semperque satiari appetentis.

Inst. 2. Quamvis beatus sciat se amissurum esse beatitudinem, tamen est quietus ; tum quia maximum gaudium absorbet omnem tristitiam ; tum quia beatus magis amat Deum quam se ; ergo.

R. — *N. A.* Nam 1° maximum gaudium absorbet quidem tristitiam de amissione boni inferioris, non vero summi boni ; proin appetitus non esset satiatus ex perfectione possessionis. 2° Quamvis beatus magis amet Deum quam se, et amorem sui referat etiam ad Deum, tamen de essentia beatitudinis etiam est, ut sit bonum appetenti ; unde appetitus etiam concupiscentiæ satiari debet : hic autem semper manet naturalis appetitus felicitatis æternæ.

Inst. 3. Licet Christus pateretur tristitiam et dolores in via, tamen mansit beatus ; ergo etiam qui tristaretur de admittenda beatitudine.

R. — *N. C.* Videns Deum non est anxius, si aliquod bonum sibi connaturaliter debitum denegetur ad tempus ; præsertim si hoc ad Dei amati majorem gloriam, et majorem sui beatitudinem accidentalem fiat, de reliquo autem retineat totam essentiam beatitudinis, quemadmodum fuit in Christo ; secus vero habet, si ipsa beatitudo denegatur in æternum, ut in casu posito fieret.

Inst. 4. Ad beatitudinem proprie talem non requiritur, ut beatus possideat Deum omni modo ; ergo nec ut omni tempore.

R. — *N. C.* Quia modus possidendi comprehensivus est impossibilis creaturæ : alius *modus perfectior* tantum versatur circa extrinseca Dei, non ejus

essentiam et personalitates, ac proin abesse potest ab essentia beatitudinis formalis; *tempus* autem beatitudinis versatur circa ipsam essentiam beatitudinis, quæ aliquando non haberetur; atque hinc appetitum non satiaret, neque tristitiam excluderet.

Quæres. I. *An ad Beatitudinem requiratur etiam Securitas de perpetuitate.*

15. R. — *Aff. Prob.* Beatitudo vera et perfecta est possessio summi boni, naturalis desiderii perfecte satiativa, hoc est; non ex errore, ignorantia et inadvertentia, sed ex perfectione ipsius possessionis : atqui talis non est, quæ non includit certitudinem de perpetuitate, quia naturali desiderio volumus semper habere bonum nos satians; hoc autem non satiat, nisi sciamus, illud nos semper habituros, et ita quiescamus; ergo.

Conf. 1° Ex communi sensu SS. PP. et TT. Aug., L. 10 *de Civ. Dei*, c. 30 ait : *Beatorum vita beatissima esse non potest, nisi de sua fuerit æternitate certissima..... non enim beata erit, nisi secura.* D. Thom. 1, 2, q. 5, a. 4 : *Oportet,* inquit, *quod desiderium hominis quietet, et omne malum excludat... requiritur igitur ad veram beatitudinem, quod homo certam habeat opinionem, bonum, quod habet, nunquam se amissurum.*

Conf. 2° Perpetuitas objectiva est de ratione beatitudinis; ergo et formalis sive ejus cognitio, quia sine hac æque parum ac sine illa perfecte satiaretur appetitus rationalis.

Si ais 1°. Cognitio *certa* de perpetuitate beatitudinis supponit hanc jam constitutam; ergo non est de essentia illius.

R. — *D. A.* Constitutam adæquate *N. A.* Inadæquate *C. A.* Inadæquate possidetur Deus per actum intellectus directe tendentem in Deum; ut adæquate possideatur, debet vel adjungi actus reflexus certificans de duratione hujus possessionis, vel saltem prior actus debet etiam considerari secundum aliam tendentiam in illam durationem.

Si ais 2°. Objectum hujus cognitionis, nempe visionis perpetuitas, est quid creatum; ergo nequit ullo modo constituere beatitudinem.

R. — *N. A. et C.* Nam objectum hujus cognitionis nec est visio, nec ejus duratio seorsim sumpta, sed Deus ut semper possidendus : quia per cognitionem hanc attingitur Deus ut *finis qui*, et possessio æterna ut *finis quo*.

Si ais 3°. Si visio beatifica repræsentat suam perpetuitatem, est essentialiter indestructibilis : sed hoc repugnat dominio in creaturas; ergo.

R. — *D. M.* Si repræsentet perpetuitatem sui ipsius in individuo, vel se ipsam in individuo indestructibilem *C. M.* Si tantum quoad speciem indestructibilem aliquam disjunctive visionem *N. M.* Neque hoc repugnat dominio Dei, ex cujus decreto id oritur.

Si ais 4°. De facto beatus supernaturaliter, si haberet certitudinem de æterna felicitate naturali, adhuc satiaretur ejus desiderium naturale beatitudinis; ergo non requiritur certitudo de perpetuitate beatitudinis supernaturalis.

R. In homine elevato et elevationem suam cognoscente est appetitus non tantum objective naturalis, sed etiam objective supernaturalis, qui subjective naturalis dici potest hoc sensu, quod talis appetitus necessario oriatur in homine elevato, suæque elevationis conscio; hic autem appetitus satiari ne-

quit, neque excludi tristitia inde secutura, nisi habeatur perpetuitas etiam hujus beatitudinis supernaturalis et certitudo de eadem. Unde etiam disparitas habetur respectu *Unionis Hypostaticæ*, et perfectioris visionis, quia ad has non datur ille appetitus subjective naturalis.

Quæres. II. *Unde statui Beatorum obveniat Impeccabilitas?*

16. R. *I.* **Beati sunt omnino impeccabiles**; est unanimis TT. omnium contra Origenem.

Prob. ex Scriptura et Symb. fidei, ubi Beatitudo dicitur *vita æterna et hæreditas incorruptibilis, incontaminata, immarcescibilis* : sed talis non foret, si non excluderet, uti omne malum *pœnæ* omnemque miseriam, ita et malum *culpæ*, tanquam miseriam et malum summum, novumque reatum pœnæ, qui dedecet statum beatificum; ergo. Hinc Apoc. 21, 27 dicitur : *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium.*

Si ais : Job. 4, 18 dicitur : *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem.* Dan. 10, 13 referuntur discordiæ et pugnæ inter Angelos variis regnis præsidentes.

R. 1° Præterquam quod hæc verba Job. 4 sint Eliphazi, ad quem Deus Job. 42, 7 dicit, quod non sit *locutus rectum ut* Job; intelligenda sunt de Angelis, dum erant in via, non autem dum sunt in termino. 2° Præterquam quod per Angelum resistentem Gabrieli a quibusdam intelligatur Cyrus, ab aliis Angeli mali; etiam boni possunt dici pugnare inter se, dum diversa pro regnis sibi commissis a Deo petunt, vel Deum consulunt, quod sine peccato fieri potest.

17. R. *II.* **Impeccabilitas hæc oritur a visione et amore beatifico.**

Prob. prim. part. Visio beatifica tollit indifferentiam objectivam et potentiam proximam ad peccandum, quia clarissime simul et efficacissime proponit summum bonum, eminenter omne bonum continens ita, ut evidenter etiam appareat, quod omne ens creatum habeat bonitatem tantum participatam, et respectu voluntatis bonitatem solum eatenus, quatenus ordinatur ad Deum : ac proinde quod hoc ordine sublato nullam habeat bonitatem vel appetibilitatem respectu voluntatis; ergo stante tali cogitatione non potest apparere eligibile vel amabile aliquod bonum creatum contra Deum, aut præter ordinem ad Deum.

Prob. secund. part. Amor constans ac perpetuus Dei repugnat actuali peccato, quia amor est conversio ad Deum, peccatum autem aversio a Deo; ergo.

Si ais 1°. Beati retinent libertatem ad actus præceptos; ergo non sunt omnino impeccabiles.

R. — *D. A.* Ad actus præceptos quoad circumstantias et modum *C. A.* Quoad substantiam *N. A.* Beati exercere possunt varios actus, et ex diversis motivis; de cætero autem non sunt magis liberi ad actus præceptos, quam ad amorem beatificum, quia non sunt in statu merendi; ita Suarez.

Si ais 2°. Quamvis Christus per scientiam beatam cognoverit actus suos futuros; quia tamen libere illos elicuit, non poterant esse directi a visione beatifica; ergo tunc saltem perstitit indifferentia.

R. Sicut Beatus videndo Deum necessario judicat, eum esse summum bo-

num : ita etiam necessario judicat, nihil creatum esse bonum, nisi per ordinem ad DEUM, et secundum hanc rationem visio necessario dirigit Beatum, qui alias haberet assensum et dissensum simul circa idem prædicatum de eodem subjecto. Hoc autem non habetur a visione CHRISTI quoad actus ejus liberos : cum enim possit esse libera electio inter duos actus bonos, vel actum et omissionem non peccaminosam, etiam stante visione DEI; ex hac saltem non oriuntur judicia opposita, quorum alterum diceret, hunc actum esse futurum, alterum, hunc actum posse eligi vel omitti; quanquam nec judicia hæc opposita dici possint, cum præscientia et rei futuritio non tollant libertatem. Plura in Tr. de *Incarnatione*.

ARTICULUS II.

DE AFFECTIONIBUS BEATITUDINIS QUOAD SUBJECTUM.

§ I.

An Homines Beati habituri sint Corpora.

18. *Nota. Resurrectio* est humani corporis ad vitam, quam morte amiserat, revocatio; de hac est articulus fidei expressus in Symbolo Apostol. : *Credo carnis resurrectionem;* in Symb. Constant. : *Expecto resurrectionem mortuorum;* in Symb. Athan. : *Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.* Equidem homo non possidet DEUM per corpus, nec corpus aliquid confert, ut homo DEUM per amorem, visionem et gaudium melius possideat : atque ideo corpus quamvis ad essentiam hominis, non item ad essentiam beatitudinis spectat; tamen quia, ut homo sit, corpus requiritur, spectans ad statum connaturalem animæ, hinc etiam corpus requiritur, ut habeatur status omnium bonorum aggregatione perfectus. *Errores* hac in re sunt triplicis generis : 1^us^ VV. PHILOSOPHORUM et SADDUCÆORUM, item MANICHÆORUM, ALBIGENSIUM et SOCINIANORUM, qui negabant resurrectionem : contra hos omni fere ætate egerunt SS. PP. JUSTINUS, ATHANAS., IRENÆUS, TERTULL., AUGUST., etc. 2^us^ Eorum, qui negabant, idem numero corpus resurrecturum, quos inter sunt ORIGENES, ARMENI, novi MANICHÆI, CALVINUS, quamvis REFORMATI hunc errorem non defendant. 3^us^ Illorum, qui nec fateri audent, nec negare resurrectionem, ut COCCIUS, ANABAPTISTÆ, etc.

19. *Dico.* **Futura est Resurrectio omnium mortuorum in eodem corpore.**

Prob. prim. part. Matth. 22, 29, etc. CHRISTUS ad SADDUCÆOS, *Erratis,* inquit, *nescientes Scripturas, neque virtutem* DEI : *in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a* Deo *dicente vobis : Ego sum* DEUS ABRAHAM *et* DEUS ISAAC *et* DEUS JACOB; *non est* DEUS *mortuorum, sed viventium.* Ubi duo adverte : 1° Quod CHRISTUS contra SADDUCÆOS agat tantum ex libris MOYSIS, quia ut ait HIER., alias Scripturas non admittebant. 2° Quod hæc ratiocinatio CHRISTI immediate probet immortalitatem animæ, quam alias SADDUCÆI negabant; sed tamen mediate etiam ostendat resurrectionem : nam anima ABRAHÆ non est ABRAHAM : mortuus est ABRAHAM, et non vivit; cum ergo DEUS sit tamen DEUS ABRAHÆ

viventis, necesse est ABRAHAM, iterum resurgere, et vivere in æternum. Luc. 20, 39 additur huic textui : *omnes enim vivunt ei.*

Prob. secund. part. Dan. 12, 2 : *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium;* quod autem per τὸ *multi*, prout S. AUG., L. 20 *de Civ.*, c. 23 notat, hic intelligatur τὸ *omnes*, constat ex aliis textibus : nam Joann. 5, 28 et 29, dicit CHRISTUS : *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem* FILII DEI, *et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* 1ª Cor. 15, 51 : *Mysterium vobis dico : omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

Prob. tert. part. Job. 19, 25 et 26 dicitur : *Scio, quod Redemptor meus vivit : et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo* DEUM *meum.* 1ª Cor. 15, 53 : *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem;* unde definitum in CONC. LAT. IV, *Cap.* 1 : *Omnes mortales cum suis propriis corporibus resurgent, quæ nunc gestant.*

Conf. Ratione Theol. e SS. PP. deprompta : Si resurrectio mortuorum non sit futura; ergo ideo, quia DEUS vel non potest, vel non vult suscitare mortuos : neutrum dici potest; non *primum* : qui enim omnia fecit ex nihilo, poterit carnem corruptam iterum restituere : non *secundum* quia imprimis resurrectio non est contra ullius *creaturæ* exigentiam, imo juxta connaturalem animæ inclinationem : deinde non est indigna DEO, sed ejus bonitati, sapientiæ et justitiæ congruens, utpote cui convenit, partem hominis, quæ merito vel demerito est cooperata, etiam præmiis aut pœnis sociari, quod sine resurrectione sæpe non fieret : denique non videtur neganda carni, quæ Sacramentis delibata et Corpore CHRISTI pasta; aliisque gratiis pluribus affecta jam sæpe fuit.

20. *Obj. contr. prim. part.* 1° *Caro et sanguis regnum* DEI *possidere non possunt,* 1ª Cor. 15, 50; ergo corpora non resurgent. 2° Psal. 77, 39. DEUS dicitur, Israelitas non perdidisse, *quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens.* 3° Psal. 113, 17 : *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum,* hoc est, in sepulchrum. 4° Eccles. 3, 19 ait SALOMON : *Unus interitus est hominum et jumentorum et æqua utriusque conditio;* ergo.

R. — *ad* 1. *D. A.* Caro et sanguis, hoc est, opera carnalia *C. A.* Hoc est, corpus hominis *Subd.* Non potest possidere regnum DEI, percipiendo beatitudinem essentialem *C. A.* Resurgendo ad gloriam accidentalem *N. A.* Alioqui et Caro CHRISTI excludenda erit a resurrectione et gloria, ait TERTULL.

R. — *ad* 2. *D. A.* Et per hunc spiritum intelligitur anima vel corpus hominis *N. A.* Spiritus vitalis, vel vita corporalis, quæ non continuo occidit, et rursus statim oritur, ut sol et sidera *C. A.* Sensus igitur est, DEUM populo suo pepercisse ob infirmitatem naturæ in malum pronæ, et ob vitæ temporalis brevitatem, quæ floris ad instar brevi compendio ad mortem tendit.

R. — *ad* 3. *D.* Non laudabunt DEUM ritu publico et palam *C.* Nullo modo *N.* Primum quia post mortem non contingit, rogat PSALTES ut DEUS justis suis in hoc seculo benedicat, et vitam prolonget, quo id coram hominibus præstare queant.

R. — *ad 4. D.* Unus est interitus quoad necessitatem moriendi *C.* Quoad omnia, animæ substantiam et affectiones. *N.* Adde, SALOMONEM non in propria persona, sed impiorum ore; et secundum carnalium judicium loqui, quo sensu etiam PAULUS 1ª Cor. 15, 32 ait : *Manducemus et bibamus : cras enim moriemur.*

Inst. 1. Scriptura intelligi potest de *resurrectione spirituali,* de qua 1º CHRISTUS, Joan. 5 locutus est, teste S. AUG., *Tract.* 22 *in Joann.* 2º CHRISTUS Matth. 22, 30 dicit : *In ressurrectione erunt sicut Angeli* DEI, qui corpora non habent. 3º PAULUS 1ª Cor. 15, 44 ait : *Surget corpus spirituale;* ergo.

R. — *ad 1. D.* CHRISTUS locutus est tantum de resurrectione spirituali *N.* Etiam de corporali *C.* Dum CHRISTUS Joann. 5, 25 dicit : *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem* FILII DEI, *et qui audierint, vivent :* de *spirituali* recte intelligitur a S. AUG.; sed v. 28 aperte agit de *corporali* resurrectione ut AUGUSTINUS, l. c. expresse ait. *Ad 2. D.* Erunt sicut Angeli quoad naturam *N.* Quoad modum agendi, præsertim ibidem expressum *C. Ad 3.* D. Surget corpus spirituale, hoc est, immateriale *N.* Hoc est, gloriosum et immortalitate donatum *C.* Universim SOCINIANI hæc objicientes idem responsum merentur, quod CHRISTUS dedit SADDUCÆIS : *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem* DEI.

Inst. 2. Nulla est ratio, cur resurgat corpus : nam 1º anima non indiget corpore ad beatitudinem, imo perfectior videtur status animæ separatæ, cum in hoc statu sic magis conformis Deo et Angelis, magis pura et libera in suis actionibus. 2º Remuneratio vel pœna debetur animæ operanti, non corpori utpote instrumento, sicut et nunc anima sola est in purgatorio; ergo.

R. — *ad 1. D.* Anima non indiget corpore ad beatitudinem essentialem *C.* Integraliter perfectam et ad statum suum connaturalem *N.* Status animæ separatæ est perfectior cæteris paribus, et magis DEO conformis secundum quid, non simpliciter : nam simpliciter loquendo perfectior et magis connaturalis est status animæ beatæ cum corpore conjunctæ, et etiam magis congruit cum DEO, quia tunc habet, quidquid suæ naturæ conditio requirit. Denique magis est libera per se, non per accidens, cum DEUS etiam per beatitudinem tribuat, ne corpus ulla ratione animam impediat.

R. — *ad 2. D.* Debetur animæ, quæ tamen ex natura sua exigit corpus *C.* Quæ id naturaliter non requirit *N.* Corpus non est instrumentum purum, siquidem anima non sit spiritus assistens, sed vera coporis forma, ut CONC. LAT. definit; hinc licet resurrectio corporis referatur ad beatitudinem accidentalem, speciali tamen articulo nobis credenda proponitur, ac proin non est levis momenti. Quod purgatorium spectat, illa pœna adhuc pertinet ad viam; quando autem perfecta erit remuneratio vel pœna, anima iterum unietur corpori.

21. *Obj. contr. secund. part.* Saltem non omnes resurgent : nam 1º in *Symbolo* dicitur CHRISTUS judicaturus *vivos et mortuos.* 2º Ubi 1ª Cor. 15, 51. Vulgata legit : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur;* græcum habet : *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur.* 3º *Mortui, qui in* CHRISTO *sunt, resurgent primi : deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam* CHRISTO. 1º Thess. 4, 15 et 16; ergo.

R. — *ad 1. D.* Intelligendo per *vivos,* vel bonos et justos, vel qui proxime ante judicium in vivis erant, vel vivos non comparative ad tempus judicii, sed ad tempus professionis fidei *C.* Intelligendo nunquam mortuos et carne exutos *N.* Prima explicatio est S. Aug. et S. Hier. : sed quia non videtur hic esse sermo de vita gratiæ et morte opposita, admittit S. Aug. etiam secundam, quam et D. Thomas sustinet; tertia est Suaresii.

R. — *ad 2.* S. Hier. testatur, in multis Exemplaribus Græcis legi : *Omnes quidem dormiemus* : et juxta Vulgatam hunc locum legerunt Ambr., Aug., Fulg., et alii; unde nova illa lectio corrigenda est.

R. — *ad 3. D.* Simul rapiemur obviam, ita tamen, ut vel in ipso raptu morituri simus, et in loco judicii resuscitandi, vel ante mortui rapiamur resuscitati, et vivi occurramus *C.* Nunquam mortui *N.* Posterior D. Thomæ videtur præferenda priori sententiæ Scoti : tum quia Apostolus loquitur de raptu corporum gloriose immutatorum, et addit : *Rapiemur cum illis,... et sic semper cum Domino erimus* : tum quia adsunt variæ causæ mortis in illa extrema calamitate, quæ judicium præcedet; ratio autem, cur Apostolus aliter loquatur de ultimis hominibus, est, quia inter eorum mortem et resurrectionem brevissimum tempus intercedet, ac prope integra manebunt corpora, unde adhuc *velut vivi* dicuntur venturi ad judicium.

Inst. 1° *Non resurgent impii in judicio,* Ps. 1, 5. 2° Christus, ut ait Apost. l. c. est *causa et exemplar* nostræ resurrectionis, cui impii et infideles non conformantur. 3° Nulla apparet ratio, cur infideles resurgant; ergo.

R. — *ad 1. D.* non resurgent impii ad vitam et immortalitatem corporis *N.* Ad beatitudinem, ad potestatem cum justis, aut vires eis nocendi *C.* Sensum hunc Psalmi esse, probat contextus, quia additur : *neque peccatores in concilio justorum;* et præcedit : *non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.*

R. — *ad 2. D.* Christus est exemplar nostræ resurrectionis spiritualis *C.* Corporalis *Subd.* Resurrectionis peccatorum et ad damnationem *N.* Justorum et ad beatitudinem *C.* De hac præcipue loqui Apostolum, patet ex eo, quod hic et alibi loquatur de resurrectione tanquam objecto spei, quale peccatorum resurrectio non est : quæ quidem physice est vita, sed mortem secundam adjunctam habet.

R. — *ad 3. N.* præter jam dicta potest esse ratio : quia *per peccatum introivit mors,* Christus autem delevit peccatum et vicit mortem; unde omnes resuscitare debet a morte naturali, ut ostendat virtutem et victoriam suam.

22. *Obj. cont. tert. part.* Apost. 1ª Cor. 15 postquam quæsivisset, v. 35 : *Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient?* v. 37 *ait : Quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum;* ergo non in *eodem* corpore resurgent.

R. — *D. C.* Non in *eodem* corpore quoad substantiam *N. C.* Quoad qualitates *C. C.* Apost. hanc similitudinem non intelligit quoad omnia, sed tantum quoad hoc, quod corpus resurgens sit diversum quoad qualitates, ut ipse exprimit dicens; v. 42, etc. : *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione : seminatur in ignobilitate, surget in gloria,* etc.

Inst. 1. Non potest eadem esse caro, quæ surrectura est. 1° Tum quia in Beatis erit dotibus ornata, tum quia beati infantes resurgent in statura perfecta, tum quia in *anthropophago* humanis duntaxat carnibus nutrito, vel in

hominibus ab eo devoratis caro deesse debet; 2° Ad hæc opus non est, restitui eamdem carnem, cum omnis materia sit ejusdem speciei.

R. — *ad 1. D.* Non potest eadem esse caro substantia *N.* qualitate vel quantitate. *C. Ad 2. D.* Opus non est, ad hominem præcise constituendum C. Ad veritatem resurrectionis et ostensionem virtutis CHRISTI habendam *N.* Si enim non resurgit idem corpus, non est resurrectio, sed novi corporis assumptio. CHRISTUS etiam venit, instaurare lapsum, et restituere in integrum : cum ergo quoad naturam labatur corpus, anima maneat; ut redintegretur status hominis, corpus restituendum est.

Inst. 2. Explicari non potest, quo modo et secundum quæ idem numero corpus resurgat; ergo.

R. — *N. A.* Nam. 1° Erit idem corpus quoad substantiam. 2° Verùm corpus humanum omnibus organis et membris ad integritatem hominis spectantibus instructum, quia sicut DEUS condidit hominem sine defectu, ita reparabit sine defectu; unde qui, dum viverent, vel carebant membris, vel ultra consuetum abundabant, sine defectu et excessu resurgent. 3° Præter accidentia cuivis propria, ut sunt, *complexio, figura, vultus,* etc., manebit etiam *diversitas sexus* : hæc enim est naturalis; et quod naturæ est quam ipse fecit, non mutabit DEUS, sed reparabit. 4° Quoad ætatem et corporis magnitudinem omnes resurgent in statura et vigore ætatis juvenilis, in qua conditus est ADAM, et CHRISTUS mortuus : neque erit pigmæus aut gigas.

Inst. 3. Nam : 1° Ephes. 4, 13 dicitur : *Omnes occurremus in virum perfectum,* 2° ad hæc *sexuum diversitas* oculis objecta non videtur decere statum, in quo est summa puritas : 3° denique nullus est futurus usus hujus diversitatis; ergo.

R. — *ad 1.* In Scriptura sæpe etiam vir pro fœmina (quia pro homine) ponitur : dein verba hæc non sunt intelligenda de corporum resurrectione, sed de ædificatione Corporis CHRISTI, quæ fit per fidem ac charitatem, et constituitur ex CHRISTO tanquam capite, et ECCLESIA ut membris; hanc utramque responsionem habet S. AUG., L. 22 *de Civ.,* c. 18. *Ad 2.* Si in statu innocentiæ nuditatem non erubescebant primi parentes, quia ab eo aberat libido incentiva mali : hæc multo magis aberit a statu gloriæ. *Ad 3.* Diversitas sexus saltem pertinet ad integritatem, et commendat sapientiam divinam; unde et potentiæ nutritivæ quoad organa aderunt, quamvis non sint futuræ earum operationes ad reparationem vel ad augmentum ulterius.

§ II.

An omnes fruantur Beatitudine æquali.

23. *Nota.* JOVINIANI error fuit, quod conservantes baptismi gratiam æquale in cœlo præmium habituri sint, ortus ex eo quod doceret virtutes et vitia omnia inter se æqualia esse. Hunc errorem simul et fontem erroris condemnat CONCILIUM tum FLOR. in Decr. *Unionis* : tum TRID., Sess. 6, can. 33. LUTHERUS eumdem resuscitavit errorem, sed ex diverso principio itidem falso, quod nempe omnes homines justi fiant non per propriam, sed per CHRISTI *justitiam,* quæ æqualiter imputatur omnibus, qui credunt. Nos errorem duntaxat impugnantes dicimus, quod beatitudo non tantum quoad

accidentalia, sed etiam secundum visionem sit inæqualis ratione modi, dum alter clare, alter clarius essentiam divinam cognoscit.

24. *Dico.* **Beati fruuntur beatitudine inæquali pro meritorum diversitate.** *Est de fide.*

Prob. Christus Joan. 14, 2 ait : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt;* in quem locum Greg., L. 4 *mor.*, c. 31 : *Quia in hac vita est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut, quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat; unde in Evangelio Veritas dicit : in domo Patris,* etc. S. Paul. 1ª Cor. 15, 41 et 42 ait : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum; stella enim differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum :* sed et gloriæ corporis respondebit gloria animæ; ergo si ex hoc textu sequitur inæqualitas gloriæ *in corpore*, sequitur etiam inæqualitas gloriæ *in anima.* Id ibidem, c. 3, 8 ait Apost. : *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, h. e. meritum; ex quo sic : merita bona sunt mensura gloriæ in cœlo justis retribuendæ : sed in hac vita merita sunt inæqualia; ergo.

Conf. Gratia sanctificans in hac vita inæqualiter participatur a justis; ergo et lumen gloriæ, et sic gloria, inæqualiter : quia sicut gratia est semen, sic etiam est mensura luminis gloriæ. Atqui a solo lumine gloriæ inæquali physice ac proxime habetur inæqualitas visionis; ergo.

25. *Objic. I.* Matth. 20, 10 operariis, qui inæquali tempore laborarunt, æqualis merces rependitur, scil. singulis *denarius diurnus* : hic autem denarius est figura beatitudinis; ergo.

R. — *D. min.* Denarius est figura beatitudinis ratione durationis æternæ, quæ æqualis futura est in omnibus Sanctis *C. min.* Ratione intensionis seu perfectionis *N. min. Denarius,* inquit S. Aug., *Serm.* 59 *de Verb. Dom., est vita æterna, et in vita æterna omnes æquales erunt : quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt alius magis, alius minus; quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus : non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter sempiternum est.* Alii respondent, operarios fuisse in mercede æquales, quia, qui serius vocati sunt, fervore ac diligentia brevitatem temporis compensarunt, juxta illud Sap. 4, 13 : *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Adde, alium esse scopum parabolæ, qui præcipue spectari debet, quia, ut notat S. Chrys., *hom.* 75 *in Matth.*, L. c. Christus *parabolam dixit, et in parabolis non oportet nimia in singulis verbis cura perangi.* Sic unus Beatorum non invidebit alteri, non murmurabit, ut operarii illi Evangelici : omnes enim perfecte beati perfecte fruuntur et satiantur summo bono, perfecte Deum amant et proximum, perfecte in voluntate Dei, qua statuta est inæqualis retributio pro inæqualitate meritorum, conquiescunt.

26. *Objic. II.* Beati videbunt Deum, *sicuti est;* ergo *æqualiter.*

R. — *D. A.* Sicuti est, hoc sensu, quod videant essentiam, attributa et personalitates *C. A.* Hoc sensu, quod videant omni claritate, qua videri potest, et quæ major ac major esse potest in infinitum *N. A.*

Inst. 1. Si unus esset altero beatior, unus majori bono frueretur, quam alter : atqui hoc non, quia omnes fruuntur summo bono; ergo unus non est altero beatior; ergo beati non sunt inæqualiter beati.

R. — *N. M.* quia beatitudo adæquate non habetur a solo *objecto*, quod idem est quoad omnes beatos, sed ab actu possidendi objectum, qui cum possit esse perfectior intensive et quoad claritatem, nec non extensive quoad plures gradus cognoscibilitatis in attributis, unus altero poterit esse beatior.

Inst. 2. Damnati quoad pœnam damni sunt æquales; ergo et Beati quoad præmium visionis, maxime cum teste S. Aug. unus rem unam non possit plus altero intelligere.

R. — *Tr. A.* Quia juxta quosdam, damnati, qui gravius peccarunt, gravius etiam affligentur pœna damni. *N. C.* Quia pœna damni præcise consistit in privatione visionis, quæ privatio incapax intentionis est : visio autem tanquam positiva illius capax est. S. Aug. autem non negat τὸ *plus*, si appellet, super modum intellectionis ejusque perfectionem, sed tantum si appellet super ipsam entitatem, quæ supponitur realiter et formaliter eadem ac indivisibilis.

Inst. 3. Sequeretur : 1° eum, qui non videt clarissime Deum *non satiari* : quia superest aliquid illi appetendum. 2° Eumdem alteri posse *invidere* beatitudinem : atqui in utroque casu nequidem esset vere beatus; ergo.

R. — *N. utramque Sequelam.* Nam 1. etiam juxta D. Thom., p. 1, q. 12, a. 6 : *Ubi est major charitas, ibi est majus desiderium, et desiderium quodammodo facit desiderantem aptum et paratum ad susceptionem desiderati*; ergo cum in minus beato sit *minor charitas* ac *meritum*, etiam minus erit *desiderium et capacitas*, Deo fruendi perfectiore modo. Deinde, quia Beati plus diligunt Deum, quam se, conformant se voluntati divinæ, qua statutum minoribus meritis visionem *minus* perfectam tribui. 2. S. Aug., L. 22 *de Civ.*, c. 30 ita loquitur : *Id etiam beata illa civitas magnum in se bonum videbit, quod nulli superioris ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri; tamque nollet esse unusquisque, quod non accepit..., quam nec in corpore vult oculus esse, qui est digitus.*

ARTICULUS III.

DE AFFECTIONIBUS BEATITUDINIS QUOAD PERFECTIONES.

An et quibus Scientiis, præter Visionem, illustretur Intellectus Beatorum?

27. *Nota.* Quæ præter Deum a Beatis videntur, alia ordinem *naturæ* spectant, ut sunt creaturæ existentes, rerum naturalium causæ, species, vires, proprietates : alia dispositionem *gratiæ* attinent, nempe omnia fidei mysteria, quorum in hac vita nonnisi obscura, ibidem clara erit notitia : alia quæ proprium cujusvis statum concernunt; sic beati Pontifices vident, quæ ad Ecclesiæ regimen; Reges, quæ ad regnorum statum pertinent, etc. Communior TT. sententia asserit, creaturas a Beatis cognosci *in Verbo*, h. e. in essentia divina, cui per analogiam tribuitur nomen Verbi, eo quod sit manifestativa rerum a se distinctarum; et quidem formaliter, quod fit, quando eodem et indistincto actu, scil. per ipsam visionem beatificam Dei, cognoscuntur in essentia Dei, tanquam in motivo formali, et ut medio cognito, quod inducat in cognitionem creaturarum. Quod beati etiam cognoscant necessitates et preces clientum suorum, negarunt Jovinianus ac Vigilantius, et negant recentiores Hæretici quos inter Calvin., L. 3 *Instit.*, c. 20, § 24,

impie et scurriliter scripsit : *Quis eousque longas illis aures revelarit, quæ ad voces nostras porrigantur? oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris advigilent?* Sed unanimis est CATHOLICORUM contraria sententia.

28. *Dico I.* **Beati cognoscunt multas creaturas et rerum eventus, non tamen omnes possibiles, aut in certa temporis differentia existentes.**

Prob. prim. part. Beati vivunt statum omnium bonorum aggregatione perfectum, et vident DEUM omnia scientem, seu pervium Divinitatis speculum, ut loquitur C. SENONENSE; ergo.

Prob. secund. part. Beati de facto ignorant ultimum diem, affirmante CHRISTO Matth. 24, 36 : *De die autem illa et hora nemo scit*, etc. Item Angeli beati non statim ac semper cognoverunt mysteriorum circumstantias, uti tempus Incarnationis, quod patet ex Ephes. 3, 8 et 10. Quin res possibiles omnes cognosci a Beatis posse negant, qui statuunt Infinitum creatum actu implicare; ergo. Proin datur quidem in Beatis quædam ignorantia negativa, non privativa; nam carentia perfectionis debitæ non convenit statui beato : minus error, qui est malum intellectus.

29. *Dico II.* **In Beatis datur Scientia infusa, quin et naturalis, seu acquisita.**

Prob. prim. part. Scientia infusa tam habitualis, quam actualis nec involvit repugnantiam, nec difficultatem : ac præterea conveniens est perfectioni status beatifici, in quo maxime perficitur potentia etiam intellectiva. Habitualis videtur consistere in speciebus repræsentantibus quidditatem et circumstantias rerum. Actualis fit per revelationem vel illuminationem, sive a DEO, sive a CHRISTO, sive ab aliis Beatis sanctioribus. Neque hæc scientia superflua est præsente visione, cum ipsi SS. PP. duplicem in Angelis et Beatis cognitionem statuant, *matutinam*, qua cognoscunt res creatas formaliter in Verbo, et *vespertinam*, qua cognoscunt easdem directe in propria sua specie et genere.

Prob. secund. part. Quia ad statum Beatorum pertinet, res naturales perfecte cognoscere; dicitur autem hæc scientia. 1° *Naturalis*, quia hæ res non exigunt cognosci, neque etiam cognoscuntur per scientiam supernaturalem, nisi quatenus forte proximam quamdam cum supernaturalibus connexionem habent. 2° *Acquisita*, tum quia hæc scientia quoad multa objecta potest a Beatis in vita labore et experientia esse acquisita, et manere in cœlo : tum quia virtute naturali saltem simpliciter acquiri potest; unde licet a DEO Beatis infundatur, est nonnisi per accidens infusa.

30. *Dico III.* **In Beatis non quidem Fides manet, sed tamen virtutes aliæ intellectuales et dona Spiritus S.**

Prob. prim. part. Sicut actus, ita habitus Fidei est proprius *viæ*, quapropter APOST. ait 1ª Cor. 13, 10 et 12 : *Cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est:..... Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, etc. Idem tenent unanimiter SS. PP. et TT. omnes ex hac ratione, quia fides nostra obscura est, et credimus, quod non videmus.

Prob. secund. part. Aliæ virtutes connectuntur cum charitate, et Beatus eorum actus saltem aliquos, aut alio modo exercere potest.

31. *Dico IV.* **Beati in cœlo cognoscunt necessitates et preces suorum clientum.**

Prob. prim. part. Ex 2. Mach. 15, 12, etc., ubi JUDAS vidit ONIAM et JEREMIAM defunctos orare pro necessitate populi Judaici, quam proinde illi sciverunt. Apoc. 6, 10. Beati noverunt, impunitos esse sui persecutores; ergo et necessitatem suorum clientum agnoscunt.

Prob. secund. part. Ex Apoc. 5, 8, ubi preces sub metaphora odoramentorum DEO offerunt, et v. 14 ad has preces dicunt : *Amen*; quod utrumque sine habitu notitiæ facere non possent.

Conf. Utrumque ex eo, tum quod aliunde constet, Sanctos pro nobis intercedere : tum quod utrumque spectet ad statum beatificum. ubi constituti etiam sunt ad gubernandos et regendos fideles, ut docent BELLARM. et plures PP.

Si ais 1°. Scriptura variis in locis docet, solum DEUM nosse cogitationes cordium, inter quas referri debent preces in corde profusæ; 2° sæpius etiam defunctis denegat notitiam eorum, quæ fiunt in terra; 3° Job. 14, 21 : *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget*; 4° Isa. 63, 16 dicit Propheta JUDÆORUM nomine : ABRAHAM *nescivit nos, et* ISRAEL *ignoravit nos*; ergo.

R. — *ad* 1. *D. A.* Solus DEUS cognoscit *cogitationes et secreta cordium* naturaliter et virtute propria *C. A.* Solus DEUS cognoscit, ut non manifestet etiam Beatis, sicut hoc fecit quibusdam Sanctis in terra *N. A.*

R. — *ad* 2. *D.* Denegat notitiam rerum terrestrium per media naturalia comparatam *C.* Notitiam per media supernaturalia, scil. illustrationem, revelationem divinam, aut visionem beatificam comparatam *N.*

R. 3. — *ad illud* JOBI. Et ibi sermo est de Sanctis *N.* De reprobis *C.* GREG., L. 12 *Mor.*, c. 14 in h. l. ait : *Qui intus omnipotentis* DEI *claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent. Sed carnales quique, quia amorem præcipuum filiis impendunt, hoc eos beatus* JOB *nescire postmodum asserit, quod hic vehementer amaverunt : ut, sive nobiles, sive ignobiles sint filii, nesciant, quorum eos semper cura fatigabat.*

R. 4. — *ad illud* ISAIÆ. — *D.* cum S. HIER. Nescivit ABRAHAM cognitione *approbationis*, h. e., *non cognoscit filios, quos a* DEO *suo intelligit non amari C.* Nescivit cognitione notitiæ, quasi plane nihil de nobis sciret *N.* Eodem modo explicare etiam debent adversarii verba CHRISTI ad reprobos et Virgines fatuas; *Numquam novi vos* Matth. 7, 23, etc.; *Nescio vos* Matth. 25, 12. Adde ex S. AUG., quod ABRAHAM, ISRAEL aliique PP. necdum beati erant, et hinc illis non debebatur notitia hæc ratione status, ratione cujus tamen Beati actiones ad se spectantes cognoscunt.

Si ais 2°. S. AUG., L. *de cura pro mortuis*, c. 13 putabat, matrem suam esse *beatam*, et tamen probat, *mortuos non scire*, quid agant viventes, cum ea nunquam ad se consolandum veniret; et L. *de vera Relig.*, c. 55 ait : *Quisquis Angelorum vel hominum diligit* DEUM, *certus sum, quod etiam me diligat : quisquis in illo manet, et potest humanas preces sentire, in illo me exaudit* : sed his verbis videtur dubitare, utrum omnes Sancti possint humanas preces audire; ergo.

R. *ad* 1. S. AUG. exemplo matris suæ tantum probare intendit, quod, quamvis sæpe cognoscant preces nostras, et nos adjuvent, tamen propterea

non sciant omnia nostra, neque intersint assidue rebus nostris, et quidem more humano nobiscum agendo et conversando.

R. *ad* 2. Dicit quidem S. Aug.; non omnem, qui in Deo manet, exaudire preces, sed non dicit, quod omnis; qui in Deo manet, jam sit beatus, cum, qui in terris manet in charitate, etiam in Deo manere dicitur 1ª Joan. 4, 16.

Si ais 3º. S. Greg. Naz. *in fine Orat. in* Gorgon. ait : *Quod si quid eos quoque, qui tibi a nobis habentur, honores curas, atque hoc præmii sanctis animabus divinitus contingit, ut ista sentiant....* sed hæc locutio dubitare videtur, an Sancti sciant preces; ergo.

R. — *N. min.* τὸ *quod... si quoque* hic non est signum dubitantis, sed affirmantis; uti illud Pauli ad Philem., v. 17 : *Si habes me socium, suscipe illum.* Sanctos videre, quid hic agatur, Greg. Naz. passim affirmat, præsertim *in Orat.* in Athan.

§ II.

Quibus Virtutibus et Prærogativis, præter Charitatem, ornetur Voluntas Beatorum?

32. *Nota.* Utrum omnes habitus supernaturales et naturales virtutum, qui sunt in voluntate Viatorum, maneant in voluntate Beatorum? an Beati habeant complementum omnium desideriorum? quæ sint dotes et aureolæ Beatorum? triplex questio est, quæ concernit beatitudinem hominis accidentalem; de singulis pauca. Est autem *Deos* Beatorum, perpetuus animæ vel corporis ornatus, vitæ sufficiens, in æterna beatitudine jugiter perseverans vel in modum illius, quod sponsæ assignatur : cujus metaphoræ fundamentum habetur. 2ª Cor. 11, 2 et Apoc. 21, 2. *Aureolæ* Beatorum quoad nomen dicuntur *coronæ*, quia dantur in præmium victoriæ, aureæ ob pretium, minores respectu coronæ magnæ, sive beatitudinis et gloriæ essentialis; quoad rem sunt gaudium accidentale de singulari quadam victoria perceptum a Beatis, et in corpus speciali fulgore redundans.

33. *Dico I.* **Omnes habitus virtutum, qui sunt in voluntate Viatorum, manent in voluntate Beatorum quoad entitatem et substantiam, licet non quoad omnes actus et habitudinem ad eos.**

Prob. prim. part. Quia omnes virtutes respiciunt honestum ut sic, et afficiunt voluntatem ad tale bonum, ac de se augent virtutem recte operandi circa illud; ergo cum hoc ad perfectionem voluntatis spectet, neque etiam includat imperfectionem perfectioni beatitudinis repugnantem, statui Beatorum concedendum est.

Prob. secund. part. Quia omnis virtus, etiam *spes* e. g. et *pœnitentia,* inclinat voluntatem ad amandum bonum honestum, ut illud vel desideret voluntas, si eo adhuc careat, vel ut de illo gaudeat, si illud jam possideat; ergo omnis virtus potest habere actum, scil. amoris et gaudii, in Beatis.

Prob. tert. part. Quia aliqui actus virtutum includunt vel supponunt imperfectionem ex parte objecti, scil. absentiam alicujus boni, vel præsentiam alicujus mali; ergo virtutes non possunt haberi in Beatis quoad omnes earum actus, vel habitudinem ad illos.

34. *Dico II.* **Beati habent complementum omnium suorum desideriorum, et quidem quoad objectum essentialiter beatificum semper formaliter : quoad objecta alia non quidem semper formaliter, sed radicaliter et fundamentaliter.**

Prob. prim. part. Quia beatitudo habet rationem ultimi termini et perfectæ satietatis; ergo debet afferre complementum omnium desideriorum.

Prob. secund. part. Quia Beatus perfecte statim et perpetuo possidet tum intelleciu, tum voluntate DEUM; ergo habet complementum desideriorum quoad objectum essentialiter beatificum.

Prob. tert. part. Quia beatis animabus ante resurrectionem corporum adhuc deest illa perfectio, quæ ex conjunctione ad corpus in illas redundabit; ergo non semper earum desiderium formaliter est completum quoad objecta accidentaliter beatifica.

Prob. quart. part. Partim quia certi sunt, tempore a providentia DEI prædefinito, objecta illa accidentaliter beatifica sibi obventura : partim quia Beatorum desiderium de his objectis tantum est efficax et absolutum respective ad tempus et modum, quo ipsis DEUS ea est concessurus, cum eorum desideria sint juxta mensuram voluntatis divinæ, et illi subordinata. Desideria Beatorum de rebus, quæ nunquam fient, v. g. de salute amici, qui non salvabitur, non sunt absoluta et efficacia, sed simplices quidam affectus DEI voluntati ac providentiæ subordinati, quam magis cupiunt in omnibus impleri.

35. *Dico III.* **Dotes animæ beati sunt tres, Visio, Comprehensio, Delectatio.**

Visio hæc non est formalis beatitudo, sed terminus fidei satians beatum ex hoc, quod jam *clare* videat ea, quæ in via cognovit obscure per fidem. *Comprehensio* non est cognitio DEI adæquata, sed terminus spei, satians beatum ex eo, quod bonum desideratum jam teneat juxta illud APOST.: *sic currite, ut comprehendatis* 1ª Cor. 9, 24. *Delectatio* est terminus amoris, satians beatum ex eo, quod summo bono, ad quod in via tendebat, jam uniatur, et in illo conquiescat.

Prob. Quia hæc correspondent tribus virtutibus Theologicis, et pertinent ad triplicem primariam circa DEUM operationem.

36. *Dico IV.* **Dotes corporis beati sunt quatuor, Impassibilitas, Subtilitas, Agilitas et Claritas.**

Prob. Ex unanimi omnium consensu, et ex 1ª Cor. 15, 42. Intelligitur autem per *Impassibilitatem* non incapacitas sensationis aut receptionis etiam convenientis et perfectivæ, sed dispositiva resistentia cuilibet contrario : per *Subtilitatem* vis penetrandi, sive jus, quo DEUS tenetur ad libitum beati efficere illam penetrationem, quamvis ejus corpus maneat quantitativum cum debito partium situ et extensione ad locum sibi convenientem : per *Agilitatem* virtus facillime et celerrime movendi corpora de loco in locum : per *Claritatem* eximia lux et splendor cum diaphaneitate, cum proprio tamen colore consistens, et pro libitu beati resplendens vel obtectus.

37. *Dico V.* **Aureola assignatur triplex,** sicut triplex est hostis. 1ª Est MARTYRUM qui mundum, h. e. tyrannos vicerunt contemptu mortis, quæ est malum maximum, quod homines inferre possunt; de his Apoc. 7, 9 dicitur :

Amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. 2ª Est VIRGINUM, qui et quæ carnis oblectationes vicerunt, integra corporis et animi puritate servata; de his Apoc. 14, 3 et 4 : *Cantabant quasi canticum novum, et nemo poterat dicere canticum, nisi,* etc... *Hi sequuntur Agnum.* 3ª Est DOCTORUM, qui fidei et morum dogmata tradendo, prædicando, salutariter monendo, etc., diabolum expulerunt ex hominum cordibus, tanquam affectato suo regno; de his Dan. 12, 3 : *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

ARTICULUS IV.

DE AFFECTIONIBUS BEATITUDINIS QUOAD TEMPUS.

§ I.

An Beatitudinem antecedat Regnum CHILIASTARUM.

38. *Nota* 1. CHILIASTÆ docuerunt, justos post generalem resurrectionem cum CHRISTO regnaturos in terris per mille annos, priusquam ad visionem DEI in cœlo recipiantur. Duplex erat MILLENARIORUM classis : 1ª Eorum, qui prope HIEROSOLYMAM cum religione Judæorum magnificentius restauratam Beatos omnibus epularum, nuptiarum et libidinum voluptatibus fruituros per mille annos dicebant; horum auctor erat CERINTHUS, SIMONIS MAGI discipulus, qui legis etiam Mosaicæ ceremonias, sacrificia et præcepta restituenda esse asserebat : asseclas habuit MARCIONITAS et APOLLINARISTAS. 2ª Classis est eorum, qui dixerunt, delicias, quibus Beati essent fruituri per mille annos, vel esse innoxias et concessas, vel spirituales duntaxat; horum auctor fuit Sec. II. PAPIAS *Episc. Hierapol.* discipulus JOANNIS Presbyteri Ephesini, quem ipse in suis scriptis distinguit a JOANNE APOST., vir admodum mediocris quidem ingenii, ut eum EUSEB., L. 3 *Hist.*, c. ult. vocat; sed ob antiquitatem tamen suam et studium Traditionum, quas collegit libris 5 *de Interpretatione Oraculorum Dominicorum* inscriptis, primis Ecclesiæ PATRIBUS erat in veneratione, et etiamnum *Martyrologio* 22 Febr. ceu Sanctus insertus legitur : hunc secuti sunt S. JUST., S. IREN., TERTULL., LACTANT., et SEVERUS SULPIT.; et in eodem errore aliquando se fuisse testatur S. AUG.

39. *Nota* 2. Contra utramque classem iisdem etiam temporibus scripsere viri doctissimi et sanctissimi, DIONYS. ALEX., ORIG., HIER., et alii. Error *primæ* classis rejectus quidem fuit ab omnibus ut hæresis : *secundæ* autem classis toleratus est aliquandiu, tum ob auctoritatem patronorum, tum quia hac ratione magis recedebatur ab errore ORIGENISTARUM, qui negabant resurrectionem fieri cum membris humanis; unde etiam sibi caute incedendum fuisse scribit S. HIER. Præf. in L. 18 *in Isa.*, ne, dum in resurrectione contra ORIGENISTAS assereret omnia in corpore humano fore membra, etiam usum eorum more MILLENARIORUM videretur adstruere. Ubi vero APOLLINARIS inter cæteros errores pertinacius hunc defenderet, etiam una cum aliis ejus hæresibus a DAMASO damnatus est. Videbatur ab eo tempore hic error quasi sepultus, donec sub Sec. XVII finem PIETISTÆ quidam eum resuscitarent, ex quorum numero plures an. 1693 et 94 in PENSYLVANIAM secesserunt, regnum hoc millenarium sub plena conscientiæ libertate jam fundaturi.

40. *Dico.* **Regnum Chiliastarum est fictitium.**

Prob. I. Regnum Christi non est terrenum, nec certo numero definitum, ut habetur ex Script. *Regnum meum non est de hoc mundo*, Joann. 18, 36. *Regni ejus non erit finis*, Luc. 1, 33 et hoc tanquam certum suo Symbolo inseruit C. Constant. I adversus Apollinaristas.

Prob. II. Post resurrectionem universalem non erunt pro justis voluptates corporeæ, quia *in resurrectione neque nubent, neque nubentur,* Matth. 22, 30. *Regnum* Dei *non est esca et potus*, Rom. 14, 17; ergo.

Prob. III. Post judicium ultimum sententia Judicis in reprobos : *Ite in ignem æternum,* dabitur statim executioni; ergo et sententia in justos : *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum,* Matth. 25, 34, præsertim cum 1ª Thessal. 4, 15 et 16 legatur : *Mortui... resurgent primi : deinde nos, qui vivimus..., simul rapiemur cum illis in nubibus obviam* Christo *in aera, et sic semper cum* Domino *erimus.*

41. *Objic. I.* Apoc. 20, aperte statuitur Regnum Christi cum Beatis per *mille annos* : nam 1º dicitur diabolus ligatus per mille annos. 2º Fore duplicem resurrectionem, *primam* justorum, qui regnabunt per mille annos, *alteram* impiorum, quæ consequetur hoc intervallum. 3º Dicit Joannes, se vidisse animas decollatorum per mille annos regnasse cum Christo, cæteros vero mortuos non vixisse; ergo.

R. 1. —*Tr. A. N. C.* Millenarii suum regnum statuunt post resurrectionem et judicium : S. Joannes autem regnum illud statuit ante adventum Anti-Christi, quia ibid. dicitur : *Cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas* : et ante resurrectionem, quia hæc modo ibidem dicitur futura post persecutionem Anti-Christi; ergo aperte convellit errorem Chiliastarum.

R. 2. — *D. A.* Statuitur regnum Christi in animabus Beatorum per justificationem *C. A.* Etiam in corporibus per glorificationem *N. A.* Item : statuitur regnum per mille annos, τὸ *mille annos* sumendo pro indeterminato numero annorum, qui ab adventu Christi in mundum usque ad ejus adventum in judicium decurrent *C.* Sumendo pro determinato annorum numero, et determinate *N.* Atque hæc responsio convenit singulis probationibus adjectis; nam

Ad 1. Diabolus ligatus est quoad libertatem Christianis nocendi toto hoc tempore, quia Christus venit in primo adventu, ut *dissolvat opera diaboli* 1ª Joan. 3, 8, et ut *Princeps mundi ejiciatur foras.* Joan. 12, 31.

Ad 2. Duplex est etiam animarum justarum resurrectio : *prima* per justificationem, *altera* per glorificationem; et ita explicat Aug., L. 20 *de Civ.*, c. 7. Vel duplex est ita, ut prima sit glorificatio animæ solius, secunda animæ et corporis simul, uti explicat S. Ambr.

Ad 3. Cæteri mortui non vixerunt, sed habuerunt duplicem etiam mortem duplici resurrectioni Beatorum mox explicatæ oppositam.

Inst. Apoc. 21, 5 dicit Christus : *Ecce nova facio omnia,* quod intelligendum de Hierosolyma, Lege et Sacrificiis Mosaicis ad mentem Chiliastarum restaurandis; ergo.

R. — *N. A.* Hæc enim triplici sensu a PP. et Interpr. vel de anima, vel de Ecclesia, vel de cœlesti gloria recte ac vere explicantur.

42. *Objic. II.* Si non admittatur Regnum Chiliastarum, stare nequit ve-

ritas verborum et promissionum CHRISTI, qui Matth. 26, 29 ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei;* item Luc. 22, 29 et 30 : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno Patris mei.* Denique Matth. 19, 29 : *Omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit,* quæ omnia sine deliciis corporalibus nequeunt intelligi; ergo.

R. — *D. A.* Stare nequit veritas verborum et promissionum CHRISTI metaphorica, eaque primario intenta *N. A.* Litteralis, et quæ non intendebatur, *Tr. A.* 1us quidem textus secundum litteram explicari potest cum S. CHRYS. in l. c. de tempore illo, quo CHRISTUS post resurrectionem adhuc versatus est cum discipulis bibens et manducans; 2us ad litteram intelligi nequit, cum alias regnum DEI nihil esset, nisi esca et potus, contra rationem et Scripturam : neque etiam 3us quia ut S. HIER. in l. c. ait : *Si in cæteris digna sit repromissio, in uxoribus apparet turpitudo, ut qui unam pro* DOMINO *dimiserit, centum recipiat in futuro.* Dein impossibile est, centum patres aut matres accipere. In sensu autem metaphorico 1us et 2us significat abundantiam gaudiorum tum animæ tum corporis Beatorum : 3us significat tum spiritualia bona, tum etiam corporalia beneficia ex mutua charitate obvenientia in hac etiam vita illis, qui terrenis renuntiarint, promittitur enim centuplum in præsenti vita, ut ex eodem textu apud Marc. 10, 30; Luc. 18, 30 constat.

Inst. Si plane rejiciatur Regnum MILLENARIORUM; ergo nulla erit auctoritas TRADITIONIS et PATRUM; siquidem S. JUST., S. IREN., TERTUL., et alii primorum Seculorum PATRES regnum illud admiserint.

R. — *D. seq.* Nulla erit auctoritas TRADITIONIS generalis, et PATRUM unanimiter conspirantium, eaque ab ECCLESIA confirmata ac proposita *N. seq.* TRADITIONIS particularis, PATRUM contrarie sentientium et postmodum rejecta ab ECCLESIA *C. seq.* Auctoritas PATRUM non facit locum Theologicum, nisi sit unanimis aut ab ECCLESIA recepta, qualis non est illa MILLENARIORUM.

43. *Observa I.* Quod PAPIAS regnum illud et alias etiam parabolas exoticas, relationes item fabulosas suis libris inseruerit, ortum habet ex mediocritate ejus ingenii : cum enim quæcumque demum ipsi a coævis quondam cum Apostolo quopiam aut discipulo CHRISTI hominibus dicerentur, sine ullo examine admitteret, et figuratas locutiones non secundum sensum, sed ad litteram acciperet, nihil pronius erat, quam ut eum in errorem præcipitaretur. S. JUSTIN. per Apocalypsin S. JOAN. male intellectam inductus est in hanc sententiam, ita tamen, ut MILLENARIOS hæreticos blasphemiæ argueret, *Christianos* vero aliter sentire diceret, neque inde unionem fidei Catholicæ cum illis abrumperet. S. IRENÆUM duplex ratio in eamdem sententiam impulit : 1° Auctoritas quorumdam VV. et præsertim PAPIÆ, qui illam ceu Apostolicam traditionem vendiderat : 2° Quod a MARCIONITIS aliisque Hæreticis voluerit quam longissime abire.

Quod TERTULLIANUS in MONTANISMUM lapsus regnum MILLEN. admitteret, haud mirum est, cum illud esset ex MONTANISTARUM revelationibus una. Magis mirum est, SEVERUM SULP. potuisse fieri CHILIASTAM, cum de S. MARTINI ad cœlum ascensu per visum etiam factus sit certior, et ad AURELIUM *Diac.* data epistola id confirmarit. Libri autem tres *Dialogorum* ab eo editi,

in quibus prædictum errorem asserit, non æquali a CATHOLICIS plausu excepti sunt, quin et a GELASIO P. inter apocryphos rejecti.

44. *Observa II.* Dogmatis Catholici assertores semper numero *plures* fuere : neque enim facta est nova revelatio, sed per continuam et non interruptam traditionem veritas ad nos usque propagata est; PP. tamen illi et SCRIPTORES VV. non sunt hæreseos arguendi : tum quia veritas Catholica non ita, ac modo, in luce posita, neque ultimo ECCLESIÆ judicio erat definita; neque ab illis error oppositus cum pertinacia propugnabatur. *Qui autem, ut ait* S. AUG., *sententiam suam quantumvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt,... quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos reputandi.*

§ II.

An Justorum animæ ante Resurrectionem universalem admittantur ad visionem DEI?

45. *Nota.* Quæstio hic est præcise de animabus justorum sive ante, sive post mortem ab omni macula et pœna solutis : an statim post mortem, aut saltem ante extremum judicium obtineant beatitudinem essentialem? Negarunt id TERTULL., VIGILANT., ARMENI et GRÆCI etiam tempore C. FLOR.; quin et inter CATHOLICOS LATINOS acriter de eo disceptabatur Sec. XIV et tempore JOANNIS XXII, qui mortuus est anno 1334. Eumdem errorem adoptarunt LUTHER., *Prælect. in Gen.* et CALVIN., L. 4 *Inst.*, c. 20, § 23. Dicebant autem prædicti omnes, animas justorum ad extremum usque judicii diem interim vel in *sinu* ABRAHÆ, h. e. loco nec cœlesti, nec infero, sed intermedio; vel in *loco refrigerii*, vel *subtus aram* DEI considere, quiescere, dormire. Affirmativam vero sententiam, quam scriptis prius illustraverat, tandem definivit BENED. XII, an. 1336 promulgata Constitutione, quæ incipit : *Benedictus* DEUS. Idipsum postea præstiterunt C. FLOR. Sess. ult. in Decreto *Unionis*, et C. TRID., Sess. 25.

46. *Dico.* **Animæ justorum, quibus nihil expiandum superest, statim ac corpore solutæ sunt, Deum in cœlo vident.**

Prob. I. Ex Script. 1° CHRISTUS Luc. 23, 43 promisit latroni : *Hodie mecum eris in paradiso :* sed animæ latronis non promisit, nec illa intravit in paradisum terrestrem, qui non convenit animabus, sed cœlestem sive beatificam visionem, qua ab initio fruebatur anima CHRISTI; ergo. 2° PAULUS 2ª Cor. 5, 1 ait : *Scimus, quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex* DEO *habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis :* atqui tam *Græci*, quam *Latini* per *domum terrestrem hujus habitationis* intelligunt corpus de terra sumptum, et per *ædificationem ex* DEO gloriam per visionem intuitivam DEI, cum APOST. ibidem etiam dicat, v. 4 : *Qui sumus in hoc tabernaculo* (scil. corpore) *ingemiscimus gravati...* et v. 8 : *Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad* DOMINUM; item, c. 4, 16 : *Sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur.*

Denique ad Philipp. 1, 23 : *Desiderium habens dissolvi et esse cum* Christo. Ex altera vero parte beatitudo bene dicitur domus juxta Joan. 14, 2 : *In Domo Patris mei mansiones multæ sunt :* Luc. 16, 9 : *Ut recipiant vos in æterna tabernacula ;* Ergo cum Apostolus inter dissolutionem corporis et ingressum in beatitudinem non ponat moram intermediam, animæ statim consequuntur visionem Dei. 3° Parabola de *Epulone* Luc. 16, 23 significat impiorum animas statim torqueri ; ergo cum Deus non sit pronior ad pœnas, quam præmia, animas piorum statim admittet ad gloriam.

Prob. II. Ex Tradit. Ecclesiæ : hanc declarant 1° *preces publicæ*, de quibus Cœlestinus P. in *epist. 1 ad Episcopos Galliæ* ait : *Legem credendi lex statuit supplicandi ;* jam vero antiquiss. *Codex Gelasianus* in festo SS. Perpetuæ et Felicitatis habet : *Quæsumus, ut, sicut illis gloriam contulisti, nobis indulgentiam largiaris ;* in festo autem SS. Gervasii et Protasii : *Ut quos cœlesti gloria sublimasti :* item antiqua oratio in festo S. Gregorii M. : Deus, *qui animæ famuli tui æternæ beatitudinis præmia contulisti,* etc.

2° Martyres et acta Martyrum, quorum spes recte dicitur fuisse fides *Christianorum ;* jam vero Ecclesia Smyrnensis de obitu Polycarpi ita ait : *Per tolerantiam devicto injusto præside, immortalitatis corona recepta, cum omnibus Apostolis, omnibusque justis exultans* Deum *glorificat. Auctor Synchronus* de S. Symphorosa et septem ejus filiis, qui circa annum 120 passi sunt, ait : *Elegerunt magis decollari, quam vinci : passi mortem inter Angelos cum Rege æterno vita fruuntur in cœlis.* S. Methodius in Sec. III apud Photium ita loquitur : *Fluxa hac brevique vita dissoluta habebimus ad* Deum *habitationem ante resurrectionem.*

3° *SS. PP. testimonia ;* Sec. I. S. Clemens ep. 1 ad Cor., S. Ignat., ep. ad Rom., c. 5, 6, 7 ; Hermas in L. 3 *similitudine* 8ª, Sec. II ; S. Polycarp., ep. ad *Philipp.* ; Athenag. in *Apolog.* ; Caius Presbyter Eccl. Rom. apud Euseb., L. 3 *Hist.*, c. 28, Sec. III ; Clem. Alex., L. 5 *Strom.* ; Origen., L. 6 contr. Celsum, et L. 2 de *Principiis,* c. 12 ; S. Dionys. Alex. opusc. contr. S. Iren. et 2 libris cont. *Nepotem Ægyptii* apud Euseb., Cypr. de *exhort. martyr.* in *præf.* et c. 12 it. L. de *mortalitate,* Sec. IV omnes fere Scriptores celebres tum ex professo, tum incidenter idem defendunt aut definiunt.

Conf. Ex Conciliis Lugdun. II sub Greg. X *in professione fidei :* Florentinum *in Decreto fidei :* Tridentinum, Sess. 25 de *Invocatione SS.* id ipsum diserte affirmant.

47. *Obj. I.* Sancti non accipiunt mercedem in fine vitæ, sed mundi ; ergo. *Prob. A.* Matth. 20, 8 et 9. Denarius operariis redditur ad vesperam : atqui *denarius* beatitudinem, et *vespera* finem mundi significat ; ergo.

R. — *D. A.* Non accipiunt mercedem nequidem incompletam, sive beatitudinem animæ in fine vitæ temporalis *N. A.* Non accipiunt quidem mercedem completam, sive beatitudinem corporis et animæ in fine vitæ temporalis, sed in fine mundi, accipiunt tamen incompletam *C. A. Ad Prob. D. M.* Denarius, qui datur omnibus simul operariis, datur ad vesperam *C. M.* Qui datur singulis seorsim *Subd.* Denarius completus *C.* Incompletus N. Completa quidem merces dabitur omnibus aperte sub tempus judicii, ut innuit parabola ; hoc tamen non prohibet, quo minus jam incompleta detur singulis sub particulare cujuslibet judicium. Ad hæc scopus parabolæ præsertim

attendendus est, non autem omnes circumstantiæ : alioqui etiam *murmurare*, et *habere oculum nequam* Beatis tribui deberet.

Inst. 1. Hebr. 11, 39 et 40 dicitur de Patriarchis V. T. : *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissiones... ut non sine nobis consummarentur;* ergo repromissionem et beatitudinem accipient omnes simul in fine mundi.

R. — *D. A.* Non acceperunt repromissiones, per has intelligendo Incarnationem Christi *C. A.* Intelligendo beatitudinem *Subd.* Non acceperunt nequidem incompletam post adventum et resurrectionem Christi *N.* Completam et perfectam *C.* Unde et dicitur : *Ut non sine nobis consummarentur.*

Inst. 2. 1ª Joan. 3, 2 dicitur : *Scimus, quoniam cum apparuerit* (Christus in 2º adventu), *similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est;* ergo ante resurrectionem generalem anima non recipit ullam beatitudinem.

R. — *N. C.* Sed sequitur tantum, gloriam Beatorum non esse manifestandam coram omnibus, nisi in die judicii : cum enim antecedenter dixerat S. Joannes, v. 2 : *Nondum apparuit, quid erimus* : postea subjungens, *cum apparuerit,* non significat, cum apparuerit Christus, sed cum apparuerit, *quid erimus.* Cum vero manifestatum fuerit quid erimus, similes Christo erimus in oculis totius mundi, quoad externam etiam gloriam *corporis*, quæ ex eo nascetur, quod videbimus eum, sicuti est; unde patet, hunc textum similem esse illi ad Coloss., c. 3, 3 et 4 : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum* Christo *in* Deo : *cum* Christus *apparuerit, vita vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.*

Inst. 3. Apost. 1ª Cor. 15, 32 dicit, nullam fore mercedem justorum, *si mortui non resurgunt* : et 2 Mach. 12, 14 dicitur, *superfluum et vanum esse, orare pro mortuis,* si non esset spes resurrectionis : atqui neutrum teneret, si animæ præmiarentur ante resurrectionem corporis; ergo.

R. — *D. min.* Neutrum teneret formaliter et absolute *C. min.* Ex hypothesi et illative *N. min.* Qui in V. T. negabant resurrectionem corporum, plerumque etiam negabant immortalitatem animæ, volebantque, hanc simul cum corpore perire, dicentes : *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur,* ut refert Apost., l. c, v. 32 in qua impiorum hypothesi evidenter infert Apostolus : Si anima simul cum corpore pereat, neque hoc resurgat; ergo justi frustra laborant, etc. Data autem immortalitate animæ, si corpus non resurgat, adhuc tenet illatio Apostoli, quia si corpus, quod est particeps laboris et molestiæ, non sit particeps præmii; etiam anima non erit, cum sit eadem utriusque ratio, et ex sorte unius propter connexionem animæ cum corpore sors alterius colligatur. Eadem est responsio *ad secundum* : qui tamen textus explicari etiam potest de spe resurrectionis ab igne purgatorii ad vitam beatam. Eodem modo explica S. Chrys., cujus hom. 39 in ep. 1 Cor. hic. opponi solet.

Inst. 4. Apoc. 6, 4 animæ Martyrum dicuntur delitescere *subtus altare,* et v. 11, jubentur *requiescere adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum;* ergo necdum vident Deum.

R. — *D. A.* Hoc ipsum tamen altare fuit in cœlo, et interim animabus datæ jam fuerunt *stolæ albæ,* ut habetur ibid., v. 11 ac eædem etiam animæ Apoc. 7, 9 et 10 dicuntur *stantes ante thronum* concinere laudem Dei *C. A.* Et nihil de his convenit animabus Martyrum *N. A.* Petebant quidem animæ Martyrum per postulatam vindictam resurrectionem corporum, et sic beati-

tudinem completam; habent tamen jam incompletam, scil. animæ, quæ per concentum laudis divinæ et stolam albam significatur; unde S. Bern. Serm. 3 in Festo SS. OO.: *Accipiunt jam singulas stolas, sed non vestiuntur duplicibus, donec et nos vestiamur.* Quæ de *altari Thymiamatis,* sub quo animæ, et de *altari Holocausti,* sub quo corpora sunt sepulta, dicuntur, sensum allegoricum spectant.

Nimirum sicut Animæ ante Christum dicebantur esse in *promptuariis* seu *cellis.* h. e. in limbo, expectantes Christum et beatam resurrectionem : ita post Christum dicuntur esse *sub altari Thymiamatis,* h. e. in cœlo, exspectantes unionem cum corpore, ut illo vestitæ super altare quasi eleventur ad perfectam gloriam et consummatam beatitudinem. Erat altare Thymiamatis, altare Oraculi, sive Sancti Sanctorum, quod est proprie locus Sacerdotum, quales sunt hæ animæ Beatorum, Apocal. 20, 6. Quippe erat Sanctum Sanctorum solius Dei habitaculum, in quod nonnisi summus Pontifex, et duntaxat semel in anno ingrediebatur; Pontifex vero Christum repræsentat, non Sanctos.

Corpora Sanctorum dicuntur esse sub *altari Holocaustorum,* h. e. in terra : nam hoc altare erat in atrio, quod terram denotat; unde sub illo corpora terrena Martyrum sepulta dicuntur; et quidem *sub* altari velut abscondi, tegi et latere, donec in resurrectione glorioso corpore donatæ se suamque gloriam ac lauream Martyrii universo orbi palam ostentent.

Inst. 5. *Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit* 1ª Cor. 3, 13; ergo omnes probandi sunt igne conflagrationis, quæ præcedet judicii diem, ac proin ante hoc tempus nemo admittitur ad visionem Dei.

R. — *D. C.* Omnes, quos conflagratio reperiet in corporibus agentes, illo igne probandi sunt *C.* Omnes omnino, qui jam antea carne exuti, et igne purgatorio purgati sunt, adeo ut eousque in purgatione maneant *N. A.* Hanc enim opinionem repugnare traditioni Ecclesiæ, patet ex ep. 52 Cypriani, Constitutione Bened. XII, CC. Flor. et Trid. et communi Catholicorum sensu, sibi persuadentium, animas in purgatorio juvari et liberari posse sacrificiis et piis operibus viventium.

48. *Obj. II.* Ecclesia orat pro defunctis etiam Sanctis, Patriarchis, Apostolis et Martyribus, ut constat ex VV. liturgiis SS. Marci, Basilii, Chrysostomi, Epiphanii et aliorum; ergo credidit Ecclesia, animas separatas necdum frui visione Dei.

R. — *D. A.* Orat pro Sanctis, ut eorum gloria in nobis et imitatio augeatur, prout ait Bellarm. *C. A.* ut inde levamen aliquod accipiant *N. A.* Sic enim oratio habet in Missa : *Suscipe* S. Trinitas *hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam.....* Jesu Christi, *et in honorem Sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi intercedere pro nobis dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.*

Inst. 1. *Cap. cum Marthæ* de celebr. Missæ, antiqua oratio in festo S. Leonis erat; *annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui* Leonis *hæc prosit oblatio.* Item in Ecclesia summa Aquisgran. singulis annis adhuc dicitur Missa de *Requiem* pro anima Caroli M., qui tamen in Martyrologiis apud Bollandum 28 *Jan.* inscriptus est catalogo Sanctorum.

R. — *D. A.* Et hæc oratio fuit statim post mortem S. Leonis scripta et in anniversariis adhibita, quando nondum celebrabantur festa Confessorum *C. A.*

Fuit etiam semper retenta, nec mutata *N. A.* Mutatam illam orationis formam, quamvis, quando mutata sit, nescire se, scribit idem INNOC. III, L. 5, ep. 131. Idem quoad *primam* partem dicendum est de S. CAROLO M., et faciendum esset quoad *secundam* partem; cur autem id necdum factum sit, definire non licet, nisi forte dicatur ex eo accidisse, quod CAROLUS M. non a legitimo, sed a Pseudo-Pontifice, PASCHALI III, in Sanctorum catalogum ritu solemni relatus fuerit, quamvis de ejus sanctitate ob silentium sequentium Pontificum legitimorum et ejus cultum publicum per GALLIAM, BELGIUM et GERMANIAM propagatum dubitandi non sit locus.

Inst. 2. Ecclesia orat pro omnibus defunctis, ut DEUS animas *liberet a pœnis inferni, et de profundo lacu, ne absorbeat eas tartarus;* ergo judicat, adhuc suspensam esse sortem illorum.

R. — *D. A.* Orat pro omnibus in sensu accommodo *C. A.* Absoluto *Subd.* Eadem ratione et intentione *N.* diversa *C.* ECCLESIA sic orat, quia exhibet defunctos, quasi tum actu obirent, essentque in periculo subeundi judicii : sicut per annum exhibet mysteria CHRISTI, quasi tum peragerentur.

49. *Obj. III.* SS. PP. videntur contrarii; ergo. *Prob. A.* de S. HILARIO, qui Sanctos fore in regno CHRISTI docet usque ad diem judicii, tum vero admittendos ad regnum Patris : sed in regno CHRISTI negat concedi iis visionem DEI : nam 1° in Ps. 138 dicit : *Humanæ ista lex necessitatis, ut sepultis corporibus ad inferos animæ descendant* : 2° In Ps. 120, 8 docet : *Exeuntes de corpore ad introitum illum regni cœlestis per custodiam* DOMINI *Fideles omnes reservabuntur, in sinu scilicet interim* ABRAHÆ *collocati (quo adire impios interjectum chaos inhibet), quousque introeundi rursum in regnum cœlorum tempus adveniat.* 3° In Ps. 62 dicit, Sanctos illos desiderare conspectum DEI, eumque obtenturos post judicium : *Tradet,* inquit L. 11 *de Trin.,* CHRISTUS DEO *Patri regnum, et tunc quos regnum* DEO *tradiderit,* DEUM *videbunt;* ergo.

R. — *N. M.* Nam regnum illud CHRISTI in Ps. 57 vocat *requiem æternam, sedem ac regnum beatorum, terram viventium,* ibique dicit, *animas in* DEI *susceptione requiescere :* et in Ps. 65 ait : *Martyres in cœlestis domicilii habitationem introierunt.*

R. *Ad 1. Prob.* Vel S. DOCTOR loquitur de SANCTIS V. T. : vel cum TERTULL. existimavit, quod omnes animæ ad inferos descendant, sicut CHRISTUS, ut ait, ad consummationem veri hominis id non recusavit; sed ut CHRISTUS statim, ita ipsæ plene purgatæ in cœlum ascendant.

R. *Ad 2 et 3. Prob.* Sancti DEI conspectum desiderant, non quod eo caruerint; sed ut eo simul omnes fruantur complete beati etiam ratione corporis : hinc ait, Sanctos in secundum regnum *rursus* introire, quod supponit, eos jam ante fuisse ingressos, *et sinum Abrahæ* in N. T. esse ipsum cœlum.

Inst. 1. S. AMBR. 1° L. de *bono mortis,* c. 10 docet, animas in certis quibusdam habitaculis et promptuariis usque ad diem judicii detineri, ut tum omnes simul coronam accipiant. 2° L. 2 de *Abel* et *Cain,* c. 2 habet : *Solvitur corpore anima, et post finem vitæ hujus adhuc tamen futuri judicii ambiguo suspenditur;* ergo.

R. — *N. C. Ad. 1.* S. DOCTOR quidem *receptacula subterranea* probat ex 4. Esdræ 7 respectu justorum V. T.; at post Christum *mansiones justorum* dicit esse *in cœlis;* omnibus autem dicit expectari mercedem non essentialiter tantum, sed etiam integraliter completam, animæ et corpori publice

dandam, quæ proprie corona dicitur. Mentem suam declarat, c. 11 ejusdem libri item in ep. 16 in qua scribit : *Acoleum defunctum esse possessorem civitatis æternæ, quæ in cœlo est, omnia jam ipsi esse aperta, et videre facie ad faciem.*

Ad 2. *D.* Anima suspenditur ambiguo diei judicii extremi, quam et ipsi Sancti nesciunt *C.* Suspenditur ambiguo suæ beatitudinis *N.*

Inst. 2. S. Aug. 1° c. 209. *Enchir.* et alibi diserte asserit, animas ad resurrectionem usque contineri *abditis receptaculis, et sinu* Abrahæ. 2° Negat, *animas beatitudine jam frui*, quia Tr. 49 *in Joann.* dicit : *Promissa est resurrectio carnis, mortis consumptio, vita æterna cum Angelis : hoc omnes simul accepturi sumus.* 3° Idem in Ps. 43 sic loquitur : *Illa visio facie ad faciem liberatis in resurrectione servatur;* ergo.

R. *ad* 1. S. Aug. de *sinu* Abrahæ dubitat, eumque distinguit a cœlo, sed modo ancipiti, nec constanter : nam multis aliis in locis sinum Abrahæ confundit cum regno cœlorum; proin quamvis de loco animarum anceps, de felicitate tamen certus fuit.

Ad 2. Non negat, animas jam frui beatitudine incompleta, sed completa; atque in eo ponit discrepantiam inter beatitudinem hominum et Angelorum, quod Angeli tanquam spiritus statim ab initio completam beatitudinem acceperint.

Ad 3. *D.* Illa visio quoad certum perfectionis gradum in resurrectione servatur *C.* Quoad substantiam *N.* S. Aug., videtur sensisse, homines resumpto corpore habituros esse intensiorem beatitudinem, cum, ut L. 12 de *Gen.*, c. 35 ait, anima sine corpore non possit substantiam Dei sic videre, ut Angeli vident, ob naturalem inclinationem ad suum corpus. S. Thomas in hunc locum Aug. dicit, beatitudinem fore extensive majorem, cum gaudium etiam sit refundendum in corpus.

Inst. 3. S. Bern. 1° Serm. 4 in festo SS. OO. *Interim sub* Christi *humanitate feliciter Sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam Angeli ipsi prospicere, donec veniat tempus, quando non jam sub altari collocentur, sed exaltentur super altare* (h. e., videant etiam Divinitatem). 2° Item Serm. 3 in eod. Festo dicit : *Jam multi in atriis stant, expectantes, donec recipiant corpora sua... in illam enim beatissimam ordinarie domum non intrabunt sine corporibus suis;* ergo.

R. *ad* 1. — *D.* Sub humanitate Christi, eamque intuentur secundum se præcise spectatam *N.* Ut subsistentem in Verbo, sive ejus etiam Divinitatem, visione scil. simpliciter intuitiva, non tamen completa et consummata *C.* Hæc S. Doctoris mens sat liquet ex Serm. 2 de S. Malach. in quo dicit : *Præsenti vividius est supplicare Majestati, nec jam in fide ambulas, sed in specie regnas.* Serm. 2 de S. Vict. ait : *Jam cœlos ingressus... vere nunc revelata facie speculatur gloriam* Dei... *beata visio, qua in eamdem imaginem transformatur.*

Ad 2. *D.* In atriis a cœlo distinctis, et Deum primum post resurrectionem visuras esse *N.* In atriis, quæ sunt ipsum cœlum, in quo post resurrectionem Deum videbunt visione perfecta et consummata, quæ ipsi dicitur domus Dei *C.* Atque hinc subdit l. c. *Neque præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer, cui debetur.*

Inst. 4. S. Chrys., hom. 42 in *Matth.* docet, justos statim a morte deferri

in sinum Abrahæ, quem dicit, non esse in cœlo; ergo non est certa traditio, cum tot SS. PP. dubie saltem loquantur.

R. — *N. C.* S. Chrys. videtur quidem dubius fuisse de loco, in quo persisterent animæ justorum usque ad diem judicii, non tamen de earum beatitudine : dicit enim hom. 3 in ep. ad Philipp. : *Justi sive hic, sive in futuro seculo fuerint, cum Rege sunt, illic tamen magis ac propius, non per accessum ac fidem, sed facie ad faciem.* Dein tametsi Patres hic fuissent dubii, *primo* attendenda est Traditio Ecclesiæ Rom., ut Iren., L. 3 *cont. hær.* ait : hanc autem circa hoc punctum satis exploratam fuisse, constat ex Greg. M., qui L. 4 *Dial.*, c. 25, ex professo id probat, et in Ps. 4 pœnitentiali ait : *Beatitudo et animabus Sanctorum ante resurrectionem tribuitur et corporibus nihilominus post judicium conferetur.* Non est opus, claram et apertam semper traditionem viguisse apud omnes PP., quia interdum insistitur fundamento, licet clara connexio non appareat, dum veniente ætate magis elucescat.

50. *Obj. IV.* Judicium bonorum et malorum futurum est in *novissimo die*; ergo et præmia ac pœnæ eousque differentur : quia alias frustra futurum esset judicium, si jam reddita essent præmia.

R. — *D. A.* Judicium generale et palam sumendum erit in novissimo die *C. A.* Particulare, in quo singulis reddatur secundum opera eorum *N. A.* Neque judicium generale futurum frustraneum erit, quia cedet ad manifestandam Dei justitiam et misericordiam, clarificandum filium hominis, laudem bonorum et ignominiam malorum, judicandum totum hominem.

Inst. 1. Anima Christi ante resurrectionem suam non ascendit ad cœlum, sed prius descendit ad infernum; ergo et omnes Sancti post mortem in inferno erunt usque ad resurrectionem : siquidem Christi *requies, resurrectio et ascensio* fuerit exemplum nostræ.

R. — *D. A.* Non ascendit ad cœlum corporeum *C.* Ad cœlum formaliter tale, scil. beatitudinem essentialem *N.* Deinde *N. C.* ob apertum discrimen inter Sanctos *V. T. et N. T.*, quorum primis cœlum clausum, secundis cœlum apertum per Christi passionem fuisse, scribit Aug., L. 20 *de Civ.*, c. 19. Denique Christi *requies, resurrectio et ascensio* est exemplar nostræ quantum ad corpus, quod quiescet in sepulchro, resurget et ascendet ad gloriam; non quantum ad animam : nam Christi Anima non descendit ad inferos, ut nobis viam illuc demonstraret, sed ut inde *Patres* educeret.

Inst. 2. Videtur fieri injuria corpori, si anima prius, quam corpus, præmietur; cum tamen utrumque ad meritum concurrat.

R. — *N. A.* Tum quia corpus et anima faciunt tantum unum suppositum, unde corpus tanquam pars ex se non intelligens non habet jus contra animam, quod lædatur : tum quia anima proprie et principaliter est causa meriti : tum quia anima separata est capax gloriæ, non item corpus separatum.

Inst. 3. Dæmones non punientur ante diem judicii, ut colligitur ex Matth. 8, 29; Luc. 8, 31; et ex doctrina Patrum; ergo nec impii punientur; nec boni præmiabuntur ante diem judicii.

R. — *N. A.* Vide dicta superius. Id quidem verum manet, dæmonibus tempore judicii adhuc majora imminere tormenta per futuram in inferno

detentionem perpetuam, quia tunc non poterunt amplius nocere hominibus, atque eorum fraudes et imbecillitas patebunt.

Quæres. *An* Joannes XXII *tenuerit, animas hominum ante judicium extremum non videre intuitive* Deum.

51. R. *I.* Joannes Papa nihil in hac materia *definivit*; testantur hoc : 1° TT. Parisienses, qui a Philippo Valesio Rege Franciæ ad discutiendam hanc de animabus Beatorum controversiam congregati, in sua censoria animadversione anno 1333 edita ita scribunt : *Quidquid in hac materia* Joann. XXII *dixit, non asserendo seu opinando protulit, sed solummodo recitando.* 2° Testatur hoc Bened. XII in Const. sua cit. 3° Testatur id ipse Joannes, tum in epist. ad Philippum *Franciæ Regem* data, ubi dicit, se multa ex Patribus attulisse pro ista sententia, nihil autem de suo dixisse : tum in Consistorio publico coram Cardinalibus habito, ut refert Ptolomæus Lucencis, L. 24 hist Eccl., c. 42 quamvis huic Papæ inimice favens.

52. R. *II.* Non constanter, nec revera tenuit hanc sententiam contrariam : 1um constat ex ejus verbis, quæ pridie mortis suæ protulit, et Bened. XII suæ Constitutioni inseruit : *Fatemur et credimus, quod animæ purgatæ, separatæ a corporibus sunt in cœlo, cœlorum regno et paradiso, et cum* Christo *in consortio Angelorum congregatæ, et vident* Deum *ac divinam essentiam facie ad faciem clare, in quantum status et conditio compatitur animæ separatæ.* 2um colligitur tum ex dictis supra, tum ex ejus factis : nam 1° misit professionem fidei ad Armenos et Persas, in qua ponit verba Concilii Lugdun.: *Credimus illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt : illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis manentes corporibus, vel iisdem exutæ sunt purgatæ, mox in cœlum recipi*; quibus cum dicuntur animæ in cœlo esse, et pro usu illius temporis significatur animas videre Deum, Joannes revera Catholicum dogma tenuit. 2° In Canonizatione S. Thomæ Aquin., S. Ludovici Tolosani, et S. Thomæ Herfordiensis idem dicit, eorum animas in cœlo morari, etc.

Si ais 1°. Joannes P. pro sententia opposita scripsit librum : voluit libere de hac re disputari : id ipsum etiam petiit a Rege Franciæ; ergo tenuit illam sententiam.

R. — *D. A.* Et hæc agendi ratio eo tendit, ut veritas vel potius certitudo magis innotesceret propter Græcorum dissensionem *C.* Secus *N.* Dein librum illum scripsit ante Pontificatum; insuper apud Regem Franciæ protestatus est, non misisse se Gerardum *General. FF. min.*, et alios, ut hanc sententiam prædicarent. Denique ex his plus non infertur, quam quod sententiæ oppositæ aliquando faverit.

Si ais 2°. Ockamus, Marsilius, Gerson, Adrianus VI, et Calvin., testantur suis scriptis, Joannem errasse, imo errorem definivisse; ergo.

Ockam. et Marsil. Ludovico Bavaro Imperatori a Joanne XXII excommunicato et deposito fuere mancipati, adhæserunt Antipapæ Nicolao V ab Imperatore intruso, et multa ex professo tum contra Pontificem, tum contra Pontificiam Sedem impudenter et erronee scripserunt. Gersonem (quem Calvinus ineptissime dicit Joannis synchronum, cum tamen hic obierit

an. 1334 juxta historicos omnes, Gerson autem modo natus sit an. 1363 juxta Trithem. de *Scriptoribus Eccles.*), nimia forsan credulitas Ockamo et Marsilio adhibita perduxit ad illum errorem Joanni affigendum. De Adriano P., ait Emin. Gotti T. L. *Veræ Eccles.*, c. 11, § 1, n. 6 : *Dicendus est is ita scripsisse, cum adhuc esset Theologus Lovan., et ejus opera, suscepto jam Pontificatu, sub ejus tunc Pontificis nomine iterum fuerunt impressa.* Calvinum nequidquam moramur, cujus hic, quinque mendacia detegit Bellarm., *de Sanct. Beat.*, c. 2.

Si ais 3°. Joannes P. in tribus concionibus publice hunc errorem docuit, ut refert Raynaldus auctor coævus ad an. 1331 : vetuit etiam ne quis gradum Magisterii consequeretur in Acad. Paris., ni sacramento se obstrinxisset ad illud dogma defendendum, ut refert Ockamus : jussit adeo incarcerari et vexari eos, qui contrarium docuerunt ac prædicarunt; ergo.

R. — *N. A.* Nam 1° Raynaldus id solum testatur, quod jusserit Pontifex, ut Magistri Paris., quæstionem in utramque partem agitarent, et neutrum pro fidei dogmate ante proponerent, quam a Sede Apost. fuerit hoc dogma declaratum. 2° Ockamus, ut dictum, non meretur fidem. 3° Non jussit, incarcerari eos, qui præcise contrarium docuerunt, sed qui illud ceu dogma fidei ante Ecclesiæ definitionem prædicarent, et contra sentientes hæreseos arguerent.

Si ais 4°. Philippus Valesius, graves minas intentavit Joanni, nisi revocaret sententiam : atque is in duabus Declarationibus fidei expresse illam revocavit, prout refert Petrus de Alliaco; ergo Pontifex erravit.

R. — *N. A.* nam 1° Petrus de Alliaco 70 annis vixit post Joannem, ac proin deceptus inde videtur, quod minas intentatas Gerardo, qui sententiam de dilatione visionis beatificæ usque ad generale judicium publice prædicaverat Parisiis non sine multorum offensione et scandalo, in ipsum Pontificem detorserit : harum enim minarum nullam faciunt mentionem Scriptores coævi, neque de illis conqueritur Joannes in epist. ad Philippum Regem, sed tantum de minis intentatis contra Religiosos; et DD. Parienses supra relati videntur contrarium insinuare. 2° Non revocavit absolute, sed conditionate, si scilicet aliquid contrarium fidei dixerit; nihil autem ex privato etiam sensu suo dixerat asserens, sed ambigens, paratus, si quid contra veritatem dixisset corrigere, imo actu corrigens; adeoque nullum ex ejus dictis et factis præjudicium Cathedræ Apost. sequitur. Id tamen fatendum est Joannem P. plus æquo in erroneam illam sententiam propendisse, nec usum esse ea providentia, ut everteret malignam expositionem; quamquam si morte præventus non fuisset, re penitius discussa veritatem procul dubio definiisset, uti testatur Bened. XII ejus successor.

§ III.

An justorum animæ nondum plene purgatæ in Purgatorii pœnis detineantur.

53. *Nota.* Cum status gratiæ sanctificantis compatiatur reatum pœnæ temporalis et culpæ venialis, possunt animæ justorum decedere vel sine utroque reatu; quo casu eas statim admitti ad visionem Dei, supra probatum est; vel cum alterutro, aut etiam utroque; quo casu non quidem damnari pote-

runt, quia juxta omnes certum est ac de fide, animas justorum, h. e. in statu gratiæ sanctificantis decedentes ab inferno liberas esse; sed nec gloriam statim adire, quia Apoc. 21, 27. *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum;* attamen cum illis jus ad gloriam maneat, quæ differri, non autem frustrari potest, quæritur, an detur *Purgatorium*, id est, locus et status in altero seculo a loco et statu tam beatitudinis, quam damnationis distinctus, in quo animæ justæ reatum aliquem temporalem habentes, satispatiendo solvant debitum residuum justitiæ divinæ? Præter veteres hæreticos, Aerium, Waldenses, Apostolicos, etc. *Purgatorium*, uti et suffragia pro mortuis respuit Lutherus, asserens, animas solum purgari in vita et in morte : Calvin., L. 3 Inst., c. 5, § 6 dicit : *Purgatorium exitiale Satanæ commentum, quod* Christi *crucem evacuat, quod contumeliam misericordiæ* Dei *non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit et evertit.*

54. *Dico.* **Datur Purgatorium, in quo animæ justæ nondum plene purgatæ satispatiuntur.**

Prob. I. ex V. T. 2 Mach. 12, 46 dicitur : *Sancta ergo et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Horum verborum sensus non est, quod Judas jusserit orare pro mortuis, *ut resurgant;* sed iste : Judas religiose cogitans de futura resurrectione, ac proin de immortalitate animæ, at formidans, ne animæ interfectorum propter peccatum aliquod in alio seculo puniantur, jussit pro iis orationes offerri et sacrificia, *ut a peccatis solvantur.* Ideo autem, v. 43 et 44 simul memorantur resurrectio mortuorum, atque animæ immortalitas, quia cum anima sit pars hominis et quidem ceu forma corporis, non est verisimile, quod Deus voluerit animam perpetuo vivere sine corpore. Hinc Christus Matth. 22 ut probaret resurrectionem contra Sadducæos, *ego,* inquit : *sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob,* ac subjungit : *non est Deus mortuorum, sed viventium;* inde vero non potuisset inferre, ergo mortui resurgunt, nisi supponatur, quæstionem de resurrectione corporum et immortalitate animarum pro una eademque accipi : posset namque alias negari consequentia, quia Deus esset *Deus viventium,* siquidem animæ vivant, quamvis corpora non resurgant. V. num. 60 *Inst.* 3.

Chrys. hom. 32 *in Matth.* usus est Tob. 4, 18 ad stabiliendam hanc veritatem : *Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus.* Origen., hom. 25 in *Num.*, Ambros. in Ps. 36 et 118, adducunt Ps. 65, 12 : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium,* intelligentes par aquam *Baptismum*, per ignem *Purgatorium.* Aug., L. 20 *de Civ.*, c. 25 illud Isa. 4, 4 : *Lavabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, et sanguinem emundabit de medio eorum spiritu judicii et spiritu combustionis,* de Purgatorio explicat.

Prob. II. Ex N. T. 1° Matth. 12, 32 ait Christus : *Qui autem dixerit verbum contra* Spiritum *S., non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro;* ergo peccata quædam in futuro seculo remitti possunt per suffragia Ecclesiæ : ita inferunt S. Aug., L. 12 *de Civ.*, c. 24 et L. 6 in *Julian.*, c. 5; Greg. P., L. 4 Dial., c. 39; Beda in c. 3. *Marci*, Bern., hom. 66 *in Cantic.*, qui hoc uno textu usus est contra præsentem hæresin sui temporis. 2° Luc. 12, 58 et Matth. 5, 25 et 26 : *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum eo in via, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro,*

et mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem, intelligitur autem per *viam* vita, per *adversarium* lex Dei vel conscientia, per *judicem* Christus, per *ministros* Angeli boni vel mali, per *carcerem* infernus, in quo tamen aliæ mansiones sunt pro damnatis, aliæ pro purgandis, per *quadrantem ultimum* peccata minuta; ex quo loco Purgatorium inferunt Tertull., L. de *anima*, c. 17; Cypr., L. 4, ep. 2; Orig., hom. 35 in *Luc.*; Hier. in c. 5 Matth. 3° Item 1ª Cor. 3, 13, etc. : *Si quis super fundamentum hoc superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam : uniuscujusque opus manifestum erit : dies enim Domine declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse tamen salvus erit, sic tamen, quasi per ignem.*

Intelliguntur hic per *fundamentum* Christus, per *ædificantes* Apostoli, vel ii, qui fidem Christi deferunt ad populos Evangelii ignaros; per *aurum, argentum et lapides pretiosos* doctrina utilis utiliter et cum bono exemplo proposita; per *ligna, fœnum et stipulam* doctrina curiosa, inutilis et sine fructu proposita; per *diem Domini* dies judicii vel particularis, vel ut plerique volunt, universalis, ut sensus sit : salvus erit, ut illi, qui per ignem transierunt; ex quo, cum duntaxat manifestatur publice in extremo judicio, neutiquam sequitur, quod nullus Sanctus ingredi possit in cœlum ante diem extremi judicii, id quod damnatum a Conc. Flor.; per *ignem opus probantem* severum Dei judicium omnia examinans, non vero ignis purgans et affligens, tum quia opera igne materiali examinari non possunt, et Apostolus aperte distinguens inter opera et operantes, hos dicit per ignem, h. e. Purgatorii transire, et illa per ignem, h. e. judicii probari : tum quia sequeretur, omnes etiam sanctissimos transire et salvari per ignem Purgatorii, cum per ignem, de quo hic sermo est, omnes probentur : tum quia judicium Dei rectissime vocatur *ignis*, utpote purissimum, celerrimum, efficacissimum, et maxime penetrativum, Dan. 7; Malach. 3; Hebr. 12; tandem per *ignem, per quem transiens salvus erit*, ignis Purgatorii. Hoc loco utuntur Ambr., Hier., Aug., Greg. M.

Denique 1ª Cor. 15, 20 : *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid baptizantur pro illis?* Intelligitur hic *baptismus lacrymarum et pœnitentiæ* per orationes, jejunia et eleemosynas, ita ut sensus sit : quid facient, qui orant, jejunant, et affligunt se pro mortuis, si mortui non resurgunt? ita exponunt Ephrem in suo Testam., Petrus Cluniac. contra Petrobrus., Dionys., Hugo et alii in hunc locum.

55. *Obj. I.* Ex verbis Christi Matth. 12, 32 non sequitur : peccatum in Spiritum S. non remittitur in *futuro seculo;* ergo quædam alia remittuntur in altero seculo, cum ex negatione non sequatur affirmatio.

R. — *D. A.* Non sequitur secundum leges dialecticæ *C. A.* Secundum leges prudentiæ *N. A.* Inepta esset divisio a Christo facta, si alterutrum membrum non subsisteret, sive si nullum daretur peccatum in *futuro seculo* remissibile; sicut inepte quis diceret : neque in hoc seculo nubam, neque in futuro, quia in futuro nullæ erunt nuptiæ. Adde, quod, cum dixisset Christus Joann. 18, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo,* Pilatus intulit,

v. 37 : *Ergo Rex es tu?* quam illationem Christus approbavit, et non respondit affirmationem ex negatione non recte sequi.

Inst. 1. Potuisset Christus dicere : Hoc peccatum nec in hoc seculo, nec in inferno remittetur, quin tamen hinc colligere possemus peccata remitti in inferno; ergo a pari.

R. — *N. C. primum* enim fuisset ineptum, tum quia opponeretur tempus loco, scil. seculum inferno; tum quia constat, non fieri remissionem in inferno; horum autem neutrum de *secundo* dici potest.

Inst. 2. τὸ *neque in hoc seculo, neque in futuro*, significat idem, ac in æternum, juxta illud Marci, 3, 29 : *Non habet remissionem in æternum* : atqui τὸ *æternum* significat hic tantum tempus præsentis vitæ, sicut Petrus dixit Christo Joan. 13, 8 : *Non lavabis mihi pedes in æternum* ; ergo.

R. — *Tr. M.* Quia Marcus fuit compendiator Matthæi, proin ille ex hoc tanquam copiosiore potius explicari debet. Adhæc Christus id dixit, vel ut habet Matthæus, vel ut habet Marcus, vel ut habet uterque? si primum et ultimum, habetur intentum : si secundum, quod probabile non est; ergo Matthæus duce Spiritu S. exposuit verba Christi, et si non inepte exposuit, indicavit, aliqua peccata dimitti in futuro seculo. Atque sic recte SS. Patres ex hoc modo loquendi, neque in hoc, neque in seculo futuro, inferebant, esse peccata post hanc vitam remittenda. *N. m. et parit.* τὸ *in æternum* apud Marcum ut sumatur proprie, debet sumi et pro hoc et pro futuro seculo; quod autem τὸ *in æternum* a Petro prolatum sic sumi non possit, habetur ex eo, quia in *futuro seculo* non lavantur pedes, et *Le hôlam* phrasi hebraica passim durationem longi temporis sonat.

Inst. 3 Christus hic loquitur de remissione culpæ; ergo nihil exin probatur pro remissione pœnæ in *Purgatorio*.

R. — *D. A.* Loquitur de remissione culpæ peccati venialis *C.* Tantum de remissione culpæ, et non simul de remissione pœnæ peccati mortalis *N.* Sensus Christi est hic : peccatum in Spiritum S. nec quoad culpam, nec quoad pœnam, nec in hoc, nec in futuro seculo remittetur, cum e contra alia peccata vel remittantur in hoc seculo quoad culpam et pœnam saltem æternam simul, vel in futuro remittantur quoad culpam et pœnam simul, ut sunt venialia, vel in futuro tantum remittantur quoad pœnam, ut mortalia.

Inst. 4. Christus hic comparat alia peccata mortalia cum peccato graviore in Spiritum S.; ergo si negaret peccatum in Spiritum S. remitti in futuro, assereret alia minora quidem, sed tamen mortalia ibidem remitti : atqui hoc etiam juxta nos est falsum; ergo.

R. — *D. seq.* Assereret peccata licet minora, sed tamen mortalia ibidem remitti quoad pœnam, et sic compleri quoad remissionem *C.* Quoad culpam *N.*

Inst. 5. Christus duntaxat dicere vult, quod blasphemia in Spiritum S. in hoc judicio, et in novissimo non remittatur; et Luc. 12, 10 solummodo dicitur, quod non remittatur : sed ita nulla fit mentio Purgatorii; ergo.

R. *Ad* 1. — *T. M. N. m.* nam quinam erunt, quibus hic non est remissum, et in judicio remittetur? nonne illi, qui aut venialium purgatione indigebunt, aut solius pœnæ debitores erunt? qui enim hinc cum injustitia decedunt, certe in judicio non absolventur. *Ad* 2. Lucas modo loquendi apud Hebræos usitato solum indicat, quod blasphemia in Spiritum S. difficulter remittatur.

56. *Obj. II.* Eccles. 11, 3 dicitur : *Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit;* non igitur datur locus tertius, sen *Purgatorium.*

R. 1°. Sensus litteralis agit de morte hominis, et est hic : Sicut lignum aliquando cadit, et ibi manet ac putrescit, ubi cecidit : sic homines necessario moriuntur, et si mortui fuerint, *per se* nunquam resurgent; unde textus hic contra nostram quæstionem nihil probat.

R. 2°. Etiamsi textus intelligendus sit de altera vita, nihil nobis officit : nam 1. per hoc non evertitur *limbus Patrum*, qui ante CHRISTUM pie defuncti sunt, nec ad infernum tamen aut cœlum devenerunt; ergo nec evertitur Purgatorium. 2. Etiam qui sunt in *Purgatorio*, pertinent ad cœlum, quo purgati ascendent; ergo post mortem non erit nisi duplex status perpetuo mansurus.

Inst. 1. In Scriptura duo tantum ordines hominum reperiuntur, quorum uni dicet CHRISTUS Matth. 25, 34 : *Venite benedicti*, alteri v. 41 : *Ite maledicti;* item Marci 16, 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur;* ergo.

R. — *D. A.* Duo tantum ordines sunt in extremo judicio *C. A.* Statim post mortem *Subd.* Perpetuo mansuri *C.* Nequidem ad tempus ab aditu felicitatis suspendendi *N.*

Inst. 2. Post fidelium mortem statim erit præmium, merces et gloria : nam. Ps. 126, 2 et 3 dicitur : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* 2ª Cor. 5, 1 : *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur : habemus domum non manufactam, æternam in cœlis.* Denique CHRISTUS latroni extrema hora converso dixit Luc. 23, 43 : *Hodie mecum eris in paradiso;* ergo.

R. — *N. A.* Hoc enim nec in *primo*, nec in *secundo* textu asseritur, cum post mortem possit esse hæreditas Domini, et habitatio æterna in cœlis, quin statim a Beatis adeatur. *Primus* autem spectat etiam ad resurrectionem generalem : *secundus* tantum probare intendit, cœlum non patere ante mortem : *tertius* vero recenset privilegium paucorum, quo nec legem facit pro omnibus, nec etiam similitudinem operum et meritorum apud omnes reperit.

Inst. 3. Apoc. 14, 13 dicitur : *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos;* ergo justi omnes statim post mortem præmiantur.

R. — *N. C.* Nam vel *amodo* non designat tempus a morte, sed a fine judicii extremi, ut textus hujus capitis exigit, et S. ANSELMUS advertit : vel textus loquitur de viris omnino perfectis, ac præsertim Martyribus, non autem de omnibus justis, ut exponit RICHARD. A S. VICT. D. THOMAS id explicat de laboribus hujus vitæ, a quibus justi quiescunt post hanc vitam, nondum tamen a pœnis, donec plene purgentur, ubi opera eorum sive retributio sequetur illos.

Inst. 4. Peccatoribus conversis nihil restat solvendum, Ezech. 18, 8 : *Cum aversus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatum ejus non recordabor* : nec cum peccato decedentibus aliquid proderit, ut intelligitur ex Eccles. 9, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.*

R. — *N.* utrumque. Per *primum* textum tantum intelligitur reconciliatio

hominis cum DEO, et remissio pœnæ æternæ, non autem omnis etiam pœnæ temporalis; cum DAVID etiam post remissum sibi peccatum a DEO castigatus fuerit. Per *secundum* solum innuitur, non esse in altera vita locum merendi, quod ultro concedimus, cum animæ in Purgatorio non mereantur, sed satispatiantur.

57. *Obj. III.* S. CYPR. ad DEMETRIAD. ait : *Quando isthinc excessum erit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus;* ergo.

R. — *D. A.* Nulla erit pœnitentia, nulla satisfactio, qua impetretur remissio culpæ, et quidem mortalis *C. A.* Qua remittatur pœna, aut fiat satispassio pro culpa veniali *N. A. Primum* hic negasse S. CYPRIANUM, constat ex contextu. Idem respondetur ad textum CHRYSOST. hom. 2 de *Laz.*, ubi de *Epulone* in peccato mortali mortuo loquitur; nec non ad textum AMBROSII L. de *bono mortis*, c. 2 ex simili ratione, quæ patet ex contextu.

Inst. I. S. HIER. in c. 9 *Amos* ita habet : *Quando anima vinculis corporeis laxata, volandi, quo velit, habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur.... aut certe ad cœlestia sublevabitur :* ergo

R. S. PATER loquitur hic de solutione animæ per meditationem, non per mortem, prout clarum est ex subnexis. Si tamen quis intelligat de solutione per mortem, cœlum aut infernum dicimus futurum esse locum perpetuæ mansionis pro animabus, per quem non excluditur Purgatorium temporarium.

Inst. 2. THEOPHYL. in c. 8 Matth. scribit : *Anima egressa in mundo non errat : justorum enim animæ in manu* DEI *sunt; peccatorum vero et ipsæ hinc abducuntur ut anima Divitis.*

R. Tantum definit, animas mortuorum non vagari super terram, ut dæmones. Quamvis autem duo assignet animarum receptacula, per hoc non excluditur Purgatorium : tum quia non loquitur *exclusive,* tum quia Purgatorium ad alterutrum referri potest, cum animæ purgandæ revera sint in manu DEI, et *Purgatorium* etiam dici possit inferni pars, vel certe locus inferno vicinus.

Inst. 3. S. AUG., ep. 80 ad *Hesych.* ait : *In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi dies novissimus : quoniam qualis in die isto moritur, talis in die illo judicabitur.* Item, ep. 54 ad *Macedon.* dicit, *post hanc vitam non esse locum morum corrigendorum.* Demum L. *Hypognostici* cum dixisset, *primum* locum esse cœlum, *secundum* gehennam; subjungit : *tertium penitus ignoramus, imo nec esse in scripturis Sacris invenimus.*

R. *ad 1.* — *D.* Ita ut per illam æqualitatem intelligatur, non crescere merita vel demerita post mortem, et hic judicium fore ad gloriam vel gehennam *C.* Ut intelligatur, nihil satispatiendum pro restantibus debitis, et statim omnes admittendos ad gloriam *N.*

Ad 2. D. Non esse locum morum corrigendorum per conversionem *C.* Per satispassionem et remissionem pœnarum. *N.*

Ad 3. D. Nescimus tertium locum in sensu Pelagiano *C.* In catholico, intelligendo pro limbo Patrum aut Purgatorio *N.* PELAGIANI negantes peccatum originale statuebaut pro parvulis non baptizatis locum aliquem tertium perpetuum beatitudinis naturalis a cœlesti gloria et gehenna distinctum; et

hunc duntaxat negat Aug., si tamen hic liber sit Augustini, de quo plurimi dubitant.

Inst. 4. Chrysost. Theophyl. et Euthym. illa Christi verba Matth. 5 et Luc. 12 *esto consentiens adversario tuo...* explicant de judicio humano; et S. Aug. per *novissimum quadrantem* intelligit pœnas gehennæ ita, ut illud, *donec reddas*, significet æternitatem, sicut dum dicitur Matth. 1 : *non cognoscebat eam, donec peperit*, h. e. nunquam cognovit; et juxta illud Ps. 109, *sede a dextris meis, donec ponam...* ergo exinde nihil probatur.

R. — *N. C.* Unus est Chrysostomus, qui litteraliter explicat de judicio humano : reliqui omnes SS. PP. dicunt esse parabolam, tum quia Christus non tam serio solet instruere humanam prudentiam; sæpe testatur ipse, filios hujus seculi prudentiores esse filiis lucis : tum quia Christus non tam assertive diceret, *amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*, cum non raro fiat, reos vel alterius favore liberari, vel per se fugere, ac nihil solvere. S. Augustini exempla non admodum urgent, tum quia non videtur recte dici posse, *donec solvas ultimum quadrantem*, nisi aliquando futurus sit finis solutionis : tum quia ex eo, *non cognoscebat eam, donec peperit*, non quidem licet inferre; ergo postea cognovit eam, bene autem; ergo illa aliquando paritura erat, sicut ex illo *sede a dextris meis, donec ponam*, ne inepte dicatur, *donec*, recte infertur, ergo aliquando ponentur omnes inimici Christi sub pedibus ejus.

Inst. 5. Matth. 5. Sermo est de amore inimicorum et de condonandis injuriis, quæ cadunt sub grave præceptum; adeoque non de peccatis venialibus, aut pœna temporali Purgatorii inde quidquam evincitur.

R. Christus ea verba bis protulit, diversis occasionibus oblatis; hinc quamvis expositio S. Chrysostomi, quam etiam hic sequuntur Theophyl. et Euthymius, ad textum et contextum Matthæi utrumque tolerari possit; tamen eadem verba Luc. 12 prolata iidem nobiscum exponunt. At Luc. 17. Christus loquitur de judicio futuro, *sint lumbi vestri præcincti... vigilate, quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet... cum ergo vadis cum adversario tuo...* ac si parabola ducta ab iis, quæ homines facere solent, diceret : uti debitores omnem dant operam, liberandi se a creditore, antequam ad judicium veniatur : ita et vos...

Adde *scopum et fundamentum* parabolæ : non enim sumpta est similitudo ab homicida, vel adultero, vel proditore, qui ad triremes, perpetuos carceres, mortem condemnantur, sed a *debitore* qui, non ob crimen, sed debitum pecuniarium, conjicitur in carcerem, donec solvat : solent autem, ut experientia testatur, ordinario homines ejusmodi post aliquod tempus egredi, et a pœna liberari.

Inst. 5. S. Chrysostomus et alii PP. græci in illo Apostoli 1ª Cor., 3 per *Fundamentum* non Christum intelligunt, sed veram fidem; τὸ *salvus erit*, ita explicant : nunquam penitus consumetur, *sed quasi per ignem*, quia semper ardebit; alii ignem conflagrationis, alii ignem tribulationis, alii ignem judicii divini volunt esse illum, quem nos Purgatorii ignem contendimus ab Apostolo assertum; ergo ex his non fit solida probatio.

R. Si per *Fundamentum* intelligitur vera fides, sequitur omnes fideles salvari, qui fuit error Origenis. Si per *ignem* intelligitur æternus modo a græcis exposito, solutio est nimis dura, coacta, et contra communem usum Scripturæ S., quæ nomen *salutis* semper accipit in bonam partem, prout

demonstrarunt PP. Latini in C. Flor., ante 1am Sess. Porro Apostolus dicit, *per ignem*, quod transitum, non *in igne*, quod mansionem denotat. Neque intelligi potest ignis *conflagrationis*, quia alias nemo coinquinatus peccatis venialibus posset ad cœlum pervenire ante judicium extremum : neque ignis *tribulationis*, quia alias etiam, qui ædificant aurum, salvarentur quasi per ignem; adde, quod *dies Domini* in Scripturis dicatur tempus alterius vitæ, cum tempus præsens dicatur dies nostra, et quod tempus vitæ præsentis non declaret *opus uniuscujusque, quale sit*, cum tribulationes et bonis et malis communes sint : neque ignis *judicii divini*, contra Luth. et Calv., tum quia Apostolus loquitur de pœna proprie dicta ζημιωθησέται, mulctabitur, quod apud græcos perfrequens est ζημιούσθαι θανάτῳ, morte mulctari, tum quia transitum per ignem opponit mercedi, tum quia sequeretur omnes salvari quasi per ignem.

Nec obstat, quod in eodem textu diversimode accipiatur *ignis* : hæc enim non tam æquivocatio, quam elegans allusio est hoc sensu : Dies Domini declarabitur per ignem *conflagrationis* : eadem dies declarabit per ignem *judicii* uniuscujusque opus : et sicut dies Domini, sicut opera per ignem manifestabuntur, ita etiam operarii, qui purgatione egebunt, per quendam ignem scilicet *Purgatorii* purgati salvabuntur.

58. *Obj. IV.* Christus abunde pro nobis satisfecit, ipse solus liberator et redemptor noster; ergo remissa culpa nihil satisfactionis præstandum restat.

R. — *D. A.* Satisfecit, ita tamen, ut hæc satisfactio debeat nobis applicari per Sacramenta, vel opera meritoria *C. A.* Ita ut illa omnibus conveniant sine propria vel aliena applicatione *N. A.* Hinc Dan. 4, 24 dicitur : *Peccata tua eleemosynis redime;* Phil. 2, 12 : *Cum metu et tremore salutem vestram operamini;* proin una est satisfactio, et quidem nostra, sed quæ habeat meritum per gratiam, quæ impetrata nobis est per Christi satisfactionem; hæc ergo non excluditur, sed per Sacramenta vel bona opera applicari debet.

Inst. 1. In baptismo remittitur omnis et culpa et pœna; ergo etiam in Sacramento pœnitentiæ.

R. — *Tr. A.* Quia quamvis per baptismum tollatur præter culpam omnis pœna futuri seculi, sive *Inferni* et *Purgatorii*, tamen temporalis hujus vitæ non aufert, quales sunt morbi et mors, aliaque vitæ incommoda. *D. C.* Ergo etiam in Sacramento pœnitentiæ adæquate et integraliter sumpto, etiam secundum satisfactionem *C.* Essentialiter duntaxat sumpto, secundum absolutionem præcise *N.* Quippe baptismus est Sacramentum regenerationis, quod operatur plenariam hominis renovationem, unde pœnas proprie tales, prioris status ultrices habere non debet, quamvis pœnalitates adhuc relinqui possint, utpote quæ etiam in statu naturæ puræ locum haberent. Sed pœnitentia est Sacramentum reconciliationis, quæ nec exigit esse omnino gratuita et liberalis, nec excludit satisfactionem in hac, nec satispassionem in altera vita, præsertim cum hoc Sacramentum dicatur a SS. PP. *baptismus laboriosus.*

Inst. 2. Pœna est propter culpam; ergo sublata culpa cessat pœna.

R. — *D. A.* Pœna est propter culpam, h. e. nulla infligeretur pœna, si nulla præcessisset culpa *C. A.* h. e. non manet pœna, nisi maneat etiam culpa *N. A.* Numquid Num. 20, 12 culpa infidelitatis remissa, Moyses et Aaron

puniti sunt morte et exclusione a terra promissa? Numquid 2 Reg. 12, 14 peccato adulterii, et 2 Reg. 24, 13 peccato superbiæ remisso, DAVIDI pœnæ temporales subeundæ erant?

Inst. 3. Decedentes in peccato mortali statim puniuntur; ergo decedentes in gratia et charitate statim præmiantur. *Prob. C.* Charitas se habet ad præmium, sicut peccatum ad supplicium; ergo.

R. — *N. C. et A. prob.* Nam bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu; stare autem potest cum charitate peccatum veniale, aut debitum pœnæ temporalis, cui charitas non opponitur, et quod tamen perfectionem boni, adeoque consecutionem præmii ad tempus impedit; nullum autem *mortale* habet adjunctum aliquod bonum, per quod non sit ultimum malorum, et cum quo nihil stat, quod in altera vita mereatur præmium.

Inst. 4. Nullus est locus, in quo post hanc vitam præmientur opera bona malorum; ergo nec locus, in quo puniantur opera mala bonorum, cum DEUS semper sit pronior ad præmiandum, quam ad puniendum.

R. — *N. C.* Quia bona opera malorum vel in peccato fiunt, et sunt mortua: vel per peccatum mortale subsequens mortificantur, adeoque nihil merentur post hanc vitam; neque illis tum datur præmium, licet DEUS in hac vita concedat illis mercedem aliquam, non tamen stabili et certa lege promissam. Sed opera mala justorum vere merentur pœnam, quæ cum non semper tota solvatur in hac vita, solvi debet in altera, quia divinæ justitiæ jura frustrari et elidi non possunt. Quod autem DEUS, licet pronior ad præmiandum, ita disponat, inde est, quia scilicet mortuus in mortali nihil habet, unde possit DEO gratus esse, proin statim puniendus est: mortuus vero in gratia gratus quidem DEO est in ordine ad vitam æternam, sed propter venialia, aut pœnam justitiæ divinæ debitam, nonnisi his expiatis obtinendam.

Inst. 3. Purgatorium statuitur partim ad remissionem culpæ venialis, partim ad satisfaciendum pro pœna: atqui neutrum habet locum post hanc vitam: culpa enim nec per actum meritorium, nec per pœnitentiam remitti, nec satisfactio, cum sit pariter meritoria, poni in futuro seculo potest; ergo.

R. *ad* 1. Juxta probabiliorem culpa venialis remitittur sub ingressum *Purgatorii* per actus charitatis et patientiæ elicitos ab anima: qui quamvis non sint meritorii novæ gratiæ aut gloriæ, tamen sunt impetratorii veniæ, et virtualis pœnitentia dici possunt, ut VASQ., BELLAR. et alii volunt.

Ad 2. Animæ in Purgatorio rectius dicuntur satispati, quam satisfacere; illud vero nihil aliud est, quam patiendo solvere debitum, et expiare, quod per modum pœnæ sustinendum erat.

§ IV.

An justorum animæ in Purgatorio detentæ Fidelium suffragiis juvari possint?

59. *Dico.* **Justorum animæ in altera vita viventium suffragiis juvantur.**

Prob. I. ex Script. 2 Mach. 12, 46, dum SS. Paginæ narrassent, JUDAM MACHABÆUM in Jerusalem misisse 12,000 drachmas argenti in sacrificia pro militibus mortuis expendendas, subdit: *Sancta ergo et salubris est cogitatio,*

pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Ex quo constat : 1° Mortuos post hanc vitam posse solvi a peccatis : 2° Sacrificia et orationes vivorum prodesse defunctis : 3° Non expiari semper in morte omnes peccatorum reliquias, ut dixit LUTHER. 4° Posse hominem mori pie ac sancte, et tamen habere debitum aliquod solvendum.

Conf. 1ª Cor. 12, 25 dicitur, inter membra unius corporis esse communionem meritorum, eaque a se mutuo juvari, quotiescumque egent : unde profitemur in Symb. Apost. *Sanctorum Communionem :* atqui omnes fideles sunt unum corpus, et una eademque quoad substantiam ECCLESIA est in terris militans, patiens in Purgatorio, et in cœlo triumphans, licet quoad statum sit diversa; ergo sicut viventes Sanctorum precibus, ita defuncti viventium suffragiis sublevari possunt.

Prob. II. ex Trad. Ecclesiæ, quæ semper solita est orare pro defunctis; ita testatur S. DIONYS. de *Eccles. Hier.*, c. ult.: *Antistes precibus a divina Benignitate contendit, ut omnia peccata, quæ humana fragilitate imbecillitateque admissa sunt, ei, qui excessit e vita, remittat, et eum in lucem ac regionem vivorum deducat.* Idem asserit S. CHRYS., L. 6 de *Sacerd.* et hom. 41 *in ep.* 1ª *Cor.*, TERTUL., L. de *Coron. mil.*, c. 3 : *Oblationes pro defunctis annua die facimus.* S. AMBR. pro fratre suo, et defunctis Imperatoribus solemnes ad DEUM supplicationes, ac Missæ Sacrificium obtulisse legitur. S. AUG., L. 9 *confess.*, c. 13 testatur, matrem suam MONICAM vehementer rogasse, ut sui post obitum memoria fieret in sacrificiis, ejusque votis satisfactum, cum pro ea oblatum est *Sacramentum pretii nostri.* L. *de cura pro mort.*, c. 1 et Serm. 17 *de verb. Apost.* dicit, hanc doctrinam contineri in libris *Machab.*, traditam esse a PATRIBUS, et universæ ECCLESIÆ auctoritate firmatam.

Prob. III. Ex publicis fidei professionibus et definitionibus *Conciliorum*, maxime FLOR., Sess. ult. in Decr. de *Purg.*, cui *Græci* subscripserunt : et TRID., Sess. 25 in Decr. de *Purg.* et Profess. Fidei.

60. *Obj. I.* Libri *Machab.* non sunt canonici : Auctor ipse in fine veniam erratorum petit : demum illatio hæc : *sancta ergo et salubris est cogitatio,* etc., non videdur convenire historico; ergo ex hoc loco nihil probatur.

R. — *N. A.* Nam 1° S. AUG., L. 18 de *Civ.*, c. 36 ait : *Libros Machab. non* JUDÆI, *sed* ECCLESIA *pro canonicis habet. Primum* est, quia hi libri scripti sunt post mortem ESDRAE, cui canon librorum sacrorum apud judæos tribuitur. *Secundum* autem constat ex epist. 3 INNOC. I ad *Exsup.* scripta an. 405, ex CONC. CARTHAG. sub AUR. III an. 397, cui interfuit S. AUG., eumdemque canonem recenset, L. 2 de *Doct. Christ.*, c. 8, ex Decr. GELASII in CONC. ROM. an. 494. 2° Auctor horum librorum in fine veniam petit elocutionis, sicut etiam PAULUS excusat sui sermonis imperitiam. 3° Non insolitum historicis, quædam ex rebus gestis colligere : quamvis autem in græco desit τὸ *ergo*, hoc tamen sensum non mutat. V. P. *Widenhof.* hic.

Inst. 1. S. AUG., L. 2 cont. Epist. GAUDENTII, c. 23 : ait, librum *Machab.* quidem utilem esse, sed sobrie, h. e. caute legendum : et S. HIER., ep. 115 scribit : *Machabæorum libros Ecclesia quidem legit, sed eos inter canonicas Scripturas non habet,* testaturque, quod LAODICENA SYNODUS in catalogo librorum SS. eos omiserit; ergo.

R. *Ad* 1. Sobrie legendus est liber *Machab.* ob exempla seipsos occiden-

tium sicut *Genesis* ob incessum Judæ et Lothi, quæ non sunt imitanda; non vero ob errores ibi contentos.

Ad 2. Exin sequitur, quod ipsi concedimus, hos libros non esse proto sed deuterocanonicos, utpote de quibus ante definitionem Ecclesiæ etiam a DD. et Episcopis dubitatum est. Laodic. Synodus celebrata est an. 356, et sic ante primam declarationem Innoc. I dubitare sine errore licuit; id vero nunc post Conc. Flor. et Trid. non licet. S. Hier. illud e sensu Judæorum aliorumve locutus videtur : alias sibi in Prologo altero contradiceret.

Inst. 2. Milites l. c. obierunt in peccato mortali, quia, ut dicitur, v. 40, contra expressam prohibitionem Dei Deut. 7, 25 inventa apud illos sunt *donaria idolorum*, quam ob causam etiam corruerunt; ergo ex hoc loco vel nihil, vel nimium probatur.

R. 1° Ibid., v. 45 dicitur de iis, qui occubuerunt, quod *cum pietate dormitionem acceperint* : ergo forte vel excusabantur a mortali per ignorantiam legis, qua aut nullum, aut veniale tantum peccatum istud factum existimarunt; vel ignorantiam facti, qua spolia ista esse *donaria idolorum* nesciverunt : vel si graviter peccaverunt, aut omnes aut aliqui ante pœnitentiam egerunt, quam in pugna illa pro patriis legibus cum pietate suscepta obierunt.

R. 2° *Tr. A. N. C.* Hoc saltem ex historia constat, commune tum fidelium dogma et persuasionem consuetudine firmatam fuisse, pie defunctos fidelium sacrificiis juvari posse, quod hic sufficit.

Inst. 3. L. c. supponitur, Judam credidisse, quod defunctorum animæ non sint glorificandæ, nisi in generali resurrectione, cum dicat v. 43 et 44 : *Bene et religiose cogitans de resurrectione mortuorum; nisi enim, qui ceciderunt, resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum, orare pro mortuis* : sed hoc adversatur nostræ sententiæ; ergo.

R. — *N. M.* Si enim hoc sensisset, non curasset, *pro mortuis orari, ut a peccatis solvantur;* de resurrectione autem hic loquitur, quia conjungere immortalitatem animæ cum resurrectione solebant Pharisæi, sicut utrumque negabant Sadducæi; unde hoc est argumentum Scriptoris sacri : Si mortui non resurgerent, animæ non essent immortales, sed cum corpore perirent, et frustra oraretur pro illis : atqui existunt adhuc post mortem, utpote immortales; ergo pium et salubre est, pro iis orare, ut a peccatis solutæ accipiant requiem, aliquando gloriam refusuræ in corpora sibi rursus unienda.

Inst. 4. Scriptura hic non profert legem, sed solum hominis exemplum, quod imitari non tenemur; ergo.

R. Nostra argumentatio non est hæc : Orarunt pro defunctis; ergo erant in Purgatorio, sed ista : Orarunt viri sancti et prudentes pro defunctis; ergo existimarunt posse fieri, ut illi essent in Purgatorio. Item : Laudatur in Scripturis *oratio pro defunctis;* ergo agnoscitur, Purgatorium esse in altera vita.

61. *Obj. II.* Scriptura variis in locis docet, quod respiciantur duntaxat merita cujuslibet propria, nec juvetur quis post mortem alieno merito : Sic. 2ª Cor. 5, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal* Christi, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Gal. 6, 5 et 8 : *Unusquisque onus suum portabit... quæ seminaverit homo, hæc et metet,* etc., ergo peccata et pœnæ post mortem non remittuntur ob aliorum preces.

R. — *N. C.* Sicut per hæc non excluditur oratio et auxilium a merito alieno inter viventes, sic neque post mortem; quin, ut S. Aug., *Enchir.*, c. 110 in primum textum ait : *hoc ipsum meritum sibi fidelis, cum in corpore viveret, comparavit, ut ista* (nempe bona opera pro mortuis) *ei possent prodesse.*

Quæres : *An justorum Animæ purgentur vero Igne?*

62. *Nota.* Dari Purgatorium, et animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis juvari posse, dogma fidei est. Quis autem vel ubi sit ille locus Purgatorii, quodve pœnarum genus ibi sustineant animæ justæ, quæ sit mensura, quis modus, quæ duratio, quis minister hujus pœnæ, Ecclesia non definivit. Græci in Conc. Flor. olim dissidebant a Latinis, quod hi tenerent, animas in Purgatorio torqueri igne corporeo : illis vero Purgatorium nonnisi obscurus et luctuosus carcer esset. Inde orta quæstio est, utrum animæ in Purgatorio torqueantur *igne reali*, an alio modo, aut solum patiantur pœnam damni?

63. R. I. **Purgantur vero igne**; ita PP. et TT. Latini omnes in Conc. Flor., est que certa. *Prob.* ex 1ª Cor. 3, 15 et ex SS. PP. supra relatis. Accedunt Aug., in Psal. 37, 1 : *Ut in hac vita purges me, et talem me reddas, cui jam emendatorio igne opus non sit... Dicitur enim : Ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem : et quia dicitur : Salvus erit : contemnitur ille ignis. Ita plane quamvis salvi per ignem; gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.* Ambros. in 1ª Corinth. 3, 15 : *Cum* Paulus *dicit : Sic tamen, quasi per ignem : ostendit quidem illum salvum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, et non, sicut perfidi æterno igne, in perpetuum torqueatur.*

Greg., L. 4 Dial., c. 39 : *De quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, pro eo, quod Veritas dicit : Quia si quis in Sancto Spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam vero in futuro posse laxari.* Hilar. in Psal. 118, 20 : *An, cum ex omni otioso verbo rationem sumus præstituri, diem judicii concupiscimus, in quo nobis est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expiandæ a peccatis animæ supplicia?* Cypr. *ep.* 52 *ad* Antonianum : *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire : aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem : aliud pro peccatis longo tempore emendatum cruciari, et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse.* Similia habet Origenes., hom. 6 in *Exod.*; Ambros. in *Psal.* 36; Basil. in c. 9 *Isaiæ.*

Si ais 1º. Græci Apostolum loqui dicunt de damnatis ita, ut comburenda sint prava opera, ipse autem homo mansurus salvus, hoc est non comburendus aut in nihilum redigendus, juxta S. Chrys. hom. in 1ª *Cor.* 3, 15.

R. Sed Latini recte opposuerunt, *salvum fieri*, in Scriptura semper sumi in bonam partem pro conservatione vitæ aut boni, quod desiderari et amitti potest; dein non dicere Apostolum, *salvabitur* in igne, sed *per ignem*, scil. per quem est transiturus, et non in eo mansurus.

Si ais 2º. Apost. dicit : *quasi per ignem;* ergo non purgantur vero igne.

R. Apost. non vult esse quasi ignem : sed quod homo salvus fiat, sicut is,

qui prius debet transire per ignem : sic etiam Joan. 1, 14 dum dicitur : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti,* Christus non dicitur quasi unigenitus, sed gloria ejus talis dicitur, qualis decet unigenitum. Cæterum non est definitum, quod verus ignis sit in Purgatorio, et PP. Conc. Flor. contenti fuerunt, quod Græci admitterent locum Purgatorii obscurum, ac plenum mœrore, animasque ibi detentas juvari Ecclesiæ suffragiis; attamen postea Græci videntur consensisse Latinis etiam quoad ignem Purgatorii his verbis : *Quod vero de igne purgatorio dicitis, hoc etiam suscipimus.*

64. R. *II.* **Patiuntur pœnam damni, et sensus, quæ non tantum in tristitia aut pœna medicinali, sed in vindicatione consistit.**

Prob. I. Anima post mortem hominis est in termino viæ, et statu, quo per se apta est accipere beatitudinem; ergo dilatio visionis in hoc statu est pœna. Porro hæc pœna infligitur propter ipsam culpam immediate, et non tantum quasi indirecte ideo, quia anima debet exsolvere pœnam sensus, cum qua visio ordinarie non stat.

Prob. II. Quia homo peccans non solum meretur carere bono gratuito, sed et pœnam sentire judicis offensi; illa vero tristitia est tantum de carentia boni gratuiti : et medicinalis pœna ad corrigendas pravas animi affectiones non satisfacit judici; ergo pœna sensus consistit in vindicatione, quia exinde constat, cur non tantum orationes et merita, sed etiam opera satisfactoria, Sacrificium missæ et Indulgentiæ animabus in Purgatorio prosint.

Si ais 1°. In peccato est aversio a Deo, et conversio ad creaturas : *primæ* correspondet pœna damni, *secundæ* pœna sensus : atqui remissa culpa remittitur aversio; ergo et pœna damni.

R. — *N. m.* Nam remittitur deordinatio tam aversionis, quam conversionis; pro utraque tamen reservatur pœna temporalis.

Si ais 2°. Animæ in Purgatorio amant Deum, et ideo se conformant voluntati divinæ; proin non tristantur de carentia visionis.

R. — *N. ult. seq.* Hæc conformatio cum voluntate divina facit quidem, ut patienter ferant pœnam, non impedit tamen tristitiam circa ipsum objectum, quia norunt voluntatem Dei antecedentem esse, ut statim obtineant visionem : consequentem autem tantum et propter hominis culpam esse, quod differatur visio; unde tristantur, non tamen immoderate ob certitudinem de beatitudine.

DE ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT I.

DE VOLUNTARIETATE ACTUUM HUMANORUM.

—

ARTICULUS I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT VOLUNTARIUM?

65. *Nota I.* Equidem Actuum Humanorum *Voluntarietatem, Libertatem* et *Moralitatem* Ethica delibat, at non ex fontibus Theologicis; et delibat duntaxat, ut ad sublimiores disciplinas Philosophum præparet. Nos, prætermissis maximam partem philosophicis, ea præprimis discutiemus, ac copiosius quidem, quæ sunt fori Theologici. Circa actus Humanos ut *Voluntarios,* Vis, Metus, Passio, Ignorantia præcipuæ considerationis sunt : circa eosdem ut *Liberos,* Coactio, Necessitas, Indifferentia, ac præsertim doctrina S. Augustini et D. Thomæ disquirenda : denique circa Actus Humanos ut *Morales,* principia potissimum extrinseca Moralitatis asserenda sunt ita, ut cumprimis dogmata stabiliantur, confutentur errores circa liberum hominis arbitrium, et pro actionibus humanis tuta praxis subministretur.

66. *Nota II.* Actus *Humanus* in sensu theologico est operatio ab homine humano modo, id est, ex deliberata voluntate procedens; nam quæ fiunt in homine necessario, ut respiratio, sunt actus *Naturales :* quæ fiunt ab homine sine advertentia et deliberatione, ut frictio capillorum inter studendum, actus *Hominis* dicuntur. Ad actum *Moralem* insuper requiritur ut fiat cum advertentia ad regulam honestatis, cui si conformis est, dicitur *bonus;* si difformis, *malus;* si nec contra, nec juxta præceptum vel consilium est, actus dicitur *indifferens.* Actus vero procedit a voluntate vel *immediate,* ut amor et odium; et dicitur *elicitus,* ac simul *imperans,* si non in seipso sistat, sed alium adhuc actum imperet : vel *mediate* tantum, scilicet mediante imperio voluntatis, procedit a voluntate, ut intellectio vel ambulatio, et *imperatus* dicitur : ipsi tamen actus voluntatis, e. g. dum voluntas sibi imperat amorem Dei super omnia, sæpe sunt imperati. De Voluntarii notione ac divisione jam dicendum.

67. I. Actus Theologice Voluntarius est, qui procedit a voluntate cum cognitione finis et circumstantiarum. Hæc definitio convenit omni Voluntario, sive sit necessarium, ut amor Dei in patria, qui summe voluntarius est, quamvis a voluntate Beatorum necessario procedat; sive liberum sit, ut idem amor in via : omne proin liberum est voluntarium, non contra. SS. PP. et TT. si quando utrumque confundunt, liberum minus stricte accipiunt pro immunitate a coactione, non vero pro libertate indifferentiæ. Convenit soli voluntario; quia non convenit violento quod provenit ab extrinseco, renitente voluntate, quodque convenit rebus etiam inanimatis; nec spontaneo, quod brutis etiam commune, ab appetitu sensitivo provenire potest.

Dixi 1° ut *procedat a voluntate,* illius scilicet, cui voluntarius est; hinc si furtum ab alio fieri desideras, desiderium hoc est tibi voluntarium, ac imputabile ad culpam; non item furtum, si nec physice, nec moraliter in illud influas. 2° *Cum cognitione finis et circumstantiarum,* quæ pertinent ad actum; hinc filius occidens patrem, quem invincibiliter putat esse feram, non peccat : si sciat esse hominem, at ignoret esse patrem, duntaxat homicidii, si vero patrem esse sciat, etiam parricidii reus est. Dormientium quoque et semi-dormientium actiones vel simpliciter involuntariæ, vel nonnisi semi-voluntariæ sunt, prout vel nulla, vel semi-plena in iis advertentia est. *Involuntarium* igitur est omne id, quod fit aut sine propensione voluntatis, aut sine cognitione intellectus.

68. II. Præcipua Voluntarii divisio est : 1° in Voluntarium *simpliciter* seu purum, quod fit ex pleno voluntatis consensu sine repugnantia : et *secundum quid,* quod adjunctam habet repugnantiam in contrarium, ut projectio mercium in mare ex metu naufragii. 2° In Voluntarium *in se,* sive expressum, quod immediate in seipso volitum est; sic e. g, volita est conflagratio ædium, si ignem subjicias, ut conflagrent; et in Voluntarium *in causa*, seu implicitum, quod volitum est in alio ita, ut saltem potuerit prævideri ceu causa talis effectus; sic volita est conflagratio domus, in cujus tectum stramineum, ad trajiciendos passeres; sclopetum explodis. 3° In *Directum* seu *Formale,* quod procedit a voluntate, ut est agens, eliciens, vel imperans actum; et *Indirectum* seu *Interpretativum,* quod procedit a voluntate, ut omittente actum, quem potest, aut etiam debet ponere; ut proin omissio sit vel culpabilis, e. g. non corripere filium, quem pater videt delinquentem; vel non culpabilis, e. g. die feriali studiis vacare, dum dicitur Missa : ita S. Thom. 1, 2, q. 76, a. 3. 4° In *Actuale,* quod actu existit, et quidem expresse, *Virtuale,* quod existit saltem in aliqua sui virtute, vel effectu; et *Habituale,* quod nec in se, nec in suo effectu perseverat, necdum tamen est retractatum. De Involuntario eodem fere modo loquendum.

69. *Observa.* Effectus ut sit voluntarius *in causa* et imputabilis, requiritur : 1° Ut operans advertat, aut possit advertere, hunc effectum ex hac causa esse secuturum : nam sicut nihil volitum, ita nihil voluntarium, quin præcognitum; hinc qui ante ebrietatem inculpabiliter non advertit periculum pejerandi, ejus perjuria non censentur moraliter voluntaria in plena ebrietate. 2° Ut hunc effectum impedire possit, non ponendo, vel auferendo causam; secus enim uti causa non est imputabilis, ita nec effectus : peccat

ergo contra charitatem, quamvis homicida non sit, quia non peccat contra justitiam, qui alterius occisionem impedire potest, nec tamen impedit. 3° Ut hunc effectum teneatur impedire; unde non peccat Sacerdos, dum occasione confessionis motus inordinatos invitus patitur, quos nec intendit secundum se, neque in alio quod sit prohibitum eo fine, ne effectus sequatur, qui solum hic permittitur, et non moraliter procuratur. Aliud est de motibus inhonestis, qui ex lectione obscœnorum graviter prohibita proveniunt.

ARTICULUS II.

AN VIS, METUS, PASSIO TOLLANT VOLUNTARIETATEM?

70. *Nota. Vis*, seu *Violentia* est impetus contra inclinationem voluntatis illatus : vis *absoluta* dicitur, cui simpliciter resisti non potest : vis *secundum quid*, cui non potest resisti absque magna difficultate. Vis absoluta inferri nunquam potest voluntati, quoad actus internos et elicitos : nam ut ait S. Anselmus, L. de *lib. arbit.*, c. 5 : *Non potest invitus velle, quia non potest velle, nolens velle;* potest, quoad actus externos et imperatos, uti probat experientia. Ad violentum autem non sufficit, habere se mere negative, cum alias justificatio parvulorum violenta esset; sed requiritur habere se contrarie, per actualem aut virtualem reluctantiam.

Metus est mentis trepidatio, instantis vel futuri periculi causa : præcipue hic notandus est metus *impellens*, qui voluntatem movet ad agendum; v. g. metus naufragii movens mercatorem ad ejiciendas merces, unde actio ejusmodi *ex metu* fieri dicitur : et metus *retrahens*, seu concomitans, qui voluntatem potius retrahit ab agendo; e. g. furem a furando, ita ut talis actio dicatur fieri *cum metu*.

Passio seu *concupiscentia* est motus appetitus sensitivi prosequens bonum, aut fugiens malum sensibile. *Antecedens* dicitur, quæ deliberatum voluntatis consensum præcedit, eumque allicit, ut cum, visa forma eleganti, voluntas subito eam desiderat : *Consequens*, quæ oritur ex prævio voluntatis actu, ut cum, ex desiderio, amore vel odio voluntatis, etiam in appetitu sensitivo excitatur passio : *Concomitans*, quæ ita sequitur voluntatis consensum, ut sit causa ardentioris motus ejusdem voluntatis. Passio *gravis* dicitur, quæ rationem turbat : *gravissima*, quæ rationis ac libertatis usum penitus tollit.

71. *Dico* I. **Vis absoluta tollit, vis secundum quid duntaxat minuit voluntarium.**

Prob. prim. part. Quia actio, quæ fit per absolutam coactionem, fit voluntate omni eo modo, quo potest, renitente : sed talis actio est penitus involuntaria; ergo. Hinc si puella, cui vis infertur, interius et exterius pro viribus resistat nullo modo consentiens, non peccat, quamvis corpore violetur.

Prob. secund. part. Quia si voluntas minus resistit quam potest, manet aliqua ratio voluntarii, major aut minor juxta proportionem resistentiæ : sed ubi infertur vis secundum quid, voluntas non resistit, quantum potest, cum possit plus resistere; ergo. Hinc si dicta puella tantum interius, non item exterius repugnando, clamando, reluctetur, culpa non vacat : uti et, si tantum exterius, non interius renitatur, cum hoc ipso consensus sit voluntarius.

72. *Dico II.* **Metus naturalis non tollit, ordinarie tamen imminuit voluntarium.**

Prob. prim. part. Metus naturalis neque ex parte mentis tollit *cognitionem*, uti patet in mercatore, qui licet suarum mercium pretium, vitæ periculum, et ipsam actionem projiciendi merces cognoscat, merces tamen in mare projicit ex metu naufragii : neque tollit *electionem* ex parte voluntatis, cum mercator libere eligat actionem projiciendi merces, plus vitam amans quam merces ; ergo.

Prob. secund. part. Quia, quod ex metu fit, est minus liberum, et ordinarie connexum cum aliqua voluntatis repugnantia; hinc peccatum ex metu factum tanto est minus, quanto gravior magisque injustus fuit metus : ac propterea in Conc. Nic. mitior in eos pœna statuta fuit, qui metu mortis, quam in eos, qui sponte deliquerant; vix tamen unquam metus peccatum mortale mutat in veniale, siquidem detur cognitio et electio ad mortale sufficiens.

Dixi *Metus naturalis :* nam qui ex timore supernaturali gehennæ peccatum evitat, juxta Conc. Trid. *voluntatem peccandi excludere* potest, ut proin ejus actio præceptum implens ex hoc metu, nequidem *secundum quid* involuntaria sit ; quippe servare mandata Dei, tum per se, tum etiam abstrahendo a periculo gehennæ, bonum est : sed projectio mercium in se mala, et nonnisi mercatori alias morituro bona est.

73. *Dico III.* **Passio non tollit voluntarium : Antecedens tamen minuit; sed Concomitans illud auget.**

Prob. prim. part. Passio non tollit propensionem voluntatis, nec advertentiam rationis; hinc in Scriptura et SS. PP. commendatur *dominium passionum;* leges Civ. et Can. plectunt flagitia, e. g. homicidia, quamvis ex passione perpetrata ; ergo passio non tollit voluntarietatem actus.

Prob. secund. part. Quia sicut ad voluntarium perfectum requiritur inclinatio voluntatis, ita quoque cognitio finis et circumstantiarum : sed passio *antecedens* et vehemens cognitionem hanc, e. g. de turpitudine peccati, de gravitate offensæ divinæ, imminuit, aut etiam impedit; ergo. Hinc concupiscentia minuit peccatum, quia minuit libertatem et indifferentiam ad utrumlibet : cum intellectum ex una parte multo intensius applicet ad motiva allicientia objecti concupiti, ex altera vero parte avertat a motivis retrahentibus rite pensandis, ut proinde, juxta sensum communem, facilius veniam mereatur peccans ex vehementi passione, quam ex mera malitia.

Prop. tert. part. Quia facit ut voluntas, cæteris paribus, majore inclinatione feratur in objectum, cum teste experientia *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus;* Jacob. 1, 14. Ex illa igitur colligitur intensio voluntatis præviæ, quæ in semetipsa, sponte ac prævidens, magis ac magis inflammatur, unde S. Thom. 1, 2, q. 77, a. 6 ait : *Quanto aliquis majori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat;* ergo.

74. *Observa I.* Quæ fiunt *ex metu*, fiunt cum aliqua repugnantia, non absoluta, sed conditionata, quæ non impedit quo minus mens sciens ac volens eligat illud, quod sibi sub aliquo respectu repugnat; hinc actio ex metu potest esse, sicut moraliter mala, ita et moraliter bona, cum displicentia illa non tendat in actionem ut bonam aut præceptam, sed tantum ut difficilem : hæc

vero repugnantia, si per observationem præcepti vincitur, auget meritum. Contractus *ex metu* initi valent de jure naturæ, quamvis a jure positivo hinc inde reprobentur; ergo sunt voluntarii. Blasphemia, mendacium, fornicatio, et quæcumque alia intrinsece mala ex nullo metu possunt fieri licita, quia lex naturalis negativa semper obligat; nisi malum imminens, quod raro tamen evenit, hominem omnino perturbaret, tolleretque omnem advertentiam. Qui *ex metu* non implet præceptum aliquod humanum, v. g. de jejunio, vel divinum, v. g. de confessione materialiter integra, vel etiam naturale affirmativum, v. g. de restitutione rei alienæ, excusatur a culpa, non quia actio est involuntaria, nec propter defectum libertatis: sed quia lex *per se* non obligat cum tanto incommodo aut periculo, e. g. valetudinis in *primo*, vitæ in *secundo*, famæ in *tertio* casu; nisi *per accidens* concurrat lex naturalis universim prohibens scandalum, etc.

75. *Observa II.* Peccatum *malitiæ* ex plena libertate, sine ignorantia et passione commissum, est gravius peccato quod ex infirmitate seu passione procedit; non quia hoc minus voluntarium, sed quia minus liberum est: nam concupiscentia minuit quidem indifferentiam voluntatis, quam statim et sine discursu in suum objectum trahit; sed non ideo minuit propensionem voluntatis adeoque nec voluntarium, cum propensio voluntatis plerumque eo sit major, quo in objectum fertur avidius.

Motus *primo-primi*, qui sine omni advertentia ad bonitatem vel malitiam moralem exsurgunt, ut si graviter offensus continuo exardescas in iram, sicut libertatis, ita culpæ expertes sunt, juxta prop. damnatam Bai 75 : *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto* : Non concupisces. Cum ergo concupiscentia, prout testatur experientia, rationem omnino perturbare possit, imo sæpe etiam omnem rationem pervertat, juxta illud Apost. ad Rom. 7, 15 : *Non enim, quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio* : cum autem, ubi concupiscentia rationem omnino perturbat, aut pervertit, nulla esse possit deliberatio aut advertentia ad bonum et malum; quomodo asserere potest Recentior aliquis, quod actus illi voluntatis adhuc sint liberi, *tametsi concupiscentia adeo vehemens sit et robusta, ut omnem rationem perturbet, nec supernæ gratiæ lumen affulgeat?* Motus *primo-secundi*, qui fiunt cum semi-plena advertentia ad malitiam, peccata sunt tantum venialia, quamvis in materia gravi. Motus *secundo-secundi*, qui fiunt cum advertentia plene deliberata, in re gravi, peccata sunt certo mortalia, licet passionis vehementia nonnihil ea diminuat.

ARTICULUS III.

AN IGNORANTIA TOLLAT VOLUNTARIETATEM?

§ I.

Quid et Quotuplex sit Ignorantia?

76. *Nota.* Ignorantia est carentia scientiæ seu cognitionis, vel debitæ, qualis est jurium scientia in judice, et dicitur ignorantia *privativa*, vel alioqui non debitæ, qualis est jurium scientia in rustico, et dicitur nescientia, aut ignorantia *negativa* : si vero etiam juncta sit errori, vocatur ignorantia *pravæ dispositionis* vel *pravi habitus*. Præterea multiplex est Ignorantia, tum ratione *subjecti*, tum ratione *objecti*, tum ratione *actionis* quæ fit ex ignorantia : quamvis autem ad præsens institutum cumprimis faciat divisio ignorantiæ in *vincibilem et invincibilem;* de singulis tamen ea prælibabimus, quorum notitia conducit ad quæstiones hac de re Dogmaticas et Polemicas adversus HÆRETICOS veteres et recentiores.

77. I. Ignorantia *ratione subjecti* alia est *invincibilis*, quæ morali diligentia vinci nequit : hæc datur in homine, quando vel plane non cogitat de re, ad quam obligatur, vel saltem non cognoscit obligationem inquirendi, vel hac etiam cognita, tamen in rei notitiam, omni adhibito medio, venire non potest. Alia *vincibilis*, quæ vinci moraliter potest ac debet. Unde hæc culpabilis, illa vero inculpabilis dicitur.

Ubi adverte : 1° Circa cogitationem de obligatione, id intelligendum esse de homine timorato : sunt enim quidam salutis ita incurii, qui plane non cogitant de sua obligatione, quæ sane ignorantia, utpote ex incuria, negligentia et nimia effusione in temporalia proveniens, invincibilis non est; cum sicut negligentia hæc vinci poterit, ita et hæc inadvertentia; est ergo volita *indirecte* in negligentia. 2° Circa diligentiam moralem, quæ summa esse non debet, sed mediocris saltem et seria, qualem homines timorati in simili negotio adhibere solent; quanta vero diligentia requiratur, ut ignorantia reddatur omnino invincibilis, judicio prudentum est definiendum, pensata qualitate præcepti, personarum et actionum : major quippe requiritur in re gravi, quam levi, in homine docto, quam rudi, in re alteri damnosa, etc.

Hæc autem diligentia potest omitti. 1° Si quis, ut liberius peccet, aut excusationem prætexere possit, data opera non vult scire, quod scire et facere tenetur; et vocatur ignorantia *affectata*. 2° Si quis nullam aut vix ullam diligentiam adhibet in veritate indaganda, et dicitur *crassa*, seu *supina*. 3° Si quis diligentiam quidem adhibeat, non vero sufficientem, dicitur ignorantia *simplex, absolute vincibilis et levis*.

78. II. Ignorantia *ratione objecti*, alia est *juris*, qua ignoratur lex vel præceptum, ut si quis nesciat invalide contrahi matrimonium cum affine; alia *facti*, qua ignoratur factum, ut si quis legem sciens, ignoret eam, cum qua

iniit matrimonium, esse affinem ; alia *pœnæ*, quæ versatur circa pœnam, ut si percussor Clerici nesciat huic percussioni annexam esse excommunicationem. Alia est *juris positivi*, alia *naturalis*.

79. III. Ignorantia *ratione actionis* alia est *antecedens*, quæ nullo modo est volita, et tamen est causa volendi id quod alias non vellemus; ut si quis trajiciat hominem, quem invincibiliter putat esse feram, non occisurus, nisi ignorasset esse hominem : alia *concomitans*, quæ comitatur actionem ita ut actio fieret, quamvis abesset ignorantia, ut si quis ratus se feram occidere, occidit hostem diu ad necem quæsitum, vel maxime occisurus etiam, si illum cognovisset ; in *primo* casu ignorantia saltem negative influit, removendo prohibens; in *secundo* nequidem negative, sed tantum removet notitiam inimici, quæ occisionem potius promovisset : alia *consequens*, quæ directe vel indirecte volita et vincibilis est.

§ II.

Quæ sit Doctrina SS. Augustini *et* Hieronymi *de Ignorantia ?*

80. *Nota*. Circa ignorantiam variarunt Pelagiani : qui primum scientiam legis tribuebant omnibus, etiam fœminis, ut patet ex Hieron. epist. ad Ctesiph. et L. 1 Dial. *advers. Pelag.* Deinde admiserunt, dari ignorantiam, ut constat ex Conc. Diospol. et S. Aug. plurimis in locis. Aliquando ignorantiam sive juris, sive facti vincibilem, modo non sit crassa et affectata, excusabant a peccato ; Aug., L. de *gest. Pelag.*, c. 39. Aliquando dicebant peccatum ; idem, L. 6 cont. *Julian.*, c. 1 et L. de *nat.* et *grat.*, c. 17. Invincibilem autem ignorantiam adeo eximebant ab omni specie peccati, ut eam stare etiam dixerint cum perfectione justitiæ, et perfectam ignorantiam etiam justitiam vocarent, ut patet ex S. Aug., L. 3 cont. *Julian.*, c. 19.

81. I. Contra hos errores S. Augustinus, maxime vero occasione textus Pauli : *Velle quidem mihi adjacet, perficere autem non invenio ;* distinguit inter *facere* justitiam et *perficere* justitiam; ad quam distinctionem explicandam, adducit pro utroque duo præcepta negativa, et duo affirmativa : negativorum unum est, *post concupiscentias tuas non eas;* et qui hoc implet, facit justitiam : alterum est, *non concupisces;* et qui hoc implet, perficit justitiam; implet autem primum, qui non consentit, sed resistit concupiscentiæ : secundum implet, qui non sentit, et ne habet quidem concupiscentiam. Affirmativorum alterum est de amando Deo, alterum de amando Deo *ex toto corde, tota mente, tota anima :* quod postremum explicatur a S. Augustino, dum in mente non est ignorantia, in corde non est concupiscentia, in anima nulla repugnantia. Ita L. de *spir.* et *lit.*, c. 36 ; L. de *nat.* et *gr.*, c. 62 ; Tr. 41 in *Joan.* et L. de *perf. justit.*, c. 11.

82. II. SS. Augustinus et Hieronymus, quamvis pluribus in locis *ignorantiam* sive facti sive juris excusarent a peccato formali, seu contra actionem justitiæ ; sine ullo tamen discrimine vincibilis aut invincibilis, omnem ignorantiam docebant esse *peccatum materiale*, seu contra perfectionem justitiæ, atque hinc, ob ignorantias sive juris sive facti in vita humana occurrentes,

negabant hominem esse posse sine peccato, et habere perfectionem justitiæ. Ignorantiam omnem esse *peccatum*, asseruit S. Augustinus, L. 1 de *pecc. mer.*, c. 36 : *An nullum est ignorantiæ malum, et ideo purgandum?* L. de *gest. Pelag.*, c. 18 : *Cum in Lege sacrificia pro ignorantia, sicut pro peccato offerantur.* S. Hier., L. 1 Dial. *adv. Pelag.* : *Nunc mihi latissima Scripturarum spatia peragranda sunt, ut doceam, errorem et ignorantiam esse peccatum.* Et L. 2, ibid. Critobulus ait : *Da testimonium Novi instrumenti, ubi error et ignorantia et impossibilitas mandati teneatur in crimine.* Respondit Atticus : *Unum proferam, cui certe contradicere non poteris* : producto autem loco Pauli ad Roman. 7, 15 de motu *concupiscentiæ*, locum illum ad *ignorantiam* reducit : *Quod enim operor, non cognosco.*

83. III. Omnem speciem ignorantiæ sive juris sive facti, vincibilem vel invincibilem, esse peccata ejusmodi, juxta hos PP. declaratur exemplis, quæ tanquam *ignorantiæ peccata* afferunt. Augustinus quidem refert plerumque ignorantias infantium : Hieronymus sub finem Dial. 1 *adv. Pelag.* ignorantiam Jacobi putantis Josephum mortuum, Samuelis errantis et nescientis destinatum e filiis Isai ad regnum, Jonathæ nescientis mandatum patris, committentis homicidium casuale, populi ignorantis peccatum Achan, Ahiæ non agnoscentis uxorem Jeroboam. *Ratio* assertorum erat 1° quia in Scriptura ignorantia etiam dicitur peccatum, et pro ea sacrificium fit : 2° Quia repugnat præcepto affirmativo, *diligendi* Deum *ex tota mente*, quod exigit plene perfecteque cognosci Deum, ut dilectio Dei huic cognitioni commensuretur; juxta Aug., L. de *spir.* et *lit.*, c. 36. 3° Quia est defectus quidam a justitia originaria et perfectione justitiæ, ad quam conari debemus, et Pelagiani putabant pertingere hominem posse in hac vita.

84. IV. Ex hac doctrina inferebant Lutherus et Calvinus, omnem ignorantiam, sicut et concupiscentiam, esse peccatum formale et culpam; errore orto ex distinctione non adhibita inter peccatum contra *actionem* et *perfectionem* justitiæ. Jansenius autem distinctione facta inter ignorantiam invincibilem juris naturalis et juris positivi, priorem culpæ subjecit, posteriorem ab ea exemit, eo quod prior haberet ortum suum ex peccato originali, non item posterior. Sed aberravit etiam hic a mente SS. Doctorum, omnem omnino ignorantiam sine facto discrimine subjicientium peccato duntaxat materiali, et contra *perfectionem justitiæ*; nec tenet ratio, quia ignorantia juris positivi etiam oritur ex peccato originali : quia enim peccavimus, obscurata est mens nostra, et voluntas infirmata; ut mens sciret quid agendum sit, et voluntas ad agendum urgeretur, lex postmodum erat ferenda a legislatore, qui tanquam communitatis mens est, et minis ac pœnis actio urgenda; unde sicut lex positiva, sic et ignorantia legis a peccato originali deducitur.

§ III.

An Ignorantia Vincibilis excuset a peccato?

85. *Nota.* Sicut omne voluntarium supponit *cognitionem* sub ea ratione, sub qua est voluntarium, ita peccatum etiam ex ignorantia vincibili, ut sit voluntarium, requirit *aliquam advertentiam* ad legem Dei, vel malitiam ob-

jecti, saltem ita ut formidet ac suspicetur operans, suam actionem esse malam, et tamen negligat ulterius indagare veritatem. Sane nec malitia actionis potest esse voluntaria, si desit omnis cognitio malitiæ; nec ignorantia vincibilis ab invincibili reipsa differt, si nulla utrinque advertentia requiratur; ut ergo ignorantia *theologice vincibilis* ac culpabilis sit, debet dari potentia proxima illam vincendi ac deponendi: hæc autem dari non potest sine ulla advertentia ad legem Dei, vel ad malitiam objecti, cum nullus detur finis aut motivum prudens in veritatem indagandi. Ita contra Gallos et Belgas quosdam rigidiores sentiebat communis Veterum doctrina; inde.

86. *Dico.* **Ignorantia Vincibilis non excusat simpliciter a peccato.**

Prob. Qui vult causam, quam potest ac debet impedire, vult in illa effectum ejusdem : sed qui peccat ex ignorantia vincibili, vult causam peccati, scilicet ignorantiam, quam potest ac debet impedire seu deponere; ergo vult peccatum. Hinc illa Davidis ad Deum supplicatio : *Ignorantias meas ne memineris, Domine.* Psal. 24, 7.

Dixi : *non simpliciter excusat,* quia operans ex tali ignorantia sic affectus esse supponitur, ut hac seclusa non ageret · aut saltem quia, quod fit ex ignorantia, modo non sit affectata, est tantum in causa voluntarium, et ordinarie secundum quid involuntarium, proin magis venia dignum. Si vero ignorantia sit *affectata,* potius adauget peccatum, dicente ad Deum peccatore : *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus,* Job. 21, 14, nam ideo affectatur ignorantia; ut peccari possit liberius; itaque actio mala, quæ ardentius quæritur, magis fit voluntaria, majusque peccatum.

Si ais 1°. Si vincibilis ignorantia non excusat a peccato, ergo qui judicat esse præceptum, quod est reipsa prohibitum, e. g. mentiri ad servandam vitam innocentis, peccat, tum mentiendo, cum ignorantia vincibilis non excuset a peccato, tum non mentiendo, quia agit contra conscientiam : atqui hoc dici non potest; ergo.

R. — *N. min.* Nam mentiendo, voluntarie facit aliquid in se illicitum, et non mentiendo amplectitur malum qua tale cognitum; hinc deponi debet error, aut saltem per dolorem retractari ignorantia, si deponi non amplius possit, et sic evadet invincibilis. Itidem peccat, qui ita judicat aliquid esse licitum, quod est prohibitum, e. g. serviliter operari die festo : non item, qui aut judicat aliquid esse præceptum, quod revera tantum est licitum, e. g. vovere castitatem, aut illud tantum esse licitum, quod tamen est præceptum, e. g. jejunare in feriis 4 temporum : nam in *primo* nulli se periculo peccandi exponit vovens, et in *secundo* nullam legem violat jejunans.

Si ais 2°. Ad peccatum ex ignorantia vincibili saltem non requiritur advertentia ad objecti malitiam, vel ad legem Dei : 1° Quia sufficit cognitio de commodo vel incommodo actionis : 2° Ignorantia redditur vincibilis præcise per peccatum grave præcedens : 3° Peccari contra legem potest, quin actualiter de illa cogitetur, uti patet in eo qui, ob neglectum Sacrum aut concionem, ignorans esse diem jejunii, carnes comedit : 4° Quia sæpe deponi potest ignorantia, si modo melius inquireretur; ergo per hoc satis est culpabilis, quamvis prædicta advertentia non detur.

R. — *N. A.* Nam ex 1° sequitur nullam dari ignorantiam invincibilem, cum semper et in omni actione cognoscatur utilitas aut delectabilitas actionis;

ergo ut sit *theologice vincibilis*, cognosci etiam debet malitia objecti, aut legis prohibentis existentia. Neque obstat hæc a SORBONA damnata propositio · *Nunquam peccatur, nisi prævia peccati cognitione actus illustretur, et ejus vitandi desiderio excitemuletur* : loquitur enim de clara et actuali cognitione et advertentia; nec nos terret censura ultra Sequanam non fulminans.

Ex 2° sequitur, quod nullus peccator licite operari possit juxta sententiam minus tutam, licet probabilissimam, quod in propositione tertia damnavit ALEX. VIII.

3um. *D.* Quin actualiter cogitetur de lege, quando actus ponitur *Tr.* Quando ignorantia fuit voluntarie admissa *N.* Si modo antecedenter adverteris ignorantiam et obligationem inquirendi, id jam sufficit ad culpam.

4um. *D.* Deponi potest proxime *N.* Remote et absolute *C.* Sed si hoc vel illud occurreret, si specialiter DEUS illustraret, si hæ vel illæ circumstantiæ forent, quælibet ignorantia vinci posset; hoc ergo non sufficit ad ignorantiam in sensu *morali* et *theologico* vincibilem : alioqui Sacerdos, qui nec habet, nec habere potest Breviarium, adhuc peccabit non recitando Breviarium, quod saltem absolute et in aliis circumstantiis, in quibus illud ad manus esset, recitare posset.

Si ais 3°. JUDÆI occidendo APOSTOLOS putabant *obsequium se præstare* DEO; neutiquam ergo ad malitiam objecti advertebant : et tamen peccarunt ex ignorantia vincibili. Ad hæc si ad ignorantiam invincibilem requiritur advertentia, omnis ignorantia DEI esset vincibilis : id quod ALEX. VIII damnavit : vel enim infidelis advertit obligationem inquirendi, et jam non ignorat DEUM, de quo actu cogitat; vel non advertit, et ignorantia est invincibilis. Demum nulla essent *peccata occulta*, cum omne peccatum etiam ex ignorantia fiat cum advertentia.

R. *Ad* 1um. *D.* Putabant, vincibiliter ac culpabiliter, se obsequium præstare DEO *C.* Invincibiliter ac inculpabiliter *N.* Ex tot ac tantis APOSTOLORUM prodigiis, ex tam eximia vitæ ac doctrinæ sanctitate, deponi facile poterat ignorantia JUDÆORUM, et cognosci APOSTOLORUM injusta occisio.

Ad 2um. *D.* Non ignorat DEUM, de quo actu cogitat, affirmando existentiam DEI *C.* Solum quomodocumque DEUM repræsentando *N.* Cogitas de numero stellarum pari vel impari, adhuc tamen ignoras sintne pares vel impares numero. Attamen ut ignorantia sit vincibilis, sufficere potest simplex objecti repræsentatio in ethnico, v. g. hæc : si est DEUS, vult a me inquiri : facit enim infidelem sic illustratum vincibiliter ac culpabiliter DEUM ignorare, si negligat eum inquirere.

Ad 3um. *D.* Nulla forent peccata occulta, hoc est, quæ sine omni advertentia commissa sint *C.* Peccata occulta, hoc est, quæ cum sufficienti quidem advertentia commissa, nostram dein memoriam fugiunt *N.* Nec mirum actus internos, quorum plura millia in dies elicit mens nostra, plerosque memoria postmodum excidere, cum id non raro actionibus externis sat crassis eveniat.

§ IV.

An Ignorantia Invincibilis excuset a peccato?

87. *Nota I.* Dari ignorantiam *facti* et *juris positivi*, saltem circa ea quæ in hac providentia non sunt medium necessarium ad salutem; eamque, si *invincibilis* et *antecedens* sit, excusare a peccato formali, ipsi etiam HETERO-

DOXI facile admittunt; negant vero LUTH., CALV., BAIUS, SINNICHIUS, JANSENIUS, et plures alii horum sequaces, vel quod dari possit, vel quod a peccato excuset ignorantia *juris naturalis*, eo quod hæc, licet in se invincibilis, vincibilis tamen fuerit ac voluntaria in radice, id est, in peccato originali, cujus sit pœna. Sed communis PP. ac TT. sententia est, dari posse hanc ignorantiam, non quidem quoad prima et universalissima principia, aut conclusiones eorum proximas, sed saltem quoad magis remotas : id quod satis patet, tum in pueris et rudibus, qui peccata subin gravissima committunt contra legem naturalem, quin suspicentur malum, donec a confessario moneantur; tum in viris doctissimis ac sanctissimis, qui sæpe circa ea quæ sint jure naturali præcepta vel prohibita, assertiones contradictorias tradiderunt. Sane ab ALEX. VII et INNOC. XI damnatæ sunt complures propositiones tanquam juri naturali contrariæ, quamvis antehac a magni nominis DD. traditæ ceu juri naturali conformes.

88. *Nota II.* Circa quæstionem hanc, uti et sequentes de libertate arbitrii, damnatæ sunt Propositiones :

1° A PIO V, GREG. XIII et URBANO VIII inter *Baianas* : 39. *Quod voluntarie fit; etiamsi necessario fiat, libere tamen fit* : 46. *Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium* : 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali* : 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit* : 68. *Infidelitas pure negativa, in iis quibus* CHRISTUS *non est prædicatus, peccatum est.*

2° Ab INNOC. X. et ALEX. VII tertia JANSENII. *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

3° Ab ALEX. VIII hæc ordine 1ª *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate* ADAMI *peccantis* : et 2ª *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.* His prænotatis

89. *Dico I.* **Ignorantia invincibilis Juris positivi Divini, excusata peccato.**

Prob. 1° Ex CHRISTI verbis Joann. 15, 22 : *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum,* infidelitatis, *non haberent : nunc autem excusationem non habent;* in quæ verba S. AUG., Tr. 89 in *Joan.* scribit, JUDÆOS, si CHRISTUS non venisset, *excusationem* habituros fuisse, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in CHRISTUM non crediderunt.

2° Ex Prop. 68. BAII damnata.

3° Ex *ratione* : quia, ut malitia actus sit imputabilis, debet esse voluntaria, juxta Prop. 46. BAII damnatam : atqui malitia actus ex ignorantia invincibili procedentis non potest dici voluntaria, tum quia nihil est volitum, quin præcognitum, tum quia laborans ignorantia invincibili inculpabiliter caret illa notitia; ergo imputari ad peccatum non potest. Atque in his ipse JANSENIUS fere nobiscum sentit. Dari autem ejusmodi ignorantiam posse tenet hodie opinio communissima, cum ipsi docti de quibusdam legibus divinis adhuc controvertant, multi non habeant occasionem omnia ista præcepta discendi, multi obscuriora satis penetrare non possint, etc.

90. *Dico II.* **Ignorantia invincibilis etiam Juris Nat. excusat a peccato.** *Prob.* 1° Gentiles ad Rom. 1, 21 dicuntur inexcusabiles, *quia cum cognovissent* DEUM, *non sicut* DEUM *glorificaverunt*; ergo si forte invincibiliter DEUM non cognovissent, fuissent a culpa excusabiles. Ita infert ANGELICUS DOCTOR Lect. 7 in hunc locum. 2° Ex Propp. 1 et 2 ab ALEX. VIII, item ex Propp. 46 et 68 a Pio V damnatis. 3° Ex CONC. TRID. verbis : DEUS *impossibilia non jubet* : quæ autem DEUS juxta JANSENIUM præcipit, quamvis *invincibiliter ignorata*, physice vitari non possunt. 4° Ex AUG. in quo plurimum, at perperam confidunt JANSENIANI : nam L. 2 de *anim.*, c. 12 inquit : *Dicere, peccare sine voluntate, magnum deliramentum est, et peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est.* L. de *ver. Relig.*, c. 14 ait : *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit volontarium : et hoc quidem manifestum est, ut nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* L. 3 de *lib. arbit.*, c. 17 : *Non est, cui recte imputetur peccatum, nisi volenti*, et c. 18 : *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* et c. 18 : *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Tr. 89 in *Joan.* eos, qui nihil unquam audierunt de CHRISTO, legem positivam Divinam invincibiliter ignorantes excusat a culpa, quia nec contempserunt, nec restiterunt voci CHRISTI, sed sincere dicere possunt : non *vidimus*, non *audivimus*. Verum qui legem naturalem invincibiliter ignoratam violant, nec ipsi legem contempserunt, quam inviti ignorant; ergo juxta AUG. ignorantia invincibilis *juris naturalis* pariter a peccato excusat.

Conf. 1° Omne peccatum formale debet esse voluntarium, vel *in se*, vel saltem *in causa* peccanti libera, cum sine voluntario non possit esse liberum, nec sine libero peccatum; hinc recte ait S. THOM. 1, 2, q. 76, a. 3 : *Ignorantia, quæ est causa actus, quia causat involuntarium, de se habet, quod excuset a peccato, eo quod voluntarium est de ratione peccati :* quod autem est invincibiliter ignoratum, non est voluntarium; ergo. 2° Rudis invincibiliter putans, sibi mentiendum esse ad servandam innocentis vitam, peccaret necessario, quia si non mentiatur, agit contra conscientiam : si mentiatur, contra legem naturalem, quamvis omnino ignoratam : atqui hoc dici non potest, ex Propp. 67. BAII, et 3 JANSENII; ergo. 3° Motus omnes indeliberati concupiscentiæ, etiam qui nulla data causa in somno exsurgunt, imputabiles erunt ad peccatum, quia in peccato originali nobis voluntarii. 4° DEUS in pœnam peccati originalis privans necessaria cognitione legis, juxta JANSENIUM fieret tyrannus, cum nihilominus juberet vitare ea, quæ nullo modo cognita vitare ceu prohibita, possibile non est. Demum, quæ de ignorantia invincibili antecedenti dicta sunt, eadem cum proportione concomitanti accommoda.

91. *Obj. I. ex Script.* JUDÆI CHRISTUM crucifigendo gravissime peccaverunt; attamen 1ª Cor. 2, 8 ait APOSTOLUS : *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, ergo ignorantia invincibilis non excusat a peccato. *Conf.* JUDÆI ignorabant invincibiliter concupiscentiam esse peccatum, et peccarunt tamen concupiscendo; ergo.

R. — *D. A.* Gravissime peccaverunt, quamvis invincibiliter ignorarent CHRISTUM esse MESSIAM *N.* Quia illorum ignorantia fuit vincibilis ac culpabilis *C.* Joan. 5, 46 dixit CHRISTUS JUDÆIS : *Si crederetis* MOYSI, *crederetis forsi-*

tan et mihi : de me enim ille scripsit; facile igitur poterant Judæi ex Prophetis et miraculis Christum cognoscere. Id vero Apostolus intendit, quod Dominum gloriæ non crucifixissent, si eum *clare* cognovissent. Ad *Conf.* dico Apostolum ad Rom. 7, nec verbulo innuere *ignorantiam invincibilem : Quis enim ignoret, homicidium, adulterium, furtum, et omnem concupiscentiam esse malum,* ait S. Hier., epist. 151.

Inst. 1. Psal. 24, 7 orat. David : *Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris, Domine!* Proverb. 14, 22 dicitur : *Errant, qui operantur malum;* unde etiam omnis peccans dicitur ignorans. Luc. 23, 34 ait Christus : *Pater! dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* 1ª Tim. 1, 13 dicit Apostolus : *Misericordiam* Dei *consecutus sum, quia ignorans feci.* Luc. 12, 48 dicitur : *Servus, qui non cognovit voluntatem domini sui, et digna plagis fecit, vapulabit paucis ;* ergo ignorantia invincibilis non excusat a peccato.

R. 1. Adversus hæc et alia hujusmodi objecta urget fere semper illa retorsio de ignorantia juris etiam positivi, et invincibili quidem.

R. 2. *Ad* 1. — *N. C.* Nam David homo fuit, et ex illorum numero, de quibus Jacob. 3, 2 : *In multis offendimus omnes;* ergo sicut per *delicta juventutis* in Davide non intelliguntur tantum facta ante septennium : ita et per *ignorantias,* non tantum invincibiles, sed vel maxime vincibiles circa dicta et facta suorum filiorum Ammonis, Absalonis et Adoniæ denotantur, quæ cadere in virum secundum cor Dei non minus poterant, ac peccata quædam gravia.

Ad 2. *D.* Errant, qui operantur iniquitatem, semper practice per hoc, quod ita operantur, ac si nescirent, quid facto opus sit *C.* Errant semper formaliter ac speculative ita, ut ignorent aut non advertant ad legis obligationem, et malitiam objecti *N.* Nam sæpe vident meliora, probantque, et deteriora sequuntur.

Ad 3 et 4. R. Crucifixorum Christi ac Pauli ignorantia fuit vincibilis, adeoque peccatum.

Ad 5. *D.* Servus ignorans vapulabit paucis respective, quia mitius punietur, quam qui majorem de voluntate domini sui cognitionem, atque plus talentorum habuit et neglexit *C.* Absolute paucis *N.* Quippe servi illius ignorantia fuit vincibilis, de qua S. Aug., L. de *grat. et lib.,* c. 3 : *Nec ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem : aliud enim est, nescisse, aliud scire noluisse, voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur Psalm.* 35, 4 : *Noluit intelligere, ut bene ageret;* paucis tamen vapulabit, quia peccans ex ignorantia etiam vincibili non affectata, minus voluntarie peccat, quam peccans scienter et ex mera malitia.

Inst. 2. Gen. 20, 3. Deus occidere voluit Abimelech, quia tulit Saram, quam tamen invincibiliter ignorabat, esse uxorem Abrahæ. 1 Reg. 14, 44. Jonathas damnatur ad mortem ob pauxillum mellis gustatum contra præceptum patris ignoratum. In Lege Mos. offerebantur sacrificia pro ignorantia populi, de qua dicitur Num. 15, 25 : *Quoniam non sponte peccaverunt;* ergo ignorantia etiam invincibilis non excusat a peccato.

R. 1. Redit hic retorsio de ignorantia facti et juris positivi.

R. 2. — *N. C.* Nam 1° Abimelechi factum vocat S. Aug. *quantulumcumque peccatum :* non enim satis inquisivit, an Sara sit uxor Abrahæ, ut vult Abulens.; vel ut explicat Menochius, quia tulit invitam, non attentando

adulterium, a quo eum excusat Deus ipse v. 6 : *Scio, quod simplici corde feceris.* Adde, quod ignorantia hæc non fuerit juris, cum non ignoraret adulterium esse illicitum, sed facti, quia ignorabat SARAM esse conjugatam. 2° JONATHAS, ut ostendit CORNEL. A LAP., injuste condemnatus est propter transgressionem præcepti *humani*, quod ignorabat. 3° Sacrificia præcepta propter *ignorantias*, itidem de ignorantia vincibili explicat S. AUG., L. de *nat. et grat.*, c. 17. *Aliud est, inquit, non curasse scire, quæ negligentiæ peccata per Sacrificia quædam Legis videbantur expiari.* Erat præterea ignorantia ceremoniarum, adeoque juris positivi, quæ juxta ipsum JANSENIUM vincibilis esse debuit.

92. *Obj. 1 ex* S. AUG., L. 1 *oper. imperf.*, n. 47 ait : *Tertium vero genus, ubi peccatum ipsum est, et pœna peccati, potest intelligi in eo, qui dicit : Quod nolo malum, hoc ago : ad hoc etiam pertinent omnia, quæ per ignorantiam, cum aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona.* N. 106 ait : *Necesse est, ut peccet, a quo ignoratur justitia, numquid ideo, cum justitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ necessitate commisit...* Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi; ergo nulla ignorantia excusat a peccato.

R. 1° Quando S. AUG. dicit, per ignorantiam peccari : aut loquitur de ignorantia vincibili, et quidem non semper juris naturalis, sed positivi, imo facti, quia in exemplum adducit DAVIDEM, PAULUM, JUDÆOS CHRISTO et APOSTOLIS infensos, servum voluntatem Domini ignorantem; vel quia omnem ignorantiam, nullo facto discrimine vincibilis et invincibilis, contra Pelagianos docebat, esse peccatum, de peccato improprie dicto et materiali intelligendus est : sic enim L. 3 de *lib. arbit.* illud a formali distinguit, formale peccatum dicens illud, quod libera voluntate, et a sciente committitur : materiale, quod de peccato liberæ voluntatis, scilicet ADAMI, originem ducit, tanquam ejus supplicium, ita ut tanquam effectus causæ suæ nomen sortiatur.

R. 2° *ad* 1. Sicut indeliberati motus concupiscentiæ significati per illud APOSTOLI, *quod nolo malum, hoc ago,* sunt tantum improprie peccata ex dictis, ita etiam illa, quæ cum aguntur mala, non putantur mala, sed bona, peccata sunt tantum materialia, quæ ad vitiatæ naturæ infelicitatem, non ad vitiosæ voluntatis reatum pertinent.

Ad 2. *D.* Necesse est, ut peccet, a quo ignoratur justitia ignorantia invincibili *N.* Vincibili, affectata, vel crassa *Subd.* Necesse est necessitate consequente et morali *C.* antecedente et physica *N.* Cognita autem justitia procul dubio sunt ei dimittenda peccata, quæ vitiosæ illius ignorantiæ necessitate commisit; ac proinde non est impunitatis securitas in morali et consequente necessitate peccandi. De hac necessitate L. 1 *oper. imperf.* idem dicit : *Peccatis de ignorantiæ vel affectuum necessitate venientibus, quæ jam non solum peccata, verum etiam pœnæ sunt peccatorum, plenum est genus humanum* : quippe loquitur de *necessitate peccandi* orta ex rebelli concupiscentia, prava consuetudine, perturbatis animi affectibus, et ignorantia crassa, quæ non est physica et insuperabilis, sed moralis, quæ superari potest ac debet.

Inst. 1. S. AUG. in LL. *Confess.* deflet plura *peccata infantiæ* : et L. de *nat. et grat.*, c. 17. PELAGIUM redarguit dicentem, *ideo culpandam esse ignoran-*

tiam, quia id homo nescit negligentia sua, quod adhibita diligentia scire debuisset; ergo quamlibet ignorantiam docet esse peccatum, et culpam proprie dictam.

R. — *N. C.* Nam 1° infantiæ peccata deflet, tanquam opera vere adversantia legi naturali, non tamen imputabilia ad culpam *proprie* talem, cum ibidem dicat : *Tunc ergo reprehendenda faciebam, sed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos reprehendi me, nec ratio sinebat.*

2° Pelagium idcirco redarguit, quia illa etiam ignorantia culpanda est, qua homo scienda nescit citra negligentiam, *ex necessitate ignorantiæ,* cum et hæc sit defectus quidam a justitia originaria et *perfectione justitiæ,* ad quam juxta Pelagium homo in hac vita conari debet, et pertingere potest. Dicit ergo omnem ignorantiam esse culpam seu peccatum metaphorice, quatenus est effectus et pœna peccati originalis : quo sensu etiam concupiscentiam cum Apostolo peccatum appellat. Eadem ratione explica S. Aug., ep. 105 dicentem : *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, et fecerit hoc putando, utique peccat, et ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quis bene fieri putat, quod male fit.* Nempe peccat *materialiter,* ponens actionem reipsa discrepantem a recta justitiæ regula : non *formaliter,* cum non agat ex vitio voluntatis, sed ex insuperabili mentis errore.

Inst. 2. S. Aug., L. 1 *Retract.,* c. 13 docet *ea, quæ vel a nescientibus vel a coactis perpetrantur, non omnino posse committi sine voluntate.* L. de *grat. et lib. arb.,* c. 3 ait : *Sed et illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet.* Et in ep. ad Sixtum : *Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat;* ergo nec a culpa proprie dicta excusat invincibilis ignorantia.

R. — *N. C. Ad* 1. *D.* Quæ a nescientibus perpetrantur, non possunt committi sine voluntate facti *C.* Sine voluntate peccati *N.* Ita subtiliter exponit S. Aug., eodem L. c. 15 dicens : *Qui nesciens peccavit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis et ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum... quod si noluisset, non fecisset, non coactus est facere; quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit; ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati;* sunt ergo talia peccata solum *materialia,* non *formalia.*

Ad 2. R. S. Aug., ibidem loqui de ignorantia *crassa,* quæ est veluti media inter affectatam et invincibilem; alii quippe nesciunt, quia nolunt scire, cum possint, et est ignorantia *affectata* : alii, quia non possunt, cum velint, et est ignorantia *invincibilis* : alii quasi simpliciter nesciunt, quia non quidem renuunt scire, sed neque congruis mediis procurant scientiam, quam tamen, si lumen rationis non extinxissent, aut luce superna, quæ illuminat omnes homines, bene usi fuissent, vel gratiam suppliciter postulassent, etiam acquisivissent; vel si de ignorantia invincibili loquitur, solum vult, quod hæc infideles non excuset a peccato originali et damnatione : qui licet forsan minus sint cruciandi, semper tamen arsuri sunt, videlicet ob peccata contra legem naturalem scriptam in cordibus singulorum.

Ad 3. R. *similiter,* uti et ad subjuncta ibid. verba : *Ignorantia in eis, qui scire noluerunt, sine dubitatione peccatum est : in eis autem, qui non po-*

tuerunt, pœna peccati; ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio : ibi enim probat ex ep. ad Rom., c. 2 gentes ignorantes invincibiliter legem Evangelicam juste damnari propter originale et actualia peccata, non ex ignorantia invincibili facta, sed contra legem naturalem, respectu quorum non est justa illis excusatio, quamvis sit respectu juris positivi invincibiliter ignorati ; hinc Tr. 89 in *Joan.* ubi quærit, an gentes, quibus Evangelium non est prædicatum, excusationem habeant peccato suo? ita reponit : *Ad hæc inquisita pro meo captu Domino donante respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato suo, quo in* CHRISTUM *non crediderunt, ad quos non venit, et quibus non est locutus.*

Inst. 3. S. AUG., L. de *gestis* PELAG., c. 18 refert, damnatam esse in SYN. DIOSP. hanc Prop. : *Oblivio et ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem;* ergo oblivio et ignorantia etiam invincibilis, scilicet *quæ secundum necessitatem evenit,* subjacent peccato.

R. — *D. C.* Subjacent originali *C.* actuali *N.* Egit quippe SYNODUS contra CŒLESTIUM et PELAGIANOS, qui negabant peccatum originale, adeoque etiam quod ignorantia sit effectus vel pœna talis peccati : quo sensu ignorantiam non subjacere peccato, idem est, ac illam non provenire ex peccato originali. Testatur idipsum S. AUG., dum L. de *dono persev.*, c. 11 de PELAGIANIS ait : *Dicunt ignorantium et difficultatem* (*concupiscentiam*) *sine quibus nullus nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ.*

93. *Obj. III ex Ratione.* Sola ignorantia juris naturalis, non vero illa juris positivi, est pœna peccati originalis ; quia sola ignorantia juris naturalis est talis pœna, cui erat opposita scientia statui connaturali justitiæ originalis debita; ergo hæc sola non excusat a peccato, sed quod ex ea fit, peccatum est, sicut ipsa est pœna peccati.

R. 1. — *N. M.* Falso contendit JANSENIUS, SS. AUG. et HIER. agere contra PELAGIANOS de sola ignorantia juris naturalis, cum pleraque ignorantiæ juris positivi et facti exempla proferat; imo ipse JANSENIUS, L. 6 de *stat. nat. laps.*, c. 5 ait, non audivisse Evangelium CHRISTI, satis esse, ut excusationem habeant Gentiles de sua infidelitate : sed ignorantia Evangelii in infidelibus, qui nihil de CHRISTO audiverunt, est pœna peccati originalis, juxta ipsum JANSENIUM, qui L. 9 de *grat. Chr.*, c. 3 et 5 dicit, illam ignorantiam esse effectum reprobationis, factæ ex judicio DEI punientis gentes propter peccatum originale. Idem affirmat S. AUG., ep. 105 et D. THOM. 2, 2, q. 10. a. 1.

R. 2. — *D. prob.* Illa sola ignorantia est pœna peccati originis, cui opposita erat scientia tantum absolute debita statui justitiæ originis *N.* Quæ fuit debita pro omni hypothesi statui illi non repugnante, supposita purificatione conditionis *C.* Potuisset DEUS homini pro illo statu vel imponere præcepta solum naturalia, vel etiam positiva, quale fuit præceptum non comedendi de fructu vetito : in primo casu, solius juris naturalis, in secundo casu, juris etiam positivi tunc obligantis scientia statui illi debita fuisset; unde, ex modo arguendi JANSENII et *hujus* et *illius* ignorantia est pœna peccati originalis.

Inst. 1. Quæ fiunt ex ignorantia invincibilis juris naturalis, sunt voluntaria in causa, scil. in peccato ADAMI; ergo sunt formaliter peccaminosa, sicut

e. g. homicidium in ebrietate commissum, quando homo cum prævisione homicidii libere inebriatur.

R. 1° *Retorq.* Ergo quod ex tali ignorantia fit, etsi sit pœna peccati, non est tamen novum peccatum formale, sicut tale homicidium in ebrietate commissum, cum non minus in eo deficiat libertas formalis et actualis, ac in tali homicidio.

R. 2° — *N. C.* Etiam amentia, furor, phrenesis sunt pœna peccati originalis, ipso teste Jansenio L. de *stat. nat. pur.*, c. 11, et tamen a peccato excusant. Motus item indeliberati concupiscentiæ tam sunt voluntarii ac liberi in Adamo, quam ignorantia invincibilis; eos tamen peccata formalia nemo Catholicorum dicet, docente Conc. Trid., Sess. 5, in Decr. de *pecc. orig.*, concupiscentiam nocere non valere non consentientibus; ergo idem de ignorantia dicendum est.

Inst. 2. Ignorantia invincibilis non excusat a pœna; e. g. in fure; ergo nec a culpa.

R. — *D. A.* Ignorantia invincibilis culpæ non excusat a pœna, cum omnis pœna *proprie* dicta supponat culpam *N.* Ignorantia invincibilis solius pœnæ non excusat a pœna *C.* Siquidem pœna non sit admodum gravis et exorbitans. De ratione pœnæ non est, ut sit ita voluntaria et libera, sicut peccatum formale : ac præterea notum est omnibus, violatorem legis juste puniri; itaque qui libere violat legem, eo ipso pœnam meretur, in eamque consentit. Reg. 13, Jur. in 6 : *Ignorantia facti excusat, juris non excusat*, de jure *manifesto* loquitur, cujus ignorantia in foro externo probari debet; pro foro autem interno non excusat sola ignorantia pœnæ, nec ignorantia crassa culpæ, aut a peccato, aut a pœna ordinaria : si tamen solum statuta sit in illos qui temere ac scienter legem violant, ignorantia crassa juris aut facti excusat a pœna : ignorantia vincibilis, sed leviter culpabilis, ex æquitate postulat mitigari pœnam : tandem invincibilis tam juris quam facti excusat ab omni pœna.

Inst. 3. Si ignorantia invincibilis excusat a peccato; ergo melior est conditio ignorantis quam cognoscentis, cum hic formaliter, ille tantum materialiter peccet : hoc dici non potest; ergo vel non excusat a peccato, vel non datur ignorantia invincibilis juris naturalis; maxime cum Deus 1° *necessario* obliget ad ea quæ sunt juris naturalis : 2° Cum hæc ignorantia vinci possit per orationem et gratiam Dei : 3° Cum veteres TT. omnes unanimi eam consensu negarint.

R. — *D. M.* Conditio ignorantis esset melior secundum quid, sicut melior est juxta Jansenium, quatenus si non a toto, saltem a tanto excusat *C.* Absolute melior *N.* Est enim illa ignorantia error et causa deordinationis.

Porro 1° Deus per legem naturalem necessario obligat remote ac conditionate, nisi cognitio legis invincibiliter deficiat circa conclusiones aliquas obscuriores : tota vero lex naturalis, aut prima et primaria ejus præcepta, ex quibus pendet salus hominis, ignorari non possunt, quia Deus nec provide gubernaret naturam rationalem, nec obtineret finem intentum, scilicet manifestationem perfectionum divinarum.

2° Deus nemini denegat gratiam cognoscendi illas leges, quarum observatio necessaria est ad salutem : non tamen inquirentibus et orantibus promisit aut notitiam cujusvis legis positivæ, aut naturalis. Sane D. Thom., Bonav. et alii non satis oraverint, cum tot perseverent controversiæ.

3° Veteres hanc doctrinam haud satis accurate discussam deduxerunt brevissime ex illo principio : Deus *facienti quod est in se, non deerit*, quod tamen unice procedit de iis, quorum notitia absolute necessaria est ad salutem. D. Thomas cum 1, 2, q. 76, a. 2 dicat : *Patet, quod nulla ignorantia invincibilis est peccatum;* favet Recentiorum sententiæ, uti plures alii ex antiquis. Ad hæc plures Veterum sententiæ ad morum doctrinam pertinentes hodie sunt antiquatæ.

CAPUT II.

DE LIBERTATE ACTUUM HUMANORUM.

ARTICULUS I.

QUÆ IMMUNITAS REQUIRATUR ET SUFFICIAT AD LIBERTATEM ARBITRII?

94. *Nota.* Libertas a SS. PP., maxime Augustino, triplex assignatur : Libertas *a necessitate,* seu libertas *naturæ,* de qua 1ª Cor. 7, 37. Libertas *a peccato,* sive libertas *gratiæ,* de qua Rom. 6, 18. Libertas a *miseria,* seu libertas *gloriæ,* de qua Rom. 8, 21. Libertas *gratiæ* solis justis, libertas *gloriæ* solis beatis convenit : nobis de libertate *naturæ* sermo est, quæ omnibus communis, ad merendum et demerendum requiritur. Hæc subdividitur : *in libertatem a coactione* seu *spontaneitatis,* quæ est potentia agendi sine omni vi extrinseca et ad agendum cogente : convenit omni sponte, quamvis necessario, agenti; uti patet in generatione divina Filii, amore Beatorum, actionibus infantium et brutorum; *et in libertatem a necessitate,* seu *electionis, indifferentiæ arbitrii,* quæ est potentia, positis omnibus ad agendum requisitis, agendi, non agendi, agendi oppositum; unde libertas vel *contradictionis* vel *contrarietatis* vocatur. Datur vero etiam libertas ad extrema disparata, e. g. ad orandum, vel studendum. His addi potest tum libertas *ab inclinatione,* seu *æquilibrii,* quæ est potentia agendi, non solum sine coactione et necessitate absoluta, sed etiam sine necessitate infirmitatis vel concupiscentiæ, qualis fuit in statu innocentiæ : tum libertas *ab obligatione,* seu exemptionis a lege servitutis quæ eo major est, quo suavior est v. g. Lex gratiæ, quam Lex vetus. Necessitas libertati opposita, non minus ac illa, multiplex est : Necessitas *Coactionis, Inclinationis, Antecedens et Absoluta, Consequens et Conditionata, Specificationis, Exercitii, Physica, Moralis.*

95. *Dico.* **Ad libertatem arbitrii non sufficit immunitas a coactione, sed requiritur immunitas a necessitate.**

Prob. I. ex Script. Vera libertas arbitrii requirit dominium agentis in suos actus : *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius;* Gen. 4, 7 : *Non*

habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis; 1ª Cor. 7, 37 hinc damnatæ sunt a Pio V, Greg. XIII, et Urban. VIII. Baii propositiones 39, 46, 66 et ad *merendum* ac *demerendum* requirit indifferentiam activam : *Beatus.... qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino;* Eccli. 31, 10 et 11 ubi ratio meriti non præcise ex eo repetitur, quod quis non transgrediatur mandata, sed quod non transgrediatur, cum posset transgredi; hinc damnatæ sunt propositiones, Baii 67ª, et 3ª Jansenii; ergo.

II. Ex SS. PP. Justin. in Apol. ad Senatum ait : *Nihil esset in illis laude dignum, nisi facultatem haberent qua se in utramque partem converterent.* Clem. Alex., L. 4 : *Strom.* circ. fin. : *Id est in potestate nostra, cujus ex æquo sumus domini, et ejus quod ei adversatur, ut philosophari vel non, et credere vel non credere.* Hier., L. 2 cont Jovin. : *Liberi arbitrii nos condidit* Deus, *nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur : alioqui ubi necessitas, nec damnatio, nec corona est.* Aug., L. de *spir.* et *lit.*, c. 31 : *Hoc quisque habere in potestate dicitur, quod, si vult, facit, si non vult, non facit.* Juxta eumd. L. de *grat.* Christ., c, 47, conciliatio *libertatis* cum *gratia* ita est difficilis, *ut, quando asseritur* Dei *gratia, liberum arbitrium putetur auferri :* quæ tamen difficultas prope nulla esset, si libertas in sola immunitate *a coactione* consisteret. Damasc., L. 2 de *orth. fid.*, c. 26 : *In nostra potestate sunt ea, quæ liberum est nobis vel facere vel non facere.*

D. Thom., 1 p., q. 82, a. 1, ad 3 : *Sumus domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc vel illud eligere;* et q. 83, a. 3 : *Ex hoc liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere;* et L. 1 *cont. gent.*, c. 68 : *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, et violentiam causæ exterius agentis,* et q. 6 de malo a. un. : *Quidam posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur;... hæc autem opinio est hæretica : tollit enim rationem meriti et demeriti.* Atque hic sensus communis fuit omnium fere PP. ac TT. ante tempora Baii et Jansenii; ergo.

Conf. 1º Ex Conc. Trid. quod Sess. 6, can. 5 anathematizat Lutherum et Calvinum docentes, liberum arbitrium, post Adæ peccatum, amissum et extinctum esse : sed illi hæresiarchæ non negabant libertatem *a coactione,* quam potius prædicabant, Luth., L. de *lib. arbit.* et Calv., L. 2 de eod.; ergo negabant illam *a necessitate.* 2º Ex *ratione : meritum* debet esse actio nostra, quam possimus dare, tanquam pretium pro præmio : *demeritum* autem est essentialiter peccatum imputabile ad culpam et pœnam; ergo ad utrumque requiritur libertas *indifferentiæ.*

96. *Obj. I.* Juxta SS. PP. liberum dictur id, quod non cogitur : Aug., L. de *duab. anim.*, c. 10 : *Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendum.* Damasc., L. 2 *orth. fid.*, c. 12 : *Virtutis nomen obtinere non potest, quod quis per vim aut invitus efficit.* Ansel., L. 2 *cur Deus Homo*, c. 10 : *Improprie dicitur necessitas, ubi nec coactio ulla est, nec prohibitio.* Bern., L. de *grat.* et *lib. arbit.* de libertate ait : *Est habitus animi liber sui, siquidem non cogitur, non extorquetur : est quippe volun-*

tatis, non necessitatis. S. Thom., q. 10 de *pot.*, a. 2, ad 2 ait : *Naturalis necessitas, secundum quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat :... libertas enim voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur.* Et in 2, Dist. 25, q. un., a. 4. Liberum dicitur ex eo quod *cogi* non potest.

R. 1. Ultro concedimus, quod PP. et TT. ante Baii et Jansenii exortos errores inter necessitatem et coactionem, liberum et non coactum voluntarium, spontaneum ac liberum non accurate distinxerint; sæpe pro eodem sumendo utrumque et in sensu *latiori* ac *vulgari;* verum tunc per coactionem intellexerunt quamcumque necessitatem etiam non violentam, per voluntarium et spontaneum intellexerunt id quod est a voluntate sui ipsius determinativa per electionem; per voluntatem autem potentiam electivam ex propria determinatione.

R. 2. — *D.* Illud dicitur liberum, quod non cogitur, nec coactione absoluta et stricte tali seu violentia ab extrinseco, nec coactione conditionali et minus stricte tali, seu necessitate etiam intrinseca et antecedente *C.* Quod non cogitur tantum coactione stricte tali *N.* Ratio responsionis liquet ex allatis supra probationibus : et veritas ejusdem constat etiam ex aliis locutionibus PP. et TT. De Aug., Damasc., Thom., vide n. 95 S. Ansel. per coactionem intelligit necessitatem antecedentem, et solum vult quod necessitas consequens non sit proprie necessitas, *quia ipsam facit ipsa voluntatis libertas quæ, prius quam sit, eam cavere potest,* ut ait L. de *concord.*, q. 1, S. Bern., L. de *grat.* et *lib. arbit.* ait : *Aliud est voluntarius consensus, aliud naturalis appetitus..... hunc communem habentes cum bestiis, consensus voluntarius nos discernit : est enim habitus animi liber sui;* ergo cum bestiæ sint liberæ *a coactione*, libertas nos ab illis discernens debet excludere *necessitatem;* patet id magis, quia eod. l. c. docet : *Ubi necessitas est, ibi libertas non est : ubi libertas non est, nec est meritum.* Item : *Ubi necessitas jam non voluntas ;* ergo.

Inst. Docent SS. PP. libera esse, quæcumque *sponte* fiunt : atqui etiam necessaria sponte fiunt; ergo *Prob. Maj.* S. Prosp., L. *de grat. et lib. arbitr.* c. 19 : *Liberum arbitrium est rei sibi placitæ spontaneus appetitus.* Damasc., L. 3 de *fid.*, c. 14 : *Arbitrii libertas nihil aliud est, quam voluntas;* h. e. animi motus, cogente nullo. Ansel., de *lib. arbitr.*, c. 2 : *Per suum arbitrium peccavit, quod sic liberum erat, ut nulla re alia cogi posset ad peccandum :. et ideo juste reprehenditur, quia cum haberet hanc arbitrii libertatem, non aliqua re cogente, non aliqua necessitate, sed sponte peccavit.* Bern., serm. 81 in Cant. : *Homo, interveniente peccato, patitur quamdam vim, sed a voluntate, non a natura; ut ne sic quidem ingenita libertate privetur : quod enim voluntarium, et liberum.* S. Thom., 1, 2, q. 6, a. 2, ad 3 : *Laus et vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam rationem voluntarii ;* ergo.

R. — *D. M.* Quæcumque sponte fiunt, spontaneitate perfecta, libera esse docent *N.* Quæcumque sponte fiunt spontaneitate imperfecta *C.* Spontanea imperfecta sunt, quæ nullam supponunt deliberationem, et hinc ex electione non fiunt; dicuntur tamen spontanea, quia cum voluntate fiunt. Spontanea perfecta sunt, quæ supponunt deliberationem, et ex electione fiunt, et hinc a principio seipsum per electionem determinante; quæ necessitatem omnem antecedentem excludunt. Distinctio hæc probatur ex eo quod Prosper de

Adamo, Ansel. de eodem et de Angelis loquantur, quibus tamen, tanquam in statu innocentiæ constitutis, Jansenius concedit libertatem a necessitate requiri ad liberum eorum arbitrium. Damasc. hanc ipsam distinctionem in spontaneo affert, L. 2 de *orthodoxa fide*, c. 24. D. Thom. spontaneitatem necessitati opponit q. 6 de *Malo*. a. un. Plura vide apud Moraines in *Anti-Jansenio*.

97. *Obj. II.* Quod fit, cum volumus, est nobis liberum : atqui etiam voluntarium necessarium fit cum volumus; ergo est liberum : hinc, juxta Scotistas Pater et Filius libere producunt Spiritum S. et Deus ab æterno et de facto est liber vere in operatione ad extra, quin possit unquam deliberare aut se determinare in tempore.

R. — *D. M.* Quod fit, cum volumus, et quod etiam possumus non velle, est nobis liberum *C.* Quod fit, cum volumus, et actu tantum possumus velle *N.*

Liberum debet esse in nostra potestate electiva et active indifferente ad agendum et non agendum : debet fieri, movente seipsam voluntate, h. e. per propriam ex sua electione determinationem; unde 1° *Spiratio activa* non est libera et spontanea, ita ut hæc Scotistarum locutio neque Wicleffo, Luthero ac Calvino, neque Jansenio patrocinetur, quia illi liberum non sumunt in propria significatione, sed quatenus coincidit cum voluntario, prout advertit Jo. Puteanus. 2° Deus de facto est liber, h. e. actu exercet libertatem, sive est in exercitio libertatis : non vero hoc sensu, quod sit in potentia ad libertatem, aut quod habeat actum primum proximum libertatis ita ut se necdum determinarit : nam indifferentia quidem requiritur ad actum primum proximum libertatis constituendum; non vero manet adhuc indifferentia in ipso actu secundo, seu exercitio libertatis. 3° Deus non potest deliberare formaliter, per inquisitionem mediorum et comparationem cum fine; sed eminenter, per simplicem actum eligendo media propter finem. Non se determinat in tempore, ab æterno jamdum determinatus, non ex necessitate naturæ, aut alia antecedente; sed ex libera determinatione propria, et necessitate saltem per rationem consequente.

Inst. Amor beatificus in Beatis, quantumvis necessarius, liber tamen est libertate arbitrii, quia esset alias similis modo agendi irrationalium : est autem actus *humanus*, et fit ex prævia cognitione perfectissima; ergo.

R. — *N. A.* Modus agendi in brutis oritur ab imperfectione cognitionis, et ex solo instinctu naturali : in Beatis vero ex perfectione cognitionis, et ex objecti excellentia ineluctabiliter movente voluntatem : hæc autem cognitio, hoc ipso quod sit perfectissima, non indifferenter objectum proponit voluntati, sed eam determinat et rapit. Demum actus humanus proprie dici non potest, cum juxta D. Thom. 1, 2, q. 1, a. 1 : *actiones illæ proprie vocantur humanæ, quarum homo est dominus... et quæ cum voluntate deliberata procedunt.*

98. *Obj. III.* Juxta D. Thom. in 3 Dist. 18, q. un., a. 2, ad 5, actus charitatis in Christo, queis dilexit Deum, tantum a coactione erant liberi, et tamen meritorii; ergo ad merendum et demerendum non requiritur libertas a necessitate.

R. Verba D. Thomæ de libero Christi arbitrio : *Si etiam esset determinatum ad unum numero, sicut ad* Deum *diligendum, quod non facere non potest;*

tamen ex hoc non amittit libertatem, neque rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, et ita est actus sui dominus; ita exponi possunt : Tametsi CHRISTUS necessario DEUM dilexisset, quoad exercitium, libere tamen dilexisset ac meritorie, quia sponte, h. e. magna inclinatione, et actu valde intenso, cum potuisset minus intensos elicere; certo alio sensu CHRISTUS non magis actus sui dominus fuisset, ac bruta suorum; CHRISTUS ergo liber non fuit in peccando et non peccando, sed tamen ad ea omnia, quæ ita volebat, ut sine indecentia posset eadem omittere, et vel agere, vel non agere, vel etiam ex diversis objectis unum præ alio eligere. *Vide Tr. de Incarn.* Alibi per voluntarium perfectum simul intelligit *liberum, quando nempe,* ut ait, *aliquis deliberans de fine potest in finem moveri, vel non moveri.*

Inst. 1. Ad rationem meriti et demeriti, quamvis requiratur immunitas a necessitate absoluta, non tamen a necessitate relativa ad intensiorem vel gratiæ, vel concupiscentiæ motum requiritur; præsertim cum, quod fit ex concupiscentia necessitante, in voluntate peccantis ADÆ sat liberum fuerit, adeoque imputabile ad peccatum; ergo.

R. — *N. A.* Quæcumque necessitas antecedens tollit indifferentiam ad utrumlibet eo instanti, quo fit bonum vel malum : et hanc immunitatem a quavis necessitate antecedente tum absoluta, tum relativa, Scriptura et SS. PP. requirunt ad libertatem arbitrii; hinc damnata propositio 3ª JANSENII tanquam hæretica, quamvis solam necessitatem *relativam* assereret : damnata item ab ALEX. VIII prop. 1ª de libertate peccati *in sua causa,* scilicet in voluntate ADAMI aut in peccato originali, maxime cum hoc per baptismum omnino deletum sit : proinde sicut omne peccatum esse liberum, ita personale personaliter esse liberum debet.

Inst. 2. Peccata sæpe fiunt sine advertentia v. g. in consuetudinariis : in hac vita nequeunt vitari omnia peccata saltem venialia : damnati DEUM oderunt necessario, et tamen peccant : demum systema libertatis hactenus assertæ est merum commentum philosophicum; ergo ad peccatum omnimoda immunitas a necessitate necessaria non est.

R. Consuetudinarii, tametsi careant indifferentia propensionis, non tamen arbitrii : consuetudo prava difficultatem, at nullam necessitatem saltem physicam imponit. Neque ad peccata venialia quisque physice necessitatur. Necessitas peccandi in damnatis potius est moralis; attamen novæ pœnæ reos non facit. Denique non commentum, sed unanimis Philosophorum sensus, adeoque vox naturæ est, nostra libertatis definitio; igitur CALVIN. et JANSEN. inique illam criminantur.

99. *Observa.* Liberum arbitrium *abstracte* sumptum, prout a DEO, Beatis, et homine viatore præscinditur, adæquate constituitur per indifferentiam contradictionis, seu potentiam agendi et non agendi : nam, ut ait S. ANSEL., *de lib. arbitr.,* c. 1, *si potentia peccandi et non peccandi esset ejus definitio, nec* DEUS, *nec Angelus, qui peccare nequeunt, liberum haberent arbitrium, quod nefas est dicere.* Ad hæc definitio ista convenit omnibus liberis in quocumque statu. Liberum arbitrium *contracte* sumptum, prout reperitur in statu puri hominis viatoris, adæquate constituitur per libertatem contradictionis et contrarietatis, scilicet ad bonum et malum, quia sic explicatur in Script., in CC., et a SS. PP. Certum est juxta omnes, de ratione liber-

tatis *contractim* sumptæ esse potentiam non peccandi, ergo et potentiam *peccandi*, quia libertas circa unum e contradictoriis involvit libertatem circa alterum, ut salva sit utriusque optio; unde S. THOMAS ait : *Si operari est in potestate nostra, oportet etiam, quod non operari sit in potestate nostra, et e converso.*

ARTICULUS II.

QUÆ INDIFFERENTIA REQUIRATUR ET SUFFICIAT AD LIBERTATEM ARBITRII?

100. *Nota.* Libertas arbitrii *remota* dicitur actus primus libertatis incompletus, sive facultas se determinandi, si ponantur requisita; hæc est libertas radicalis, et intrinseca voluntati. Libertas *proxima* est actus primus libertatis completus et indifferens, qui voluntatem constituit proxime potentem agere et non agere; hæc est denominatio partim intrinseca, quia dicit libertatem radicalem, partim extrinseca, quia dicit indifferentiam objectivam, concursum DEI, et similia voluntati extrinseca. Est autem *indifferentia* triplex : *objectiva* seu *judicii*, quæ est repræsentatio objecti sub diversa ratione boni et mali : *passiva* seu *subjectiva*, quæ est potentia receptiva, indeterminata ad unum potius quam alium actum recipiendum : *activa* sive *principii*, quæ potentia est indifferens ad agendum, non agendum, hoc vel ejus oppositum agendum. Demum *prærequisita* ad libertatem, quæ tempore vel natura prius poni debent quam voluntas agat, sunt ipsa potentia seu voluntas, cognitio indifferenter proponens objectum, concursus DEI paratus, et remotio omnis impedimenti per ipsum actum secundum inauferibilis.

101. *Dico I.* **Ad libertatem arbitrii non sufficit indifferentia aut objectiva, aut subjectiva, sed activa requiritur.**

Prob. I^a P. Stante indifferentia *objectiva*, potest homo cogi, potest DEUS voluntati immittere qualitatem quæ ad unam partem necessitet, potest subtrahere concursum suum ad unam partem : sed in his casibus non haberetur liberum arbitrium; ergo indifferentia judicii sola non sufficit. *Conf.* Sequeretur : 1° Gratiam necessitantem HÆRETICORUM et *victricem* JANSENII non obesse libero arbitrio, cum etiam in harum consortio stare queat indifferentia objectiva. 2° Frustra egisse PATRES et CC. adversus eversores libertatis cum nullus horum indifferentiam objectivam negarit.

Prob. II^a P. Damnatum est a TRID. SESS. 6, can. 4, quod liberum arbitrium *mere passive* se habeat; ergo constitui debet in potentia non mere passiva, sed activa et electiva, quæ actus habeat in sua potestate. *Conf.* Sequeretur voluntatem esse liberam ad gratiam primam, quia ad hanc recipiendam est indifferens; sola ergo capacitas et indifferentia *subjectiva*, recipiendi formam vel actum, non sufficit ad libertatem.

Prob. III^a P. Quia liberum arbitrium, juxta omnes, habet veram causalitatem : ad hanc vero nec sufficit mera causalitas meterialis, uti dictum : nec efficiens quomodocumque, cum alias non esset differentia inter actum necessarium et liberum; ergo causalitas efficiens *electiva*, seu elective activa, et active indifferens. *Conf.* TRID. l. c. docens liberum arbitrium non se habere *mere passive*, et ut quoddam inanime, non tantum excludit potentiam

mere receptivam, sed etiam potentiam *activam* quidem, at non electivam; ergo requiritur indifferentia *activa*, et quidem *electiva*.

Dixi : Nec objectiva, nec subjectiva sufficit : utrumque enim requiri constat; cum 1° actio indifferens non possit haberi sine cogitatione prævia indifferente : 2° si voluntas esset determinata ad unum actum virtualiter recipiendum, non posset elicere aut recipere alium. De indifferentia propensionis nihil hic additum, quia non requiritur ad essentiam liberi arbitrii, cui accidentalis est, et tum adesse, tum abesse potest.

Si ais 1°. D. THOM., p. 1, q. 83, a. 1 ait : *Judicium rationis ad diversa se habet, et non est determinatum ad unum : et pro tanto necesse est quod homo sit liberi arbitrii, ex hoc ipso quod rationalis est.* Idem dicit, voluntatem non posse necessitari, dum ei objectum indifferenter proponitur.

R. 1° *D.* Ob judicium rationis indifferens homo est liber radicaliter *C.* Formaliter *N.* Illud quidem requiritur necessario ad libertatem, aut non sufficit. 2° *D.* Non potest necessitari ex parte objecti, dum hoc indifferenter proponitur *C.* Aliunde, et ex parte subjecti *N.* Nam stante cognitione indifferente necessitari posset, si daretur gratia vel concupiscentia dominans in sensu CALVINI aut JANSENII.

Si ais 2°. Objectum non potest amari libere, nisi proponatur ut libere amabile; ergo nec potest amari necessario, nisi proponatur ut necessario amabile.

R. — *Disp. est :* quia libertas est bonum voluntatis : hoc autem cum sit ex integra causa, ad eam habendam requiritur indifferentia tum ex parte *objecti*, tum ex parte *subjecti;* quia vero necessitas est malum voluntatis, et hoc habetur ex quolibet defectu, illam etiam oritur ex sola absentia indifferentiæ vel ex parte *objecti*, vel ex parte *subjecti*. Adde, quod operans stante quidem objecti indifferentia, sed aliunde necessitatus, non possit dici agere *ex*, sed tantum *cum* indifferentia objectiva, quia ista indifferentia operantem non dirigit ad agendum, nec ipse se determinat.

102. *Dico II.* **Ad libertatem indifferentiæ activæ requiritur etiam potestas non agendi in sensu composito requisitorum.**

Prob. 1° TRID., Sess. 6, can. 4 cont. LUTH. et CALV. definit, liberum arbitrium constitutum cum ultimo complemento ad bene operandum ita libere agere, ut a DEO *motum et excitatum possit dissentire, si velit* : atqui hoc intelligi debet de *sensu composito*, non quidem, ac si simul componi possint actio et non actio; sed quod positis omnibus ad agendum requisitis absolute antecedentibus, sive quæ habere vel non habere, non sit in hominis potestate, tam possit componi non actio, quam actio; ergo. *Min.* patet : quia TRID. damnat HÆRETICOS, qui non negabant hominem posse male agere in *sensu diviso* gratiæ, sive si ea abesset. 2° Eadem Sess., cap. 5, ubi explicat concordiam libertatis cum gratia, docet, quod *tangente* DEO *cor hominis per* SPIRITUS S. *illuminationem*, homo inspirationem illam possit abjicere, et can. 4 quod possit *dissentire;* CONC. vero SENON., an. 1528 sub CLEM. VII in GALLIA celebratum in Decretis fidei docet, quod homo possit resistere : atqui abjicere. dissentire, resistere dicunt sensum compositum; ergo. *Min.* constat; quia *abjicere* est, rem habitam dimittere, aut oblatam respuere : *dissentire* est, non consentire excitationi reipsa existenti, cum non dissentiamus

ei, quæ non est : *resistere* est, excitationi præsenti consensum negare, uti dicimur resistere tentationibus, concupiscentiis, etc.

Conf. Causa libera, deficiente potentia conjungendi carentiam actus cum omnibus requisitis ad agendum, non differt a causa necessaria, quia et hæc potest conjungere carentiam actus in *sensu diviso*, h. e., deficiente aliquo ad agendum requisito, v. g. oculus non videre sublato lumine, ita quidem, ut hoc ipsum tunc impossibile sit; ergo, ut differat, major causæ liberæ potestas esse debet. Profecto si definitio libertatis intelligatur in *sensu diviso*, et Christus et Beati erunt ad peccandum liberi, cum habeant potestatem peccandi *in sensu diviso* unionis hypostaticæ, et visionis beatificæ : cæcus erit liber ad videndum, captivus ad fugiendum, claudus ad ambulandum, etc.

Si ais : Pleraque ad actionem prærequisita non possunt componi cum non actione, nempe decretum Dei de concursu suo ad actionem, prædefinitio actuum bonorum, gratia efficax, determinatio voluntatis, qua ipsa se determinat; ergo.

R. — *N. A.* Nam 1° Per decretum Dei omnipotentia offertur creaturæ indifferenter ad utrumlibet; concursus vero in *actu secundo* non est unum ex prærequisitis. 2° Neque prædefinitio, neque scientia media, qua illa nititur, prærequiruntur ad actum primum libertatis, cum voluntas proxime possit agere per auxilium gratiæ datum etiam sine illa scientia, et prædefinitione : hæc quippe requiritur ex parte Dei, ut specialem affectum testetur erga electos : illa, ut auxilium conferat modo sapientissimo ac Deo digno. 3° Gratia efficax, ut infallibiliter efficax, non est simpliciter antecedens et prærequisita, sed consequens liberum voluntatis consensum conditionate futurum. 4° Neque se tenet ex parte actus primi determinatio voluntatis, cum voluntas agendo, et per ipsam suam actionem se determinet, non vero per aliquid prævium incomponibile cum omissione actus.

103. *Observa.* Equidem *indifferentia judicii* necessario requiritur ad libertatem, atque cum Deus auctor naturæ exigentiis creaturarum ordinarie sese accommodet, ubi judicium indifferens datur, cætera item requisita dantur ad libertatem; attamen in hac indifferentia sola neutiquam consistit, neque cum illa indispensabiliter libertas connectitur : id hactenus probatum. An præter cognitionem indifferentem requiratur judicium, seu imperium practicum, quo intellectus voluntatem determinet, hoc vel illud, hic et nunc eligendum esse : alii negant, alii cum Thomistis affirmant; at contra est : vel hoc judicium practicum est voluntati liberum, vel non? si est; ergo sine prævio judicio practico jam potest aliud eligere voluntas, vel fit processus in infinitum : si non est; ergo tollitur libertas, quia voluntas præcise a cognitione, sicut appetitus sensitivus a phantasmate, determinata, nec mediate, nec immediate potest contrarium eligere.

ARTICULUS III.

QUI SINT ERRORES PRÆCIPUI CIRCA LIBERTATEM ARBITRII?

104. *Nota.* Errores circa libertatem arbitrii tam fuere multiplices, ut prope necessarium videatur, in diversas classes eos discernere, quo magis ex ordine confutentur hæreses, ac orthodoxa veritas inclarescat magis. Itaque classis 1ª referet illos tum GENTILIUM, tum HÆRETICORUM generatim; 2ª PELAGIANORUM speciatim; 3ª JANSENII cumprimis errores.

Errores GENTILIUM *et* HÆRETICORUM *generatim.*

105. I. Libertatem Arbitrii, sine respectu ad statum naturæ lapsæ, negarunt STOICI ex Fato, ASTROLOGI judiciarii, Planetarii et Genethliaci ex certo positu ac influxu astrorum, MANICHÆI ex duplici anima ita, ut hominem ferri necessario dicerent in bonum, si anima bona, in malum, si mala prævaleat: non quidem necessitate coactionis, sed inclinationis seu determinationis ad unum.

106. II. Pro statu naturæ lapsæ circa eamdem errabant PELAGIANI, qui, cum libertatem arbitrii nimium extollerent, necessitatem gratiæ negarunt: WICLEFFUS haud multum discrepans a MANICHÆIS, cujus propositio 27, *omnia de necessitate absoluta eveniunt,* damnata est in CONC. CONSTANTIENS. Sess. 8; LUTHERUS, qui in *assert. art.* 36 et L. de *Servo arbitrio* ait, liberum arbitrium esse *figmentum in rebus* et *titulum sine re :* CALVINUS in Antidoto CONC. TRID. ait: *qui illud,* liberum arbitrium, *dixerit esse titulum sine re,* CHRISTUM *habet auctorem et* AUGUSTINUM; similia habet L. 1 *Inst.,* c. 45; L. 2, c. 3, § 7 et 11, aliique post hos Novatores. LUTHERUS tamen MELANCHTHON et CONFESSIO AUGUST. libertatem indifferentiæ admisere quoad actiones civiles et politicas.

107. III. JOVINIANUS, FLORUS, aliique MONACHI ADRUMETINI non quidem aperte negarunt libertatem arbitrii, eam tamen interimi efficacia gratiæ docuerunt; itidem BAIUS cujus propositiones 79 a PIO V, JANSENIUS cujus propositiones 5 ab INNOC. X, ALEX. VII, CLEM. XI, QUESNELLUS cujus propositiones 101 a CLEM. XI damnatæ sunt.

Errores PELAGIANORUM.

108. I. Negarunt PELAGIANI, libertatem arbitrii stare posse cum necessitate gratiæ prævenientis: dixerunt, liberum arbitrium post ADÆ peccatum pares habere vires, sive ad bonum, sive ad malum; indefferentiam ad malum pertinere ad naturam libertatis, prout hæc DEO, Angelis et hominibus convenit.

109. II. Inter præcipuos illorum errores erat hic, hominem in hac vita per proprias vires suas posse sine omni peccato esse; qui error refertur a PAULINO accusatore CELESTII a. 6 et a PAUL. OROSIO in Actis CONC. CARTHAG., an. 412; HIER. in præf. L. 4 in *Jerem.;* AUG., L. *de Dono persev.,* c. 2; L. 3 ad *Bonif.,*

c. 8 ; L. 3 cont. *Julian.*, c. 1 ; de *hær.*, n. 88. Unde patet, errasse QUESNELLUM, dum a LEONIS opera tom. 2, Diss. 3 scripsit, hunc errorem esse duntaxat rumusculum, et quæstionem minus gravem. Potius enim est radix reliquorum, ut agnoscit ipse JANSENIUS, tom. 1, L. 6, c. 18 et PP. Bened. in edit. oper. S. HIER. : nam cum PELAGIUS in ipsa natura potestatem non peccandi assereret, inde conclusit, in homine non esse infirmitatem naturæ, qua debilitaretur post lapsum ADAMI ; ideoque ADAM non esse lapsum, nec existere peccatum originale, ac demum gratiam homini non esse necessariam.

110. III. Hic error uno nomine vocatur *Impeccantia*, et distinguitur ab *Impeccabilitate*, qui error erat JOVINIANI : quia posse non peccare, seu potestas non peccandi aliud est, quam non posse peccare, seu impotentia peccandi, quod JOVINIANUS tribuebat homini post baptismum, sive gratiam sanctificantem receptam, quam inamissibilem statuit. Erravit ergo JANSENIUS, tom. 1, L. 4, c. 19 scribens, inter hæc non bene distinxisse S. HIERONYMUM. Continet autem hic error in se plus, quam exprimat ; nempe hominem non tantum posse abstinere ab omni peccato, et a consensu in peccatum, sed 1° carere etiam omni sensu peccati, extinguere omnem concupiscentiam, et immunem fieri ab omni tentatione interna, motu et inclinatione inordinata ; 2° adipisci perfectionem justitiæ, seu justitiam perficere atque exercere ita perfecte, ut nihil lateat, quod secundum justitiam agendum sit, et ita agat, ut sine difficultate et contrario animi motu totum peragatur.

111. IV. *Primum* convenit cum apathia STOICORUM ; unde et HIER. in præf. L. 4 in *Jerem.* dixit : *Hæresis* PYTHAGORÆ et ZENONIS ἀπαθείας καὶ ἀναμαρτησείας *id est, impassibilitatis et impeccantiæ... cœpit reviviscere.* Et in epist. ad Ctesiph. *Philosophi, Patriarchæ Hæreticorum, Ecclesiæ puritatem perversa maculaverunt doctrina, ut nesciant illud dictum de humana fragilitate... Video aliam legem*, etc. AUG. postquam, L. 2 cont. JULIAN., c. 8 recitasset ex AMBROSIO (L. *de* ESAU *sive de fuga seculi*, c. 1) concupiscentiæ motus varios turbare animam ; sic alloquitur PELAGIANOS : *Hæc si vos non patimini, ignoscite, non vobis credimus, sed in his potius* S. AMBROSII *verbis speculum quoddam... communis humanæ infirmitatis agnoscimus. Vobis autem etiamsi credamus, et dicamus : orate pro nobis, ut nec nos ista patiamur ; ita vos invenimus elatos et alta sapientes, ut respondeatis nobis, non solum ista vos non pati, verum etiam in hominis esse potestate, ne ista patiatur, nec esse causam, cur ad hoc* DEI *poscatur auxilium.* Item ubi, L. 6 cont. JULIAN., c. 5 errori PELAGIANO opposuisset textum Sap. 9, 15 : *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*, JULIANUM alloquens ait : *Sed tu tanquam in cœlo jam inter Angelos immortaliter habitans, verba mortalitatis et infirmitatis irrides.*

Secundum convenit cum illa similitudine affectata STOICORUM cum DEO, de qua XISTUS Pythagoricus ita loquitur : *Libertatem arbitrii permisit hominibus* DEUS, *ut pure et sine peccato viventes similes fiant* DEO. Unde HIER. in ep. ad Ctesiph. ait : *quæ potest alia major esse temeritas, quam* DEI *sibi, non dicam, similitudinem, sed æqualitatem vindicare, et brevi sententia omnium Hæreticorum venena complecti, quæ de Philosophorum, et maxime* PYTHAGORÆ *et* ZENONIS, *principis* STOICORUM, *fonte manarunt.* Et S. AUG. L. *de Spir. et lit.*,

c. 2 : *Putant, sine adjutorio* Dei *per ipsam vim voluntatis humanæ justitiam posse perficere.* Item, L. *de nat. et grat.*, c. 42 : *Neque illud nimis curo, utrum fuerint hic aliqui, vel sint, qui perfectam, cui nihil addendum esset, habuerint, vel habeant, vel habituri sint charitatem* Dei; *ipsa enim est verissima, perfectissimaque justitia.* Ubi

112. *Adverte* 1° in hujus erroris oppugnatione plura protulisse tum Hieronymum, tum Augustinum, quæ videantur repugnare nostræ Theologiæ; ut dum dicunt, dari præcepta servatu impossibilia, peccata *ex necessitate* facta, ignorantiam omnem cum peccato conjunctam, *amissam* libertatem. 2° Juxta S. Aug. præceptum *perfectionis justitiæ* (de quo supra num. 81) potuisse impleri in statu innocentiæ, et implendum esse *in cœlo* a beatis : non autem impleri posse in præsenti vita, cujus impotentiæ causa sit peccatum originale, juxta eumdem, L. 1 *ad Simplic.*, q. 1, n. 11 : *Sed quod perficere bonum non sit in potestate, ad meritum pertinet originalis peccati;* quamvis autem præceptum hoc implere non possimus, tamen juste dari et sine causa a nobis violari : juste dari, quia habet duplex objectum, mediatum sive extinctionem concupiscentiæ, et immediatum, sive conatum ad extinguendam concupiscentiam : objectum immediatum imperatur tanquam medium, objectum mediatum ceu finis; sine culpa tantum violari; quia violatio illius non est peccatum formaliter, sed tantum materialiter tale, neque tam culpa, quam defectus est.

113. V. Cum Pelagiani negare non possent in homine, vigere concupiscentiam, motus tantum voluntarios admiserunt esse peccata, involuntarios autem nullam habere rationem mali, sed bonum esse naturæ, adeoque, cum voluntarii in nostra potestate sunt, etiam penes nos esse, non peccare et servare *perfectionem justitiæ.* Contra vero Aug. statuit, omnem concupiscentiæ motum esse *peccatum :* tum quia Paulus ad Rom. 7, 15, etc., dicit : *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio;... nunc autem non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum :* tum quia omnis ejusmodi motus est contra præceptum divinum saltem, *non concupisces :* tum denique quia est contra ordinem a Deo primitus statutum, et perfectionem originariæ conditionis, sive defectus a justitia perfecta, quæ in Adamo fuit, et futura est in sequenti vita, quo tendere, quam appetere quotidie debemus.

Sicut distinxit actionem et perfectionem justitiæ, nec non præcepta ad actionem vel perfectionem illius spectantia, sic etiam distinxit peccata, et 1um quidem peccatum contra actionem justitiæ, et præceptum, *post concupiscentias non eas,* definivit L. de 2 anim., c. 11 : *Peccatum est voluntas admittendi vel retinendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere.* 2um contra perfectionem justitiæ, et præceptum, *non concupisces, diliges* Deum *ex toto corde,* L. de perfect. just., c. 6 : *Peccatum est, cum vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quam debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit.* Ibidem, c. 8 ait : *Concupiscentia non frænari, sed omnino esse non debet, nec erit in illa perfectione justitiæ, ubi nullum omnino peccatum erit.* L. de nat. et grat., c. 38 : *Si in* Abel *juxto charitas* Dei *adhuc erat, quæ posset et deberet augeri, quidquid minus erat, ex vitio erat.* Unde S. Aug. merito arguebat contra Pelagianos, impeccantiam et perfectionem justitiæ ab iis jactatam in hac vita non dari, cum impossibile esset, hominem sive per

actionem liberam, sive per actionem saltem necessariam et peccatum materiale non deflectere a perfectione justitiæ.

Errores Jansenii.

114. I. Jansenius, ut suam hæresin de peccato sine libertate et cum necessitate etiam faciendo stabiliret, aliter ac Pelagiani, processit, et cum illi nec peccatum quidem improprium ac materiale admitterent in motibus et actionibus necessariis, ipse peccatum formale, et proprium constituit cum necessitate et sola libertate a coactione. Eam in rem, quæ dixerat Augustinus de peccato contra perfectionem justitiæ, et quæ ille asseruerat de actione justitiæ, transtulit ad actiones originalis innocentiæ, sive ad Adamum. Pro hac perversione usus est, tum ex L. 1 *op. imperf.*, n. 17 textu sequente : Adam *quippe omnino, quando peccavit, nihil in se habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum, et propter quod diceret : non, quod volo, facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago, ac per hoc egit peccando, quod justitiæ vetabat, et unde liberum erat abstinere. Nunc ei, qui dicit, quod nolo malum, hoc ago, abstinere liberum non est :* tum quod Julianus nollet admittere definitionem peccati *secundo* loco datam, sed *primam* requireret ad omne peccatum. Docet autem Jansenius, et auctoritate S. Augustini, cujus lectioni plures quam 20 annos se impendisse gloriatur, stabilire nititur, voluntatem humanam per peccatum Adæ ita præcipitatam esse in dominatum libidinum, ut in omnibus necessario sequatur vel delectationem terrestrem concupiscentiæ, vel cœlestem infusam a Deo, prout altera alteram vicerit.

115. II. Omnem voluntatem et volitionem ratione sui et essentialiter esse liberam : implicare, ut sit voluntas, et non sit libera, sicut implicat, ut volendo non velimus, aut ut voluntas non sit voluntas : synonyma esse, velle, et libere velle; adeoque omne velle esse liberum, quia id est liberum, quod, cum volumus, facimus; facimus autem volitionem, cum volumus.

116. III. Duplicem esse necessitatem juxta S. Aug., unam dominantem, prementem instar ponderis, et simpliciter dictam, quæ operetur effectum, voluntate quantumcumque renitente : alteram esse simul voluntariam, qua scilicet necesse est, aliquid fieri non repugnante, sed immutabiliter volente voluntate : hanc non repugnare libertati, quia non impedit, quin velimus, cum volumus; illam adimere libertatem, et opponi voluntati : nequit enim fieri voluntate nostra, quod fit nobis nolentibus; cum itaque voluntas cogi non possit quoad actus elicitos, fieri non posse, ut aliquis actus voluntatis non sit liber.

117. IV. *Indifferentiam* voluntatis ad statum aliquem, non ad essentiam liberi arbitrii pertinere : Deum, Christum, Beatos absque ulla indifferentia ad amorem Dei, damnatos vero ad malum liberrimos esse : soli Adamo innocenti tribuendam libertatem indifferentiæ ad bonum et malum, nobis autem ad utrumque nihil indifferentiæ esse relictum, solam proin *necessitatem coactionis* adversari essentiæ et perfecto statui liberi arbitrii, libertatem autem a coactione ad rationem *meriti et demeriti* sufficere.

118. *Observa.* Ex hoc suo systemate inferebat JANSENIUS, gratiæ interiori nunquam resisti, hanc vero gratiam nec semper dari, nec ab homine *obtineri* posse, quædam præcepta justis etiam *impossibilia* esse, motus indeliberatos concupiscentiæ antecedentis esse peccata formalia, neque ignorantiam *invincibilem*, neque necessitatem antecedentem a peccato excusare, CHRISTUM denique pro solis prædestinatis mortuum esse. Convenit autem hoc systema reipsa cum doctrina STOICORUM, qui non dixere, hominem a fato vel præscientia cogi, ut nolens vel invitus vellet, sed admissa immunitate a coactione tantum negarunt libertatem a necessitate: MANICHÆORUM, quia sicut hi *duas animas*, ita JANSENIUS *duo principia* statuit, non cogentia quidem, quia intrinseca, sed necessitantia, quia determinantia ad unum: LUTHERI et CALVINI, qui itidem solam indifferentiam activam, non vero libertatem a coactione negabant; quamvis autem voce tenus mollior ac mitior esse videatur necessitas JANSENII, reipsa tamen non minus ferrea et brutalis est, ac illa CALVINI et LUTHERI, pari proin jure a TRID., Sess. 6, can. 5 fulminata.

ARTICULUS IV.

QUÆ SIT VERA DOCTRINA S. AUGUSTINI DE LIBERTATE ARBITRII?

119. *Nota I.* Id semper familiare HÆRETICIS fuit, circa libertatem arbitrii vindicare sibi auctoritatem D. AUGUSTINI, Doctoris in materia de *gratia* et *libero arbitrio* maximi. JANSENIANI cum primis cum suas in partes hæreticas trahere adnituntur, atque adeo contra mentem ipsius S. Doctoris exorbitant, ut Bullas Pontificias contendant esse interpretandas ad mentem S. AUG., non vero S. AUG. ad mentem Bullarum Pontif.; hinc damnata est ab ALEX. VIII, Prop. 30. Ipse etiam AUG. in suis epist. lectoribus suorum scriptorum dat facultatem recedendi a sua doctrina, siquidem fides, communis SS. PP. sensus, aut sufficiens ratio id exigant. Attamen quia JANSENIUS infinitis prope locis asserit, profiteri se doctrinam S. AUG., et quia suos libros inscripsit. AUGUSTINUS CORNELII JANSENII IPRENSIS, et quia ejus Magister ac Sectatores, SANGYRANUS, ARNALDUS, QUESNELLUS, aliique AUGUSTINIANOS sese compellant, operæ pretium videtur, præcipua *Augustinianæ doctrinæ* capita circa libertatem arbitrii ita sub unum quasi conspectum ponere, ut facile quivis intelligat, quam sint cariosa et fallacibus imposturis subnixa JANSENIANORUM fundamenta.

120. *Nota II.* Præcipua hac in re concertatio S. AUGUSTINO fuit cum MANICHÆIS et PELAGIANIS, quorum errores, quia diversis principiis insistebant, diversis item armis impugnavit; unde factum, ut liberum arbitrium in duplici sensu acciperet, nempe in LL. contra MANICHÆOS pro naturali facultate eligendi utrumlibet positis omnibus ad agendum requisitis, quam negabant illi, subjicientes hominem naturali in bene vel male agendo necessitati animæ bonæ vel malæ; in LL. contra PELAGIANOS pro eadem facultate instructa omnibus ad agendum requisitis, inter quæ est DEI gratia ad operandum bene, vel abstinendum a peccato utiliter ad vitam æternam, cujus gratiæ necessitatem negabant PELAGIANI. *Libri* autem contra MANICHÆOS conscripti

unt *LL. de lib. arbitr., L. cont. epist. Manichæi dictam* Fundamentum, *L. 2 de anim., L. cont. Fortunatum, L. cont. Adimantum, LL. 33 cont. Faustum, LL. 2 de actis cum Felice, L. cont. Secundinum, L. de nat. boni, L. de fide,* etc. Contra PELAGIANOS, *LL. 3 de pecc. merit. et remiss., L. de spir. et lit., L. de nat. et grat., L. de gest. Pelag., LL. de grat. Christ. et pecc. orig., LL. 2 de nupt. et concup., LL. 4 ad Bonif., LL. 6 cont. Julian., LL. 6 oper. imperf. cont. eumd., L. de grat. et lib. arbitr., L. de corrept. et grat., L. de perfect. justit., L. de prædestin. Sanct. L. de Dono persever., LL. 4 de orig. animæ.*

121. *Dico I.* **S. Augustinus etiam in statu naturæ lapsæ admisit libertatem indifferentiæ.**

Prob. 1° Ex scriptis cont. MANICH. L. 2 de anim., c. 14 ait : *Peccatum est voluntas, retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere.* L. 2 de actis cum Felice, c. 4 : *Habet unusquisque in voluntate aut eligere, quæ bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere, quæ mala, et esse arbor mala,* L. 2 cont. Faust., c. 5 : *Nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesin ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur, propter justum judicium* DEI *ab omni vinculo necessitatis vindicemus.*

2° Ex scriptis cont. PELAG., L. de spir. et lit., c. 34 : *In omnibus misericordia* DEI *prævenit nos : consentire autem vocationi* DEI, *vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* L. 1 ad Bonif., c. 15 : *Nos dicimus, liberum arbitrium in omnibus esse naturaliter, nec* ADÆ *peccato perire potuisse : quod Scripturarum omnium auctoritate firmatur.* L. 1 op. imperf., n. 98 : *Ex quo homo incipit uti voluntatis arbitrio, et peccare, et non peccare potest : sed alterum horum non facit, nisi adjutus ab eo, qui dixit : Sine me nihil potestis facere : alterum vero propria voluntate.* Demum L. de *grat.* et *lib. arbitr.*, c. 1 hunc a se librum fuisse conscriptum profitetur, *quoniam sunt, qui sic gratiam defendunt, ut negent liberum hominis arbitrium.* Nemo autem negavit, quod per se manifestum est, libertatem *a coactione*, sive quod voluntas nec a gratia, nec ab alia vi *cogi* possit; ergo scripsit contra illos qui, ob necessitatem et efficaciam *gratiæ*, negarunt *libertatem indifferentiæ* ad juste vivendum.

122. *Obj.* cum JANSENISTIS, LUTHERUM et CALVINUM secutis : S. AUG., docet, arbitrium hominis post peccatum esse peccati servum, et captivum, L. 2 de *Nupt.*, c. 3 et 8 ; L. 3 ad *Bonif.*, c. 8 ; L. de *Spir.* et *lit.*, c. 30, etc.; ergo non manet liberum.

R. — *D. C.* Non manet liberum a servitute peccati *C.* A necessitate *N.* A servitute peccati unice liberamur per gratiam CHRISTI, ut docet AUG. pluribus in locis; in ipsa tamen hac servitute manet libertas indifferentiæ, sive a necessitate. Itaque liberum arbitrium dicit esse servum servitute non quidem opposita libertati naturali electionis et indifferentiæ, sed opposita libertati gratiæ vel justitiæ; hac quippe excidimus facti servi peccati, nec reparare illam possumus, nisi per gratiam CHRISTI, dicente CHRISTO, Joan. 8, 36 : *Si vos Filius liberaverit; tunc vere liberi eritis;* hæc autem necessitas *gratiæ* non obstat libertati *indifferentiæ*, quia cum illa stetit in ADAMO et ANGELIS, prout fatetur JANSEN. L. 3 de *stat. nat. laps.*, c. 2.

Inst. 1. S. DOCTOR ait, quod homo per peccatum originale subjectus sit dominatui concupiscentiæ, captivitati peccati, et servituti dæmonis eum regentis, prout vult, ep. 89, Serm. 12 de *verb. Apost., Enchir.*, c. 106; L. 3 de *lib. arbitr.*, c. 10; ergo homo non est liber.

R. — *D. C.* Non est liber libertate liberationis *C.* Indifferentiæ *N.* Subjacet dominatui concupiscentiæ, non quatenus per hanc necessitatur ad peccandum, quia ubi est necessitas, nullum est peccatum; sed quatenus frequenter illi obedit destitutus majoribus auxiliis gratiæ : unde S. AUG., L. 2 op. imperf. ait : *Ista concupiscentia, quæ non potest esse, nisi in carne mortali, in eis regnat, qui desideriis ejus ad mala perpetranda consentiunt, subjacet dæmoni, quia regi se ab illo permittit destitutus speciali protectione* DEI *dæmonem cohibentis, quam sentiunt justi.* Et ep. 107 : *Responde, quomodo ad declinandum a malo, et faciendum bonum, liberum habeamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum, unde nos si, ut ait* APOSTOLUS, DEUS *eruit, ipse utique illud liberum fecit.*

Inst. 2. Docet S. PATER, per peccatum ADÆ amissum esse liberum arbitrium, *Enchir.*, c. 30 : *Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum :* Et epist. 107 : *Liberum arbitrium ad diligendum* DEUM *primi peccati granditate perdidimus ;* ergo.

R. — *D. A.* Amissum est liberum arbitrium quoad accidentia, quale erat in statu innocentiæ. *C.* Quoad essentiam, et sumptum præcise pro facultate, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere et non agere. *N.* Amisimus illud quoad potentiam agendi utiliter ad salutem, sed illud per CHRISTUM recuperavimus : item irreparabiliter quoad potentiam agendi prompte, facile et sine reluctatione concupiscentiæ; non autem quoad essentiam : hinc L. 1 ad Bonif., c. 2 ait : *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam.* Et L. de nat. et grat., c. 43 : *Quis nescit, hominem sanum et inculpabilem factum, et libero arbitrio, atque ad juste vivendum potestate libera constitutum? sed nunc de illo agitur, quem semi-vivum latrones in via reliquerunt, qui gravibus saucius confossusque vulneribus, non ita potest ad justitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere.*

Inst. 3. Docet S. AUG., liberum arbitrium fuisse tantum in ADAMO, in ejus posteris autem necessitatem : L. cont. FORTUNAT. disput. 2 ait : *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est; ille sic factus est, ut nihil omnino voluntatis ejus resisteret, si vellet* DEI *præcepta servare; postquam autem libera ipse voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus.* Et L. 8 Conf., c. 5 : *Dum servitur libidini, facta est consuetudo : dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* L. de perf. justit., c. 4 : *Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas.*

R. *Ad* 1. — *D.* In ADAMO tantum fuit liberum arbitrium sanum, robustum, perfecte expeditum *C.* Simpliciter tale et essentiale quoad substantiam *N.*

Ad 2. — *D.* In ejus posteris est necessitas physica *N.* Moralis, sive magna difficultas in resistendo peccatis *C.* Hanc *moralem* debere intelligi patet, quia necessitas opponitur facilitati arbitrii in ADAMO, et oritur a consuetudine.

Inst. 4. Juxta S. AUG. homo non est liber, nisi per gratiam CHRISTI libe-

rantem, quæ scilicet confert illi libertatem; ergo sine gratia homo non habet libertatem, cum L. de *spir. et lit.*, c. 30 dicat : *Ut quid ergo miseri homines aut de libero arbitrio audent superbire, antequam liberentur, aut de suis viribus, si jam liberati sunt?* et L. 2 de *nupt.*, c. 3 vocet *Pelagianos*, qui dicunt, *liberum quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio* DEI. Item negat hominem ante gratiam *habere vires* ad faciendum *bonum :* sic *in Exposit., c. 3. ep. ad Galatas* ait : *Ut populus esset non in sua potestate et viribus justus; sed in manu Mediatoris justificantis impium;* ergo nec habet libertatem, cum liberum ab AUGUSTINO definitur id, quod habet actum in sua potestate.

R. — *D. A.* Non est liber a peccato sive justificatus sine gratia CHRISTI, nec liber ad agendum salutariter *C.* Non est liber a necessitate, sive ad agendum simpliciter *N.* Dupliciter gratia nos liberat : 1° Quatenus per eam transferimur de statu captivitatis diaboli et peccati ad statum filiorum DEI : 2° Quatenus DEI auxilio juvamur ad faciendum bonum, quod sine illo salutariter facere non possimus, vel ad vincendas tentationes, quas quidem absolute vincere possumus, sed sine gratia non victuri sumus; hinc AUG., L. 2 op. imperf. : *Alia est remissio peccatorum in eis, quæ male facta sunt; alia charitas, quæ fecit liberum ad ea, quæ bene facienda sunt; utroque modo liberat* CHRISTUS, *qui et iniquitatem ignoscendo aufert, et inspirando tribuit charitatem.*

Deinde libertas, quam defendimus, non stat in eo, quod homo possit sine gratia velle bonum, sicut oportet, aut vincere tentationes; sed in eo, quod positis omnibus ad agendum necessariis possit agere et non agere : sicut potentia videndi non stat in eo, quod possit quis sine lumine videre, sed quod habeat oculos, quibus posito lumine et aliis necessariis videre possit; constanter autem est tenendum, quod gratia necessaria non desit ulli hominum, sive ante legem, sive sub lege, sive sub gratia, quotiescumque homo culpabiliter peccat non faciendo bonum, ad quod tenetur, aut motibus ordinatis concupiscentiæ cedendo. Per hanc vero *gratiæ necessitatem* non tolli liberum arbitrium, clare asserit AUG., ep. 89 : *Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur, sed ideo juvatur, quia non tollitur; qui enim* DEO *dicit : Adjutor meus esto, confitetur se velle implere quod jussit, sed ab eo, qui jussit, adjutorium poscere, ut possit.*

123. *Dico II.* **S. Aug. docet ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ requiri libertatem indifferentiæ, sive immunitatem ab omni necessitate.**

Prob. 1° *Ex scriptis* cont. MANICH., L. 3 *de lib. arbitr.*, c. 1 : *Motus, quo huc aut illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra potestate, neque laudandus, cum ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet quasi quemdam cardinem voluntatis, neque omnino monendus esset, ut istis neglectis æterna vellet adipisci, atque ut male nollet vivere, vellet autem bene.* Ibid., c. 18 : *Hoc brevissimum tene : quæcumque ista causa est voluntatis, si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur... quis enim peccat in eo, quod caveri non potest?* L. 2 de anim., c. 11 : *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere : quanquam, si liberum non sit, non est voluntas :* et c. 11 : *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis*

est et insaniæ : quam ob rem illæ animæ, quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo, potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus. Item, L. 2 cont. FAUST., c. 5.

2° *Ex scriptis* cont. PELAGIANOS : L. de *nat.* et *grat.*, c. 65, postquam retulisset verba HIERONYMI de omni necessitate loquentis : *Liberi arbitrii nos condidit* DEUS : *nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur : alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est;* sic subjungit : *quis non agnoscat, quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* L. de *grat.* et *lib. arbitr.*, c. 2 : *Ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium; nemo ergo* DEUM *causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque, cum peccat.* L. 83, QQ. q. 24 : *Nec peccatum, nec recte factum imputari cuipiam juste potest, qui nihil fecerit propria voluntate; est igitur peccatum et recte factum in libero voluntatis arbitrio.* Huc etiam facit status controversiæ AUGUSTINI CUM PELAGIANIS.

124. *Obj.* S. AUG. docet, in statu naturæ lapsæ etiam peccatum esse, quod non libere fit : nam de definitione peccati, quam L. de 2 anim. c. 11, dederat his verbis : *Peccatum est voluntas, retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere;* postmodum L. 1 *Retract.*, c. 15 ait, illam solum pertinere ad peccatum ADÆ, sive in statu naturæ innocentis : sic enim ait : *Definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam est pœna peccati.* Item, L. 1 op. imperf., n. 104 : *Ista definitio peccati ejus est, quod peccatum tantummodo est, non quod etiam pœna peccati, qua periit libertas non peccandi : a quo malo non liberat, nisi ille, cui non tantum dicimus : Dimitte nobis debita nostra; verum etiam : et ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo. Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est.*

R. — *N. A.* et *prob.* Scilicet, quod tantum ibi peccatum ADAMI, quamvis concedam, præcipue ibi esse definitum; patet id ex textu l. c. *ex oper. imp.* qui talis est : *Tria ista discernas, et scias, aliud esse peccatum, aliud peccati pœnam, aliud utrumque... habent autem tria ista etiam species suas, de quibus nunc longum est disputare. Horum trium generum si requirantur exempla, primi generis in* ADAM *sine ullo modo quæstionis occurrit : multa quippe sunt, quæ agunt homines mala, a quibus eis liberum est,* abstinere; sed nulli tam liberum est, *quam illi fuit, qui* DEO *suo, a quo conditus erat rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat.* Ubi vides, et reliquis hominibus liberum esse, abstinere, et in qua ratione ADAM magis liber fuerit, quam nos; unde constat præcipue, non tamen unice, peccato ADAMI convenisse definitionem datam.

Porro de aliis generibus peccatorum, doctrinæ AUGUSTIANÆ ibidem summa est hæc : *pœna peccati tantum* sunt, mors, cruciatus, spoliatio bonorum, etc. *Pœna peccati et peccatum simul* sunt motus concupiscentiæ involuntarii, ignorantia, peccatum originale, quia hæc omnia sunt pœnæ peccati ADAMI, etiam peccatum originale, in nobis, cum juxta S. AUG. nostrum originale consistat in concupiscentia tanquam in materiali, et in actu ADÆ moraliter perseverante, velut in formali; sunt etiam peccatum vel formale,

ut patet in peccato originali, in concupiscentia voluntaria, in ignorantia vincibili, vel causale, quia concupiscentiæ motus involuntarii ad peccatum inclinant. Dum vero ait, *periisse libertatem non peccandi*, intelligendus est non de libertate simpliciter tali, sed ea, quæ fuit in statu innocentiæ. Item, dum ait, *adesse necessitatem peccandi*, intelligendus est de necessitate morali, aut consequente, non physica.

Inst. Juxta eumdem, peccandi necessitas non excusat a peccato : 1° ait enim, L. 1 *op. imperf.*, n. 106 : *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi : sed ut non obsit ista necessitas, donat ille, cui dicitur : de necessitatibus meis erue me ;* item, L. 3 de *lib. arbitr.*, c. 18 : *Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere, et non potest.* 2° Docet, quod ex *ignorantia* oriatur *necessitas peccandi*, quin tamen hæc a peccato absolvat ; L. 1 *op. imperf.*, n. 105 ait : *Cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit... qui autem hoc sentiunt, ipsa boni appetendi malique vitandi ignorantia patiuntur peccandi necessitatem : necesse enim est ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facit. De quo opere malorum* Deus *rogatur, ubi dicitur : Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris. Quod genus delictorum si non improbaret* Deus *justus, non ea sibi dimitti poscret homo fidelis.* Docet quod *ex concupiscentia* seu delectatione oriatur necessitas faciendi, quin tamen per hoc tollatur liberum arbitrium, et sic peccatum : nam in *Exposit.*, c. 5, 22, *epist. ad Gal.* ait : *Quod amplius nos delectat, secundum illud operemur necesse est,* L. 1 *ad Bonifacium*, c 3 voluntas libera est *in malis, quia delectatur malis :* ibid., c. 2 : *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant ; et amore peccati hoc eis placet, quod eos libet.*

R. *ad* 1. — *D.* Necessitas physica vel antecedens non excusat a peccato *N.* Moralis vel consequens *C.* De hac primus textus loquitur, cum in eod. l. dicat Aug. : *Cum igitur et illa fateamur esse in hominibus peccata, quæ committuntur non necessitate, sed voluntate, quæ tantummodo peccata sunt ; unde ab eis liberum est abstinere.* Secundum textum explicant verba sequentia : *Sed hæc omnia sunt hominum ex illa mortis damnatione venientium : nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Hinc L. de *ver. relig.*, c. 14 ait : *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.*

Ad 2. R. — *D.* Ex ignorantia invincibili oritur necessitas peccandi, quin hæc excuset a peccato *N.* Ex ignorantia vincibili *Subd.* Oritur necessitas moralis et consequens *C.* Physica et antecedens *N.* Hinc ait S. Aug., L. 3 de *lib. arbitr.*, c. 19 : *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Et c. 18 : *An forte (causa peccati) fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est ut caveri omnino non possit? si ita est, nulla peccata sunt.*

Ad 3. R. — *D.* Docet quod ex concupiscentia seu delectatione indeliberata oriatur necessitas faciendi, quæ tamen sunt libera et peccatum. *N.* Quod ex deliberata concupiscentia oriatur necessitas *Subd.* Antecedens *N.* Consequens *C.* L. 1 *ad Bonif.*, c. 3 ait : *Non itaque... omnes in peccatum velut inviti carnis suæ necessitate coguntur : sed si jam in ea ætate sunt, ut propriæ mentis utantur arbitrio, et in peccato sua voluntate retinentur, et a peccato in*

peccatum sua voluntate præcipitantur. Et L. *Retract.*, c. 15 : *Quanquam et hoc peccatum, quo consensitur peccato concupiscentiæ, nonnisi voluntate committitur*. Vide hic num. 123.

125. *Dico III.* **S. Augustinus per liberum arbitrium in statu naturæ lapsæ intellexit libertatem indifferentiæ, non tantum a coactione, sed et a necessitate immunem.**

Prob. 1° S. Aug. defendit liberum arbitrium contra Manichæos LL. supra cit., contra Ethnicos, L. 5 de *Civ.*, c. 1, 9, 10 : atqui hi non negarunt liberum arbitrium ob coactionem voluntati illatam, sed tantum, ob necessitatem, quia nempe per animam bonam vel malam, per fatum, stellarum influxum, aut Dei præscientiam voluntas esset determinata ad unum, et sic vel naturaliter, vel adventitie esset necessitata; ergo.

2° S. Aug. agens cont. Pelagianos admisit eorum de libero arbitrio definitionem : hoc solum improbans, quod libertatem universim sumptam, prout Deo etiam et Christo convenit, dicant facultatem indifferentiæ circa bonum et malum : et hoc solum addi volens, quod sine gratiæ auxilio non possimus aliquid boni salutaris eligere aut facere : sed Pelagiani statuerunt liberum arbitrium in libertate indifferentiæ, non tantum a coactione, sed etiam a necessitate; ergo. *Min.* constat. Quia in hoc, an post Adæ lapsum manserit libertas indifferentiæ, punctum controversiæ non erat inter S. Augustinum et Pelagianos, sed in eo præcise, an liberum arbitrium post *peccatum* Adami manserit ita paratum et expeditum ad bene operandum, vitandumque peccatum, sicut erat ante lapsum; et utrum propriis naturæ viribus sine auxilio gratiæ, præterquam legis et doctrinæ, homo possit bene vivere, et abstinere *a peccato*, quod Pelagius affirmavit. Atque hoc ipsi adeo Jansenistæ testantur, qui hanc liberi arbitrii notionem volunt esse errorem Pelagianum, et totius Pelagianæ hæresis nidum ac fontem.

3° S. Aug. liberum arbitrium ponit in ea libertate, de qua loquitur Ecclesiasticus, c. 15, 17 et 18. Sic enim ait L. de *grat.* et *lib. arbitr.*, c. 2 : *Apposuit tibi ignem et aquam, ad quodcumque volueris, extende manum : in conspectu hominis vita et mors, et quodcumque placuerit, dabitur ei;* subjungit : *Ecce apertissime videmus expressum liberum voluntatis humanæ arbitrium :* atqui hic manifeste exprimitur libertas indifferentiæ; ergo. *Conf.* ex assertionibus prioribus, præsertim L. 2 cont. Faust., c. 5; L. 3 de *lib. arbitr.*, c. 1; L. de 2 *anim.*, c. 11 et 12. Dixi : *in statu naturæ lapsæ :* Adami enim liberum arbitrium positum fuisse in libertate indifferentiæ, concedunt Jansenistæ, et diserte affirmatur a S. Aug., L. 2 cont. Felic., c. 3 et 6; L. de *corr. et grat.*, c. 10; L. 1 *Retract.*, c. 15.

126. *Obj.* S. Aug. docet L. 3 de *lib. arbitr.*, c. 3. L. 1 *Retract.*, c. 22, etc. 1° Illud esse liberum, quod est in nostra potestate. 2° Illud esse in nostra potestate, quod, cum volumus, facimus, vel quod sequitur nostram voluntatem : atqui etiam necessaria sequuntur nostram voluntatem, et ea facimus, cum volumus, cum non fiant nisi nobis volentibus, nec fiant contra nostram voluntatem; ergo etiam possunt esse libera.

R. 1°. S. Aug. explicat etiam τὸ *esse in nostra potestate*, per facultatem ad utrumque electivam : nam L. de *nat. et grat.*, c. 47 ait : *De odoratu autem*

quod dicit (PELAGIUS), *nonne parum attendit, non esse in nostra patestate, posse odorari vel non posse : sed in nostra potestate esse, h. e., in libera voluntate, odorari vel non odorari.* L. 1 *Retract.*, c. 22 : *Est in nostra potestate ut vel inseri bonitate* DEI, *vel excidi ejus severitate mereamur.* L. de *spir. et lit.*, c. 31 : *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit : si non vult, non facit.*

R. 2°. — *D.* Illud est in potestate nostra quacumque, quod, cum volumus, facimus *C.* Est in nostra potestate electiva *Subd.* Quod facimus, cum volumus elective, nempe ita ut illud etiam possimus non velle *C.* Cum simpliciter tantum volumus, h. e., dum actus procedit ab intrinseco cum cognitione finis *N.* Ex communi doctorum et indoctorum sensu usuque loquendi, id solum dicimur facere cum volumus, quod possumus velle et non velle, agere et non agere.

Inst. 1. Docet volitionem et voluntatem, hoc ipso quod sit volitio et voluntas, esse liberam, ut patet ex L. 3 de *lib. arbitr.*, c. 3 ; ergo etiam voluntas, et volitio necessaria sunt libera.

R. — *D.* Voluntas et volitio hoc ipso quod voluntas et volitio sint in sensu strictiore, scilicet elective agens, vel elicita, est libera *C.* Quomodocumque agens, aut determinata *N.* AUG. volitionem hoc loco opponit necessitati, dum ait : *Miraris quomodo non sint contraria et repugnantia, ut* DEUS *præscius sit omnium futurorum, et nos non necessitate, sed voluntate peccemus ;* ergo voluntatem hic simul sumit pro facultate indifferente. Deinde in hoc libro c. 2 sermo etiam est de peccato primi parentis et voluntate qua violavit mandatum : voluntas autem ADAMI fuit ab omni necessitate soluta.

Inst. 2. Docet L. 5 de *Civ.*, c. 10 duplicem esse necessitatem, alteram *quæ non in nostra potestate, sed etiamsi nolumus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis :* alteram, *secundum quam dicimus, necesse esse ut ita sit aliquid, vel ita fiat :* de hac autem subdit : *Nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis : neque enim et vitam* DEI *et præscientiam* DEI *sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse,* DEUM *semper vivere et cuncta præscire ;* ergo non excluditur necessitas.

R. — *D. Cons.* Non excluditur necessitas consequens et supponens libertatis exercitium *C.* Antecedens *N.* Ratio est, quia præter allata exempla addit etiam hæc : *Sicut etiam cum dicimus necesse esse ut, cum volumus, libero velimus arbitrio, et verum procul dubio dicimus, et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem ;* ex quo explicantur præcedentia : sicut enim ex supposito quod libere velimus, necessario volumus, quin tamen lædatur hinc libertas nostra : sic et ex supposito quod DEUS habeat volitiones liberas et notitias contingentes, quæ vita DEI quasi in actu secundo sunt, necesse est eas immutabiliter habere. Item sic etiam ex supposito quod nostri actus futuri sint, DEUS necessario illorum præscientiam habet, quin tamen per hoc aut libertas in DEO, aut in nobis tollatur, præsertim cum eod. l. dicat : *Neque enim ideo peccat homo, quia* DEUS *illum peccaturum præscivit ; qui si nolit, omnino non peccat, imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit, qui si nolit omnino, non peccat : sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.*

Ad hæc AUG. h. l. voluit probare non tolli libertatem per necessitatem

consequentem, et aliquo modo a nostra potestate dependentem, cum agat contra Stoicos, qui, ut libertatem humanam tuerentur, omnem indiscriminatim necessitatem ab ea removebant, et hinc in Deo negabant præscientiam, eo quod inde sequatur necessitas ut illa futura prævisa eveniant.

127. *Observa.* Libertas, Potestas, Voluntas apud S. Aug. denotant in homine lapso immunitatem ab omni tum violenta coactione, tum irresistibili necessitate agendi; hinc L. 2 de *Nupt.* et *Concup.*, c. 3. Juliano, dum ait : *Si quis liberum esse in hominibus arbitrium dixerit, Cœlestianus et Pelagianus vocatur : respondet* S. Aug. : *Non negamus liberum hominis arbitrium... non itaque, sicut te atque alios fallens loqueris, si quis liberum esse in hominibus arbitrium dixerit, Cœlestianus et Pelagianus vocatur... liberum itaque in homine arbitrium utrique dicimus... quid obtendis, ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen?* Admisit ergo cum *Pelagianis* Augustinus hominis lapsi libertatem immunem non solum a coactione, sed etiam ab omni invincibili determinatione, quam significat per τὸ liberum arbitrium : nam Tr. 8 in *Joan in fin.*, Tr. 37 ibid. *in fin.* ad demonstrandam Christi libertatem, utitur vocibus, *potestas, voluntas,* et utramque opponit vocabulo, *necessitas;* proin eodem sensu voces illas adhibet, ubi de homine lapso fit sermo, v. g. L. de *ver. Relig.*, c. 14, etc. Demum eamdem immunitatem arguunt juxta S. Aug., L. de *fid.* cont. *Manich.*, c. 10; L. 3 de *lib. arbitr.*, c. 1, etc., *præceptum, laus, reprehensio et vituperati*, etc..

ARTICULUS V.

QUID SENSERIT D. THOMAS DE LIBERTATE ARBITRII.

§ I.

Præcognita de Prædeterminatione.

128. *Nota.* Inter *Impedimenta libertatis* merito recensentur *Fatum*, Fatalis astrorum influxus, Duplex anima Manichæorum, Gratia invincibilis Joviniani, aut in sensu Adrumetinorum, aut in sensu Jansenii et Quesnelli : de singulis constat ex dictis : nimirum ubi est necessitas ad unum, quæ nec impediri, nec excludi, nec abjici potest, non manet libertas indifferentiæ, id quod ex quarta Jansenii damnata : *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam esse talem, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare;* et ex 10ª Quesnelli : *Gratia est operatio manus omnipotentis* Dei, *quam nihil impedire potest aut retardare;* satis patet. Præscientia Dei libertati non officit, utpote secundum rationem nostram posterior actu. Neque obest gratia efficax, cujus infallibilitas habetur a Scientia media, cum necessitas ex gratia profluens non antecedat, sed supponat liberum arbitrium, ex quo sequitur. An Prædeterminatio physica stet cum libertate arbitrii, quæstio est, de qua Metaphysicus sat multis disputat : Theo-

LOGUS id potissimum disquirit, an cum iis, qui se THOMISTAS dicunt, sentiat D. THOMAS, quod homo physice prædeterminetur ad actus liberos, sive hi spectentur, prout sunt præcise actio aut omissio, sive ut sunt actio et omissio salutaris. Prævie autem notanda sunt sequentia :

129. I. S. THOMAS *Prædeterminationis* nomen nullibi usurpavit pro illa motione, quæ est juxta THOMISTAS *physica et realis motio a solo* DEO *procedens, causæ creatæ transeunter impressa, et prioritate naturæ precedens ipsius operationem, per quam causa creata efficaciter excitatur et applicatur ad operationem conformiter suæ naturæ eliciendam*, prout P. SCHMIER in Theologia an. 1737 edita eamdem definit, definitione inter Salisburgenses communi; sed pro *Prædefinitione* ac *Prædestinatione*, eaque in rebus a libero arbitrio non dependentibus, vel pro *impositione necessitatis*, quæ iterum respectu voluntatis liberæ haberi non potest.

1um Habetur, 2, 2, q. 174, a. 1 : *Alio modo præcognoscit* DEUS *aliqua in seipsis, vel ut fienda ab ipso, et horum est prophetia prædestinationis, quia secundum* DAMASCENUM, DEUS *prædestinat ea, quæ non sunt in nobis; vel ut fienda per liberum arbitrium hominis, et sic est prophetia præscientiæ, quæ potest esse bonorum et malorum.*

2um Habetur, p. 1, q. 23, a. 1, ad 1 : *Dicendum, quod* DAMASCENUS *nominat Prædeterminationem, impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminatæ ad unum; quod patet ex eo quod subdit : non enim vult malitiam, neque compellit ad virtutem.* Similia habentur *Quod, l.* 12, a. 3, etc.

130. II. Dum S. THOMAS pluribus in locis dicit causam secundam moveri a prima, agi, applicari, et hujus virtute agere, THOMISTÆ ipsi inter se discrepant, an per hæc verba intelligatur *prædeterminatio*, an vero tantum cooperatio. ANTIQUIORES, CAJETAN., 1, 2, q. 109, a. 1; CONRAD., 1, 2, q. 79, a. 1 dicunt causam primam prius agere, quatenus ea intimius ac independentius effectum attingit, quamvis reipsa tantum cooperetur. CAPREOLUS in 2, dist. 28, q. 1, a. 3 præviam motionem DEI sic definit : *Quia actio causæ secundæ pendet ab actione causæ primæ, non autem e contra; ibid. ad* 22um *dicit,* DEUM *ad bonum velle juvare partialiter coefficiendo, et hunc esse modum communem, quo concurrit ad cujuslibet agentis creati effectum.* RECENTIORES volunt, per hæc indicari auxilium quoddam transiens, prius natura vel tempore præcedens, et causæ secundæ impressum.

Quamvis autem quoad præmotionem ejusmodi consentiamus Recentioribus, necdum inde sequitur, admissam fuisse a D. THOMA *Prædeterminationem physicam*, sive talem præmotionem, quæ ex natura sua determinet voluntatem ad unum ita, ut repugnet partem illam determinatam non sequi : nam potest illa præmotio, quam asserit D. THOMAS, ac debet aliter explicari.

131. III. D. THOMAS, q. 3 de *Creat.*, a. 7 sic docet :

Quæritur utrum DEUS *operetur in operatione naturæ? et videtur quod non... Tam* DEUS *quam natura immediate operantur effectum...* Eccli. 15 *dicitur quod fecit* DEUS *hominem, et reliquit eum in manu consilii sui : non autem reliquisset, si semper in voluntate operaretur... Præterea voluntas est*

domina sui actus : hoc autem non esset, si agere non posset, nisi DEO *in ipsa operante, cum voluntas nostra non sit domina divinæ operationis...*

Respondeo : dicendum, quod simpliciter concedendum est DEUM *operari in natura et voluntate operantibus. Sed quidam hoc non intelligunt... Non ergo sic est intelligendum, quod* DEUS *in omni re naturali operetur, quasi res naturalis nihil operetur, sed quia in ipsa natura vel voluntate operante* DEUS *operatur, quod quidem qualiter intelligi possit, ostendendum est.*

Sciendun namque est, quod actionis alicujus rei, res alia potest dici causa multipliciter : uno modo, quia tribuit ei virtutem operandi... et hoc modo DEUS *agit omnes actiones naturæ, quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere possunt... et alio modo, conservans virtutem dicitur facere actionem... Tertio modo dicitur una res esse causa actionis alterius, in quantum movet eam ad agendum ; in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem : sicut homo est causa incisionis cultelli ad incidendum, movendo ipsum. Et quia natura inferior agens non agit nisi mota..., sequitur de necessitate quod* DEUS *sit causa actionis cujuslibet rei naturalis ut movens et applicans virtutem ad agendum... Quarto modo unum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti, et hoc modo etiam oportet dicere, quod* DEUS *est causa omnis rei naturalis... Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit... Sequitur quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturæ.....*

Ad 4^um^ dicendum, quod tam DEUS *quam natura immediate operentur, licet ordinentur secundum prius et posterius.*

Ad 12^um^ dicendum, quod DEUS *non dicitur hominem reliquisse in manu consilii sui, quin in voluntate operæ. Sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis. Quod quidem dominium naturæ non dedit, cum per suam formam sit determinata ad unum.*

Ad 13^um^ dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam ; et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis.

132. IV. Ex his conficio sequentia :

1° In cit. quæst. D. THOMAS aperte disserit de *actione* DEI in *operatione creaturæ : dicendum,* DEUM *operari in natura et voluntate operantibus.* De *applicatione* creaturæ *ad actionem : Applicat ad agendum.* De DEO *ceu causa prima, et creatura ceu causa secunda : Ordinantur ut prius et posterius.* De *creatura necessario movenda a* DEO : *Non agit, nisi mota.*

2° Voluntas agit, sicut *cultellus* scindit : homo cultellum movens repræsentat *primum motorem,* qui movet voluntatem creaturæ ad agendum : voluntas et cultellus sunt *instrumenta,* quæ non agunt nisi mota.

3° D. THOMAS ponit essentiale discrimen inter actionem, qua DEUS movet *voluntatem,* et inter actionem, qua movet *causas naturales :* nam voluntas mota potest seipsam libere determinare ad hoc vel illud : *voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contra-*

dictionis : et quidem dominium quod naturæ non dedit, cum per suam formam sit determinata ad unum; atque ut statim subdit : *ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis.*

4° Apprime distinguit inter actionem, qua DEUS movet voluntatem, et inter determinationem hujus actionis, fere sicut distinguit PHYSICUS inter motum localem et determinationem motus; quippe motor seu causa motus dicitur, quæ imprimit motum e. g. cultello ad incisionem ligni, vel globo ad rotandum supra planum : hæc autem vel illa determinatio motus non est ab eadem causa motus, sed a varia figura plani, supra quod globus volvitur vel a structura ligni, quod scinditur. Sic DEUS ceu primus motor ponit creaturam; hujus autem determinatio motus est a creatura.

5° DEUS sic movens ac præmovens voluntatem, quæ libera est, juxta ejus naturam movet eam : DEUS *operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum ejus conditionem,* in L. 2 Sent., dist. 25; q. un., a. 1, ad 3, ita nempe, ut cultellus vel globus ad hanc vel illam directionem determinentur ab extrinseco, voluntas seipsam determinet ad hanc vel illam partem contradictionis.

133. V. Igitur DEUS, principium omnis motus et primus Motor, agit in voluntatem per præsens objectum, quocum DEUS *efficienter,* sicut objectum *objective,* causat in voluntate perceptionem, sine qua voluntas nihil potest agere circa objectum, aut fugiendo aut prosequendo illud : en *actionem* DEI in voluntate operante! Voluntas sic mota seipsam determinat, vel ad amorem objecti, vel ad odium : en *actionem creaturæ liberam!* Quamvis enim DEUS præmovet, tamen voluntas hominis hanc præmotionem divinam libere determinat; de utroque ex terminis ac verbis apertissimis D. THOMÆ convincimur : atque hæc doctrina, prout nitide hic declarat P. DANIEL *epist.* 10, ad R. P. ALEXANDRUM, Angelico Doctore digna, quia exacte philosophica ac theologica : digna theologo, qui hac ratione verba D. THOMÆ clarissima sine offusis tenebris aut violenta detorsione exponit ad mentem illius qui scholarum ANGELUS est : ita quidem, ut DEUS sit *primum movens, causa prima,* principalis et universalis : voluntas autem *ad neutram partem obligata, seipsam determinans, actus sui domina,* vereque libera.

134. *Observa.* Hæc D. THOMÆ doctrina, quam est assertiva divinæ *Præmotionis* etiam *physicæ* in sensu hactenus explicato, tam est decisiva contra *Prædeterminationem physicam* THOMISTARUM, qui præter dictam Præmotionem DEO etiam attribuunt determinationem voluntatis humanæ ad hanc potius quam ad illam partem; id quod videtur aperte contradictorium menti ac doctrinæ S. THOMÆ; hinc majoris claritatis ac roboris gratia sit.

§ II.

Mens S. THOMÆ *circa libertatem Arbitrii.*

135. *Dico.* **S. Thomas nullibi docet Prædeterminationem physicam esse aut principium necessarium ad omne exercitium liberum voluntatis aut esse gratiam efficacem ad actus supernaturales eliciendos necessariam.**

Prob. Ex clarissimis et plane decisivis D. THOMÆ verbis ac propositionibus, quarum

136. *I^a* est : Prædeterminatio, sive præmotio ad unum non est universim necessaria ad omnem actum voluntatis : nam 1, 2, q. 9, a. 6, ad 3 ait S. D. : *Dicendum, quod* DEUS *movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum : sed tamen interdum specialiter* DEUS *movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam.*

Item 1, 2, q. 80, a. 1, ad 3 : *Dicendum, quod* DEUS *est universale principium omnis interioris motus humani; sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe quidem est ex voluntate humana, et a diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis;* ergo ex eo, quod DEUS sit causa prima et primum movens, non sequitur DEUM determinare aut prædeterminare; ergo cum DEUS tantum interdum quosdam moveat ad bonum determinate volendum, et non DEUS, sed voluntas et diabolus determinet hominem ad malum, ad neutrum datur physica prædeterminatio.

137. *II^a*. Liberum arbitrium tollitur per qualitatem quamcumque, quæ voluntati non subjacet quoad usum : Nam. p. 1, q. 62, a. 3, ad 2 : *Dicendum, quod omnis forma inclinat suum subjectum secundum modum naturæ ejus : modus autem naturalis intellectualis naturæ est, ut libere feratur in ea quæ vult, et ideo inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti, et peccare.* P. 1, q. 83, a. 1. ad 5 : *Qualitates autem supervenientes sunt sicut habitus, et passiones, secundum quas aliquis magis inclinatur ad unum quam in alterum; tamen istæ qualitates etiam subjacent judicio rationis : et hujusmodi etiam qualitates ei subjacent, in quantum in nobis est, tales qualitates acquirere vel causaliter vel dispositive, vel a nobis excludere; et sic nihil est, quod libertati arbitrii repugnet.*

Q. 6 de *Mal.*, a. un. : *Si dispositio, per quam alicui videtur aliquid bonum, fuerit naturalis et non subjacens voluntati, ex necessitate naturali voluntas præeligit illud... si autem sit talis dispositio, quæ non sit naturalis, sed subjacens voluntati, puta, cum aliquis disponitur per habitum et passionem ad hoc, quod aliquid sibi videatur vel bonum vel malum, in hoc particulari non ex necessitate movetur voluntas, quia poterit hanc dispositionem removere, ut sibi non videatur aliquid sic;* ergo e contrario, cum *prædeterminatio physica* non subjaceat voluntati dicto modo, necessitabit voluntatem.

138. *III^a*. Non manet liberum arbitrium, si voluntas ab alio determinetur ad unum : nam in 2. dist. 25, q. un., a. 1, ad 1 subjungitur : *Unde secundum hoc (secundum electionem per inquisitionem) in* DEO *non salvatur liberum arbitrium, sed quantum ad hoc, quod determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed a seipso, unde ipse verissime sui operis dominus est.* Q. 3 de *Malo*, a. 3, ad 5 : *Dicendum, quod, cum voluntas sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, scilicet per consilium rationis : nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum.*

Nec dicant THOMISTÆ 1° per hoc tantum excludi determinationem ab agente creato : nam præterquam quod non possit dari *disparitas*, hæc habentur in 4, dist. 49, q. 1, a. 3, ad 1 : *Dicendum, quod potentia rationalis se habet ad opposita in his, quæ ei subsunt, et hæc sunt illa, quæ per ipsam determinantur; non autem potest in opposita illorum, quæ ei sunt ab alio determinata; et ideo voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod ex divina impressione determinatur, scilicet in oppositum finis ultimi. Potest autem in oppositum eorum, quæ ipsa sibi determinat, sicut sunt ea, quæ ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet.*

Nec dicant 2° per hoc, quod voluntas moveat seipsam, non excludit, quominus etiam moveatur a DEO, ut ait D. THOM., p. 1, q. 105, a. 4, ad 3. Item q. 3 de *Malo*, a. 2, ad 4 ; ergo etiam voluntas libere potest determinare seipsam, licet determinetur a DEO. Nam quantumvis in hujus paritatis indissolubilitate triumphent PP. SCHMIER et BABENSTUBER ; tamen solida utrinque disparitas habetur tum ex dictis hactenus, tum ex dicendis, ubi D. THOMAS aperte negat, voluntatem ab alio, etiam a DEO determinari, quamvis alibi dicat, eam moveri.

139. *IV^a*. Ad liberum arbitrium necessaria est propria agentis liberi determinatio : nam L. 2. cont. Gent., c. 47, n. 3 ait : *Forma, quæ non est ab ipso agente per formam, causat operationem, cujus agens non est dominus. Si qua vero fuerit forma, quæ sit ab eo, qui per ipsam operatur, etiam consequentis operationis dominium habebit.* In 2, dist. 25, q. un., a. 1 : *Liberum arbitrium non invenitur in illis agentibus, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus.* In 2, dist. 28, q. un., a. 1 : *Non enim esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc vel illud.*

140. *V^a*. Actus liber fit a voluntate seipsam determinante, non ab alio voluntatem determinante : nam in 2, dist. 39, q. 1, a. 1 : *Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinate exeat in hunc actum vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Ibid., a. 2 : *Ratio culpæ in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo, qui habet dominium sui actus : hoc autem est in homine secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur, nisi ex seipsa, quod tantum voluntati convenit.* Q. 22 de *Verit.*, a. 6, ad 1 : *Dicendum, quod esse animæ non est determinatum a seipsa, sed ab alio; sed ipsa determinat sibi suum velle; et ideo quamvis esse sit immutabile, tamen velle est indeterminatum (scilicet ab alio) ac per hoc in diversa flexibile.*

141. *VI^a*. Hic actus ita fit a voluntate seipsam determinante, ut non sit a DEO determinante : nam q. 3 de *potent.*, a. 7, ad 13 : *Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis.* 1, 2, q. 10, a. 4 : *Quia voluntas est activum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic* DEUS *movet, ut non ex necessitate ad unum determinet, sed remaneat motus ejus contingens et non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter movetur.*

Hic textus a THOMISTIS male sic redditur : DEUS *ita movet, ut ad unum determinet, non tamen ex necessitate :* tum quia extrinsecum determinans excluditur, et determinatio soli voluntati tribuitur : tum quia in 2, dist. 25, q. un., a. 1, ad 3 habetur : DEUS *operatur in omnibus, ita tamen, quod in unoquoque secundum ejus conditionem : unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, et sicut determinans naturam ad talem actionem; in libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, et ipso operante liberum arbitrium agat; sed tamen determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur; unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita, sicut primo agenti.*

142. *VII^a.* Influxus causæ primæ in effectus sive actum determinantur a causa secunda : nam q. 1 de *Potent.*, a. 4, ad 3 : *Dicendum, quod, licet causa prima maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur et specificatur.* Q. 5 de *verit.*, a. 9, ad 10 : *Dicendum, quod causa prima plus dicitur influere, quam secunda, in quantum ejus effectus est intimior et permanentior in causato, quam effectus causæ secundæ; tamen magis similatur causæ secundæ, quia per eam determinatur quodammodo actus causæ primæ ad hunc effectum.*

143. *Observa.* Asserit quidem P. SCHMIER ex GONET et BABENSTUBER viros e Societate nostra præclaros ultro fuisse fassos, D. THOMAM *Prædeterminationem physicam* docuisse ; sed in hoc vel ab illis, vel cum illis insigniter deceptus est, nam quos ille citat, BELLARMINUS et PALLAVICINUS, quos etiam AUG. le BLANC nominat, SUAREZ et CONIMBRICENSES non illam, de qua et quæstio, Præmotionem physicam *determinantem*, necessario cum effectu conjunctam, et *inimpedibilem agnoscunt*, sed superius explicatam, ut ex eorum verbis constat : BELLARMINUS enim L. 4 de *grat.* et *lib. arbit.*, c. 16 ait : *Hinc fit, ut voluntas sit vere libera, et seipsa determinet, tametsi* DEUS *illam moveat et applicet ad opus : quoniam ipsa* DEI *motio in ejus potestate est, sive* (*ut loquitur* CAJETANUS *in* 1, *q.* 19, a. 8). DEI *motione voluntas nostra libere utitur.*

SUARESIUS sic habet : *Animadverto imprimis, nunquam reperiri apud* S. Thomam *in cit. loc., causam primam determinare secundas ad omnes earum actiones, multoque minus reperiri apud eum mentionem physicæ prædeterminationis, præsertim respectu voluntatis liberæ.* Neque felicius idipsum ex libello, *Ratio atque institutio studiorum* inscripto, eruere nititur prædictus auctor.

ARTICULUS VI.

AN HOMO IN STATU NATURÆ LAPSÆ GAUDEAT LIBERTATE ARBITRII?

144. *Nota.* JANSENIUS non ita simpliciter: ut LUTHER. et CALVIN., denegat homini lapso libertatem : sed ad hanc sufficere vult immunitatem a coactione, quam, ut ab illa brutorum spontaneitate discernatur, præcedat directio rationis, sublata vero omni indifferentia insuperabiliter determinatam ad unum. Itaque statuit duo actionum principia, unum, quo determinatur homo ad bonum, alterum, quo sollicitatur ad malum : prius dicitur

illi gratia victrix, posterius, concupiscentia prædominans : si hæc concupiscentia seu delectatio terrestris intensior ac victrix fuerit, voluntas hominis in moderno statu amat et facit malum necessario : si gratia seu delectatio cœlestis sit victrix aut relative superior, voluntas hominis necessario amat et facit bonum. Contra hanc JANSENII hæresin agendum hic explicatius, quo fiet, ut LUTHERI et CALVINI errores, a quibus illa quoad rem vix differt, validius expugnentur.

145. *Dico.* **Homo in statu naturæ lapsæ gaudet libertate indifferentiæ ad bonum et malum.**

Prob. I. Ex S. Scriptura. Gen. 4, 6, etc., dixit DEUS ad CAINUM versantem in statu naturæ lapsæ : 1° *Quare iratus es, et concidit facies tua?* 2° *Nonne si bene egeris, recipies.* 3° *Si autem male, statim in foribus peccatum aderit.* 4° *Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius :* atqui ex 1° constat potuisse non irasci, si voluisset, quia de iis, quæ in hominis potestate non sunt, non quæritur, cur hæc faciat, v. g. cur moriatur? Ex 2° et 3° constat imprimis idem, quia non dicitur homini : si volaveris, recipies mercedem; si non, recipies pœnam : deinde constat, sermonem hic esse non tantum de rebus *politicis* aut indifferentibus, sed de moralibus ac pertinentibus ad salutem vel damnationem. Ex 4° liquet potestas eligendi bonum vel malum, quia dominium in peccatum, et concupiscendi cupiditates, sine ea intelligit nequit.

Eccli. 15, 14, etc., dicitur : DEUS *ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui : adjecit mandata et præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi ignem et aquam; ad quod volueris, porrige manum tuam : ante hominem vita et mors, quod placuerit ei, dabitur illi;* in quem textum S. AUG., L. de *grat. et lib. arb.*, c. 2 exclamat : *Ecce apertissime videmus expressum liberum voluntatis humanæ arbitrium :* atqui in hoc textu sermo est de libertate hominis in statu *naturæ lapsæ*, quia 1° eadem fere verba dicuntur ad populum Hebræum toties jam rebellem, Deut. 30, 19 et Jos. 24, 15. 2° *Ecclesiasticus* agit hic contra peccatores, qui sua peccata in DEUM referre volebant, quos ita reprehendit, v. 12 : *Non dicas, ille me implantavit,* ac pro ratione affert textum cit. 3° Idem 31, 10 et 11 laudat justum : *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino;* ergo sicut hic, ita etiam ibi de statu naturæ lapsæ loquitur. Huc quoque faciunt, 1ª Cor. 7, 37; 2ª Cor. 9, 7 ad Philem., v. 14.

II. Ex Conc. inter quæ BRACCAR. I. damnavit STOICOS, PRISCILLIANISTAS, GENETLIACOS et MANICHÆOS : CONSTANT. Sess. 8. WICKLEFFUM : SENONENSE in Præfat. : COLONIENSE in Enchir. : LATERAN. sub LEON. X : denique TRIDENTINUM LUTH. et CALV., quod Sess. 6, c. 1, can. 5, sic ait : *Si quis liberum hominis arbitrium post* ADÆ *peccatum amissum et extinctum dixerit.... anathema sit;* can. 4, eodem feriuntur, *qui dixerint, liberum arbitrium non posse gratiæ dissentire, si velit.*

III. Ex SS. PP. Quorum 25 ex GRÆCIS, totidem ex LATINIS BELLARM. L. 5, de *grat.* et *lib. arbitr.*, c. 25 et 26 affert; at non est necesse, hic referre singulos, tum quod contra Novatores unus sufficiat AUGUSTINUS supra relatus, tum quod hæretici hanc esse universalem traditionem SS. PATRUM fateantur ipsi : nam Centuriatores Centur. 20, c. 4, col. 59 postquam JUSTINI, IRENÆI et

aliorum antiquissimorum sententias retulissent, sic aiunt : *Eodem modo* CLEMENS ALEX. *liberum arbitrium ubique asserit, ut appareat in hujusmodi tenebris (sic vocant liberi arbitrii assertionem) non tantum fuisse omnes ejus seculi* DOCTORES, *verum etiam in posterioribus omnes subinde crevisse.* CALVIN. autem L. 2 Inst., c. 2, § 4 carpit PP. LATINOS, quod semper apud ipsos liberi arbitrii nomen existat, GRÆCOS etiam, quod illud ἀυτεξούσιον dixerint, ac si potestas sui ipsius penes hominem fuisset : c. 3, § 10 ait : *Voluntatem* DEUS *movet, non qualiter multis seculis traditum est, et creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari, sed,* etc., ergo.

Conf. ratione : Homo post peccatum ADÆ adhuc potest mereri, et reipsa meretur bene agendo, demeretur male agendo, uti fides docet, et fatentur JANSENIANI : at sine libertate indifferentiæ homo nec mereri potest bene agendo, nec male agendo demereri, prout itidem fides docet; ergo. Probationes alias ex ratione philosophica suppeditat ETHICA, quæ et objici solita ex eadem diluit.

146. *Obj. I.* S. SCRIPTURA II cit., maxime Eccli. 15 loquitur de homine integro : ubi vero SCRIPT., CONC. et PP. loquuntur de libertate hominis post lapsum, per eam solum intelligunt mutabilitatem et vertibilitatem arbitrii, qua modo vult malum vincente concupiscentia, modo bonum dominante gratia; ergo libertas indifferentiæ pro statu naturæ lapsa inde non probatur.

R. — *N. A.* In quo apparet, Jansenistas sequi priores hæreticos, qui hæc itidem effugia attulerunt, et quidem 1um CALVIN., L. 2 *Instit.,* c. 3, § 18; 2um LUTHER., L. de *servo arbitrio.* Hinc

1° Quoad text. cit. patet asserti falsitas ex interpretatione PP. inter quos ex hoc textu manere liberum arbitrium post peccatum orig., asserunt IREN., L. 4 *cont. hæres.,* c. 71; CHRYS., Serm. 2 *de Fato;* BASIL., in Psal. 61, 10; TERTULL., L. 2 cont. Marc., c. 5; AUG., etc.

2° Ista vertibilitas voluntatis, qua possit bene vel male agere successive, in utroque tamen subjecta necessitati illatæ vel a gratia, vel a concupiscentia, non est illa libertas arbitrii, quam SCRIPT., CC. et PP. statuunt; hæc enim Gen. 4 dicitur facultas, qua homo dominatur appetitui sive concupiscentiæ : Deut. 30; Jos. 24; Eccli. 15, qua possit *eligere bonum vel malum :* Eccli. 31, qua *possit transgredi et non transgredi.* CC. dicunt, hominem posse *assentire vel dissentire, resistere* gratiæ, *recipere vel abjicere* motionem supernaturalem, etiam in sensu composito. Hoc ipsum SS. PP. etiam clare exprimunt, confitentibus CALVINO et CENTURIATORIBUS.

Inst. 1. CC. et PP. tantum loquuntur *hypothetice :* sic TRIDENTINUM docens, hominem gratia motum posse illi dissentire, non id absolute dicit, sed hypothetice, si homo velit : hæc autem hypothetica non est ita explicanda, ac si homo absolute posset dissentire, sed quia *velle dissentire* gratiæ et *dissentire* sunt idem, si vellet dissentire, dissentiret : ideoque bene dicitur, hominem posse dissentire, si velit, h. e., si dissentiat.

R. 1°. Hoc ipsum dixit WICKLEFF. teste WALDENSI, L. 1 *doctrin. fid.,* a. 1, c. 15.

R. 2°. — *N. A.* Nam opus non erat nobis revelatione Scripturæ et definitione CONC. ut intelligeremus, hominem posse servare mandata, si servet, posse dis-

sentire, si velit. Dein simili ratione possem dicere, Deus potest peccare et se odisse, si velit, Beati ab amore Dei possunt cessare, si velint.

Porro si propositio conditionata est de conditione impossibili, id, quod dicitur possibile sub conditione, est simpliciter et absolute impossibile; hinc propositiones absolutæ, Deus potest peccare, Beati possunt ab amore Dei cessare, sunt de impossibili; ergo si in sensu compositio gratiæ vel concupiscentiæ reipsa voluntas non posset dissentire, etiam hæc propositio *absoluta* est falsa : homo potest dissentire gratiæ, homo potest resistere concupiscentiæ : atqui tamen Script., CC. et PP. hanc absolutam docent et definiunt; ergo illa *conditionata* propositio; homo potest dissentire, si velit, non est de conditione impossibili, sed debet homo posse assentire vel dissentire, etiam præsente gratia vel concupiscentia.

Inst. 2. Hæretici ante Jansenium damnati sunt ab Ecclesia, quod dicerent, amissam et extenuatam esse libertatem; ergo cum Jansenius eam remanere dicat, ejus doctrina tolerari potest, cum se discernat a Calvinianis.

R. 1°. In hoc etiam Jansenistæ imitantur alios hæreticos, qui semper studebant, ab antiquioribus se discernere, ut patet ex Calv. L. 5 *cont. Pighium* 2° *D.* discernit se Jansenius a Calvino revera et proprio sensu *N.* Quoad verba tantum ac modum loquendi *Tr.*

Nullus hæreticorum negavit liberum arbitrium, eo quod homo necessitate coactionis determinaretur ad bonum vel malum, sed tantum, quia necessitate inclinationis, vel naturalis, vel adventitiæ non posset aliter agere; hoc ipsum autem Jansenistæ per gratiam vel concupiscentiam dominantem, per illecebras vitrices, vel cœlestes, vel mundanas, docent.

Dixi, *Tr.*, quia etiam Luther. *de serv. arbitr.*, et Calv., L. 2 *Inst.*, c. 2, § 7, quamvis optaverint, nomen liberi arbitrii aboleri, tamen patiuntur illud usurpari, dummodo nihil præter libertatem a coactione significet; ita enim Calv., L. 2 cont. *Pigh.* ait : *Ego vero, quantum ad vocem pertinet, adhuc profiteor, quod in mea Institutione testatus sum, non adeo me superstitiosum esse in verbis, ut ejus causa velim contentionem aliquam movere, modo intelligentia sua maneat.*

Inst. 3. Hæretici veteres dixere, necessitatem esse impositam hominibus, bene vel male agendi, ab *astris, fato, anima mala*, vel aliunde, quod videbatur excusare a peccato : Janseniani docent, necessitatem esse a concupiscentia, quæ a culpa non excusat, quia eam in Adam nostra culpa contraximus; ergo reipsa differunt.

R. 1°. — *N. C.* Quia reipsa se non distinguunt ab Adrumetinis, qui per gratiam dixere tolli libertatem : nec a Manichæis, quia sicut illi duas animas, ita hi gratiam et concupiscentiam ceu principia necessitantia statuunt : nec a Luth. et Calv., qui non minus affirmabant, gratiam esse donum Dei et concupiscentiam effectum peccati orig., ac Jansenistæ. De illa necessitate non excusante, et nobis in Adamo libera, alibi. 2° CC. et PP. non damnarunt hæreticos veteres ex eo tantum quod necessitatem peccandi, vel bene agendi refundebant in præscientiam Dei, Fatum, Astra, etc. : sed quia volebant homines esse necessitatos ad bonum vel malum, et hinc tolli rationem meriti ac demeriti, etc.

Inst. 4. Luth. et Calv. docent, solam gratiam agere, et voluntatem se habere *mere passive*, velut quoddam inanime : virtutes et vitia non esse in

nostra potestate, etc., quod utrumque negant Jansenistæ; ergo satis se ab illis discernunt.

R. — *D. C.* ut supra. Juxta D. THOM. 1, 2, q. 1, a. 1, homo proprie non dicitur agere ut homo, nisi quando libere agit. APOST. Rom. 7 negat, se operari motus concupiscentiæ indeliberatos, et TT. docent, gratias prævenientes, divinas illustrationes intellectus et pias motiones voluntatis fieri a DEO *in nobis sine nobis :* per quæ omnis tantum negatur concursus hominis *liber,* non autem physicus : cum certum sit, et concupiscentiæ et gratiæ prævenientis motus esse vitales, et sic ab homine etiam vitaliter procedere.

Jam cum Jansenistæ nihil aliud dicant, quam quod voluntas vere concurrendo ad actus bonos et malos agat et cooperetur tantum physice : non autem libere, cum necessario agat : non distinguuntur ab hæreticis in TRID. damnatis, qui liberum duntaxat voluntatis concursum, non autem physicum et vitalem ac spontaneum negabant; sic enim ait LUTH. de *serv. arbitr. Necessario operamur : necessario, dico, non coacte, h. e. homo cum vacat spiritu* DEI, *non quidem violentia, velut raptus oborto collo, nolens facit malum, sed sponte et lubenti animo facit...* Apertius ista habet CHEMNITIUS in Exam. TRID. ad Sess. 6. CALV., L. 2 *Inst.,* c. 5, § 14 : *Quis ita desipit, ut hominis motionem a jactu lapidis nihil differre autumet? neque vero simile quidquam consequitur ex nostra doctrina : in naturales hominis facultates et referimus approbare, respuere, velle, nolle, eniti, resistere.* Item, L. 5 cont. Pigh. : *Hominem sic quidem docemus agi* DEI *gratia, ut simul tamen agat,* etc. Atque eatenus etiam concedunt, virtutes et vitia esse in nostra potestate.

147. *Obj. II.* Non datur libertas et indifferentia in homine, si DEUS, et non homo, omnia disponat, agat et eligat : atqui DEUS, et non homo, ita disponit omnia, uti patet ex Isa. 26, 12 : *Domine! omnia opera nostra operatus es in nobis.* Prov. 21, 1 : *Cor regis in manu* DEI, *quocumque voluerit, inclinabit illud.* Jerem. 10, 23 : *Non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet et dirigat gressus suos.* Rom. 9, 16 : *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis* DEI; ergo.

R. — *M. min.* Cum Prov. 16, 9 dicatur : *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est, dirigere gressus ejus;* hinc *ad* 1^um^ *D.* DEUS omnia operatur in nobis sine nobis *N.* Cum nobis ex propria electione et determinatione operantibus *C.*

Ad 2^um^ *D.* DEUS, quocumque voluerit, cor inclinabit, illud necessitando *N.* Illud vocando et movendo, quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat, sed vocanti consentiat *C.*

Ad 3^um^ *D.* Non habet in potestate vias suas quoad successum et executionem, quia sæpe vel aliter succedunt, vel nequeunt executioni mandari, quæ homo proposuit. *C.* Quoad intentionem, propositum et electionem *Subd.* Homo *solus,* et sine auxilio DEI *C.* Cum DEI auxilio *N.*

Ad 4^um^ *D.* Non est volentis hominis, sed miserentis DEI, si spectetur operatio hominis quoad ultimam rationem discernendi *C.* Si spectetur quoad se *Subd.* Non est *solius* volentis hominis *C.* Volentis cum gratia DEI *N.* De singulis alibi plura.

Inst. 1. Captivus sub lege peccati, et arbor mala non potest agere bene : atqui homo in statu naturæ lapsæ est *captivus* et *servus peccati,* Joann. 8, 34; 2 Tim. 2, 26, et peccator est *arbor mala,* Matth. 7, 18; ergo.

R. — *D. M.* Captivus quoad sensum et consensum, item arbor mala *qua*

mala, et voluntarie talis perseverans non potest agere bene *C.* Captivus quoad sensum tantum, sed non quoad consensum, h. e. qui invitus experitur motus concupiscentiæ, aut arbor quidem *quæ* mala, sed tamen eligens esse bona *N.* Habet unusquisque in voluntate, scilicet cum gratia, aut eligere quæ bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, et esse arbor mala; hinc Joan. 8, 34 solum innuitur, quod peccator necessario sit subjectus pœnis peccati, nec possit sine gratia a peccato et ejus pœnis se liberare, ac justitiam consequi. Ex 2ª Tim. 2, 26 colligitur, dæmonem a Deo permitti, magis sævire in impios et incredulos, quia ob voluntariam cæcitatem et pravos habitus difficilius resipiscunt et tentationibus resistunt; non tamen ab illo ad peccatum necessitari. Responsio ad textum Matth. 7, 18, patet ex dictis.

Inst. 2. Qui malum agit etiam contra suam voluntatem, non agit libere : atqui homo ita agit malum, quia Rom. 7, 15 : *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* Ibidem, v. 23 : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis;* ergo.

R. — *D. M.* Homo etiam contra voluntatem agit malum materialiter tale, et tantum improprie peccatum *C.* Formale malum, et peccatum proprie tale *N.* Sensus 1^mi^ textus est : non sentio inclinationem ad bonum, quam vellem habere, sed propensionem indeliberatam ad malum, quam nollem sentire; quamvis autem indeliberatos concupiscentiæ motus necessario experiamur, possumus tamen per gratiam illis non consentire; non consentientibus autem non imputantur illi ad culpam. Sensus 2^i^ est, hominem necessario experiri indeliberatos motus concupiscentiæ, et sic sub lege peccati improprie talis captivari.

148. *Obj. III.* Conc. Araus. II, can. 13 ait : *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari : quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi;* unde Cælestin. P., *ep.* 1 *ad Episc. Gall.*, n. 4 ait : *In prævaricatione* Adæ *omnes homines naturalem possibilitatem perdidisse;* ergo.

R. — *D. A.* Arbitrium quoad substantiam spectatum est infirmatum, ob cæcitatem intellectus et propensionem voluntatis ad malum ex originali peccato ortam, et arbitrium quoad accidentalem modum, scilicet habitus supernaturales et gratias infusas est amissum *C.* Arbitrium quoad substantiam non tantum est infirmatum, sed etiam amissum *N.* Patet hoc ex fine Conc. contra Pelagianos habiti. Eodem modo explica Cœlestin. P. Nimirum possibilitas Adami surpernaturalis, h. e. potentia agendi salutariter, quam cum natura condita per gratias simul datas habuit, amissa est per peccatum, non vero naturalis, h. e. potentia agendi ex propria electione, quæ cuilibet rationali creaturæ congenita est.

Inst. Idem Conc., can. 22 ait : *Nemo habet de suo, nisi peccatum et mendacium :* ergo.

R. Hic canon utique diversus erit a damnatis propositionibus, Baii 27 : *Liberum arbitrium sine gratiæ* Dei *adjutorio nonnisi ad peccandum valet,* et Quesnelli 38 : *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris;* unde *D. A.* Nemo de suo habet, nisi peccatum et mendacium, h. e. ex se et

suis viribus relictus non valet operari aliquid utile ad salutem *C.* H. e. nihil boni, nequidem naturalis, agere potest, sed semper peccat in omnibus actionibus, quæ fiunt extra statum gratiæ *N.*

149. *Observa.* Quodnam sit subjectum et objectum libertatis : cuinam actui et quomodo conveniat denominatio liberi : sitne libertas actui libero essentialis : utrum denique possibilis sit omissio pura libera : hæc ferme PHILOSOPHI disquirunt. Est autem *omissio,* carentia vel non positio actus, *libera,* quando actus tunc omittitur, cum proxime potuisset poni, *pura,* quando non habet adjunctum ullum actum positivum, in quo ipsa vel *directe* sit volita, ut cum dico : nolo audire Missam, vel *indirecte,* ut cum libere pono actionem cum auditione Missæ incomponibilem, v. g. lusum cum præscientia, quod interim tempus, audiendi sacrum, prætereat. Dicendum itaque, quod, si detur talis omissio respectu actus præcepti, sit verum peccatum imputabile, quia est *virtuale* ac *interpretativum* exercitium libertatis : nam qui positis omnibus ad agendum requisitis abstinet ab omni actu, perinde se habet in æstimatione prudentum, ac si positive nollet aut positive vellet non agere; sic vero in æstimatione prudentum virtualiter et interpretative suam libertatem exercet, ac proin peccat.

CAPUT III.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM

ARTICULUS I.

UNDE DESUMENDA MORALITAS ACTUUM HUMANORUM?

150. *Nota.* Principia *Moralitatis* dicuntur ea, ex quibus fit, ut actus sit bonus vel malus; sunt autem *Objectum,* quod voluntas per se et primario attingit, non duntaxat secundum suam entitatem physicam, sed moralem, h. e., secundum rationem motivam ad amorem vel odium : *Circumstantiæ* hoc versu comprehensæ, *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando,* quæ actui in suo esse jam constituto superaddunt accidentalem quamdam bonitatem vel malitiam : *Finis,* non intrinsecus operis, utpote ab objecto indistinctus, sed extrinsecus operantis; hic quamvis in numero circumstantiarum contineatur, speciatim tamen hic respiciendus est, quia præcipue movet in actione. Circumstantia moraliter mala, e. g. impatientia, distractio, vanitas, vel *antecedenter* actioni bonæ annecti potest, dum in illam influit ut causa, vel *concomitanter,* dum in decursu actionem bonam depravat. Demum moralitati actus *interni* superaddi potest executio actus *exterioris.* Inde triplex questio : 1° An objectum, circumstantiæ, finis tribuant actui moralitatem? 2° An et quomodo per circumstantiam malam depravetur actio? 3° An actus interni moralitas per actum externum augeatur?

151. *Dico I.* **Moralitas actus humani tum ex objecto, tum ex circumstantiis, tum ex fine desumitur.**

Prob. I^um^. Actus specificantur a tendentia, ordine et respectu ad *objecta*, hinc virtutes Theologicæ specie differunt a Moralibus, quia illæ DEUM, non autem istæ pro objecto habent : et adulterium ab homicidio ob diversa specie objecta ; ergo etiam actus moralis in ratione bonitatis vel malitiæ primario specificatur ab objecto moraliter bono vel malo, prout per intellectum repræsentato. *Conf.* Quia alias sequeretur, actum, qui versatur circa objectum intrinsece malum, ex fine extrinseco posse fieri bonum aut meritorium, quod falsum est. Dixi 1. *primario*, quia moralitas ab objecto derivata ante aliam quamcumque actui convenit, ac semper eadem manet, quamvis aliæ mutentur. 2. *Ab objecto moraliter bono vel malo*, quia ab objecto indifferente non specificatur actus, sed a fine extrinseco, et circumstantiis. 3. *Prout per intellectum repræsentato*, tum quia non cognoscitur, an et quæ moralitas objecto ex se conveniat, tum quia objectum ut cognitum amatur vel repudiatur.

Prob. II^um^. Quia actus circa objectum indifferens, e. g. comestio aut deambulatio, ex *circumstantia* bona vel mala potest fieri moraliter bonus vel malus : actus per circumstantiam, e. g. furtum in templo fit sacrilegium ; unde TRID. Sess. 14, c. 5 ait, eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant : moralitas actus per circumstantias crescit et decrescit, ut patet in duobus minutis VIDUÆ Marc. 12, 42 missis in gazophylacium, quæ propter affectum et paupertatem dantis maximis divitum largitionibus a CHRISTO præferuntur. Atque hæc tenent, etiam si duratio, intentio, libertas major et minor, aliæque ejusmodi circumstantiæ, quæ se tenent ex parte actus, reflexe non cognoscantur ac intendantur ; idem est de circumstantiis personæ, uti est gratia, vi cujus actus est meritorius, presbyterium, vi cujus incontinentia presbyteri est sacrilegium, quamvis prior nesciat, alter reflexe non cogitet.

Prob. III^um^. Quia ex *fine* actus indifferens fit bonus vel malus, actus malus pejor, actus bonus melior vel malus ; quippe finis potest esse, et est plerumque objectum formale, seu motivum : atqui ab hoc actus desumit moralitatem juxta commune axioma : *Quidquid agunt homines, intentio judicat omnes ;* ergo.

152. *Dico II.* **Actus bonus per circumstantiam venialiter malam non penitus depravatur.**

Prob. Talis *circumstantia* habet se per modum accessorii, atque in casu, quo, dum quis prædicat, orat, jejunat ad DEI gloriam, vanitas aliqua, distractio aut tædium irrepit, non tam est circumstantia, quam actus plane diversus ; ergo non obstat, quo minus agens honestatem actionis præcipue intendat ; ac proin ejus actio, quamvis ex parte imperfecta, utpote cujus bonitas ex consortio circumstantiæ aut actus de se mali minuitur, non omnino depravatur. Id quidem PATRUM doctrinæ conforme, et adversum est errori CALVINIANO, vi cujus nulla moraliter loquendo est hominis actio, quæ peccatum non sit ; ac demum suavi DEI providentiæ consentaneum, quæ pretiosum a vili separans, bonorum operum paleas purgat flammis piacularibus, et quod superest virtutis, pro auro mundo habet. Attamen indubium

est, opus bonum, quod assumis ceu medium purum vanitatis et peccati, ex toto vitiari : hinc si oras aut jejunas, ut videaris et laudaris ab hominibus, recepisti mercedem tuam, *vanus vanam*, ut explicat D. Aug.

153. *Dico III.* **Actus externus per se non addit novam moralitatem actui interno voluntatis.**

Prob. Voluntas sincera reputatur pro facto, et non minus laudatur aut damnatur, ac si quis factum exercuisset : Sic Gen. 22, 16 dicit Deus ad Abraham : *quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi;* et tamen constat, Abraham filio non intulisse mortem unde Chrys., hom. 49 in Matth. : *Voluntas est, quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo; opera autem sunt testimonia voluntatis.* Quod tamen, juxta D. Thom., hic 1, 2, q. 20, a. 4, ad 1 intelligendum est, si non cessetur ab actu, nisi propter impotentiam faciendi. Sic Matth. 5, 28 : *Omnis, qui viderit mulierem, ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo,* in quæ verba S. Bern., epist. 77 ait : *Quid planius, quam quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas;* et Aug., L. 1 de lib. arb., c. 3 : *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo fit, id eum cupere, et si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur;* ergo factum per se nihil addit moralitati, cum alias æqualis pœna vel merces voluntati sine facto dari non posset.

Conf. 1° Tota libertas et moralitas formalis actus externi habetur ab actu interno; ergo actui interno novam addere nequit. 2° Quod non est liberum, nisi in causa, nec est imputabile nisi in causa, et hinc nihil imputabilitatis addit plus, quam habeat in causa : atqui actus externus non est liber, nisi in actu interno tanquam causa; ergo. 3° Si voluntas ad executionem perfecte disposita ideo solum non ponit effectum, quia illum ponere non potest, omissio effectus est involuntaria respectu voluntatis : sed quod est penitus involuntarium, non potest aliquid detrahere de moralitate; ergo effectus omissio nihil detrahit de moralitate actus interni, et hinc æquale præmium vel pœna debetur, etiam non posito effectu.

Si ais 1°. Peccatum dividitur in peccatum *cordis, oris* et *operis;* ergo opera habent specialem malitiam : Actus externi prohibentur speciali lege, ut patet in præceptis Decalogi 6 et 9 : Satisfit quibusdam præceptis Eccl. et Civ., modo actus exterior omittatur, licet ex fine malo : Leges humanæ *gravius* puniunt delicta, dum sortiuntur effectum; ergo.

R. *Ad* 1^um^. *D. A.* Dividitur hoc sensu, quod aliud peccatum consummetur corde, aliud opere *C.* Hoc sensu, quod peccata ista habeant specialem malitiam. *N.* Unde S. Thom., 1, 2, q. 72, a. 7, ad 3 : *Dicendum quod peccata cordis et oris non distinguuntur a peccato operis, quando simul cum eo conjunguntur.*

Ad 2^um^. *D.* Actus *externi* secundum se præcise, et prout sejuncti ab actibus *internis* prohibentur *N.* Prout substant his, et cum iis conjunguntur *C.* Actus enim externi ab internis sejuncti non habent libertatem, et sic non cadunt sub legem. Additur etiam præceptum 9^um^ non quasi nova malitia per se existeret in actibus externis, quæ non est in cogitationibus, sed ne videantur opera tantum, non autem cogitationes pravæ prohiberi.

Ad 3^um^ *D.* Satisfit præceptis Eccl. et Civ., in quantum hæc præcise spectant externam gubernationem *C.* In quantum etiam obligant in conscientia, et spectant ad gubernationem animæ, vel intendunt salutem *N.* Vide infra de Legibus.

Ad 4^um^ *Tr. A.* quia in casibus extraordinariis etiam quandoque attentata puniuntur in foro externo, licet effectus non sit secutus. *N. C.* Ab his enim legibus duci argumentum nequit in ordine ad legem divinam, cum illæ sæpius nullam statuant delicto pœnam, effectu non secuto, licet hic attentatus fuerit, et de attentatione constet. Quod vero passim puniant actus, qui sortiuntur effectum, ideo fit, quia maxime intendunt cavere damna realia, quæ per actus externos inferuntur, qui sic perturbant regimen externum, et licet non habeant malitiam formalem, quia tamen ex illo capite quamdam habent indecentiam, pœna coercendi sunt.

Si ais 2°. Actus externus est magis meritorius, quam solus internus ; Hinc martyrium reipsa subiens recipit aureolam : Christus per toleratam mortem meritus est redemptionem generis humani et gloriam nominis, eam non meriturus per actum tantum internum : Opus externum in satisfactione plus meretur, quam solum internum, cum homo moriturus, habens voluntatem satisfaciendi pro peccatis per opera pœnalia, non idcirco liberatur a pœnis purgatorii, uti ille, qui per opera pœnalia ante mortem satisfecit : Juxta Conc. Trid. ad actum externum requiritur nova specialis gratia; ergo et in eo est speciale meritum.

R. — *D. A.* Est magis meritorius per se *N.* Per accidens *C. Ad* 1^um^ *D.* Martyrium subiens recipit aureolam ex privilegio et opere quasi operato *C.* Ex merito per actum externum præcise sumptum singulari *N.* Vide Tract. de Baptismo. Argumentum de Martyrio plus probat, quam intendunt AA., nempe actus externos esse meritorios sine omni plane actu interno, cum aureola martyrii etiam detur SS. MM. Innocentibus; qui nullum actum libertatis habebant.

Ad 2^um^ *D.* Eam non meriturus per actum internum ex defectu valoris, qui etiam in minimo actu Christi meritorio tanquam Theandrico erat infinitus *N.* Ex defectu pacti cum Deo initi *C.* Posita enim præsenti ordinatione divina necesse fuit, ut Christus mereretur, quia non aliter, quam per proprium sanguinem et obedientiam usque ad mortem debuit consummari opus redemptionis nostræ et gloriæ Christi.

Ad 3^um^ *D.* Actus externus in satisfactione plus meretur, quam internus, quantum præcise intelligitur meritum *N.* Quantum intelligitur satisfactio *C.* Ad satisfactionem enim, ut talis est, requiritur opus pœnale, sive vera pœnæ perpessio, quæ in solo actu interno non occurrit eodem modo.

Ad 4^um^ *D.* Requiritur nova gratia ad actum externum physice tantum talem, et absque iterato actu interno *N.* Cum iteratione actus interni, qui scilicet multiplicari et subin intensior fieri debet ob difficultatem in executione *C.*

Si ais 3°. Inde inferri posset, non esse obligationem confitendi actum externum malum : Item sequeretur retardatio ab executione bonorum operum et facultas exequendi peccata externa, siquidem in *primo* nihil meriti, in *secundo* nihil demeriti superaddi actui interno, homines crederent.

R. *Ad* 1^um^ — *N. seq.* Nam multiplex ratio est obligationis confitendi actum externum, tum quia cum actu interno constituit unum peccatum etiam

directe per legem prohibitum, tum quia per hoc innotescit efficacia, intensio, duratio, aliique gradus malitiæ actus interni, tum quia actus externus sæpe inducit censuram, onus restitutionis, et similia, atque exigit subin alia remedia, quæ omnia scire confessarium ut judicem et medicum oportet.

Ad 2^um^ *N. seq.* Habet nostra sententia id, ut consoletur bonos, qui non ex defectu voluntatis, sed facultatis non operantur bene, ita tamen serio affecti, ut bene operarentur, si non deesset facultas; item ut terreat malos, se satis bonos existimantes, si opera externa non faciant, aut ea effectu aliunde, quam ex voluntate, careant. Cæterum non retardantur per hoc bona opera: 1° quia qui potest exercere opus bonum, nec tamen exercet, non habet voluntatem efficacem, sed solam velleitatem, et simplicem ac inefficacem complacentiam: 2° quia saltem *per accidens* augetur moralitas, cum intendantur, multiplicentur et prorogentur actus *interni*; bono exemplo; auxilio, aliave ratione juvetur proximus, satisfiat obligationibus, etc., propter quæ actus etiam externi imperantur et suadentur, quamvis *per se* non addant novam bonitatem. Neque etiam ansa datur exercendi peccata externa, cum hæc effectus assignatis contrarios inducant, et hinc ab iis abstinere oporteat.

154. *Observa.* Ad quæstionem, utrum minuatur malitia actus mali, cum ad finem bonum dirigitur, respondet Aug.. L. *cont. Mendac.*, c. 8: *Pejor est, qui concupiscendo, quam qui miserando furatur;* quippe qui furatur ad dandam eleemosynam, habet voluntatem minus deordinatam, minusque affectam ad peccatum, cum pro motivo non habeat furtum propositum ut malum, sed ut apparenter inducens speciem honesti: dein est minus volitum, cum non sit propter se volitum, sed propter aliud, ad quod actus ultimo tendit. Actus tamen reipsa malus, quamvis relatus in finem bonum, non desinit esse malus, cum bonum sit ex integra causa, et malum ex quolibet defectu, nec facienda sint mala, ut eveniant bona. Idem denique actus potest habere plures simul bonitates aut malitias, scilicet unam ex objecto, alteram ex fine, e. g. dum quis furatur, ut se inebriet, aut eleemosynas largitur, ut peccata sua redimat: nam ut ait D. Thom. in 1 dist. 1, q. 2, a. 1, ad 3 · *Non est inconveniens, ut aliquid propter se ametur, et tamen ad alterum ordinetur.*

ARTICULUS II.

AN OMNES ACTUS HUMANI NECESSARIO REFERRI DEBEANT AD FINEM HONESTUM?

155. *Nota.* Dari actus *in specie*, h. e., ex objecto *indifferentes*, fere extra controversiam est; quippe sicut dare eleemosynam ex objecto bonum, furari ex objecto malum; ita deambulare indifferens, et ex objecto nec bonum nec malum est. Dari actus *in individuo*, h. e. ex objecto, ex fine agentis, ex omnibus circumstantiis, et prout actu ponuntur, indifferentes, negant TT. communius, affirmant tamen etiam non pauci. Potest autem actus sic indifferens spectari vel secundum honestatem naturalem; vel relate ad finem ultimum supernaturalem: de *primo* in hoc, de *secundo* in sequente Articulo dicendum, ita ut quæ sunt mere philosophica, Ethicis deferantur.

156. *Dico.* **Omnes actus humani necessario diriguntur ad finem ho-**

nestum, adeoque actus humanus in individuo indifferens quoad honestatem naturalem non datur.

Prob. 1um. Homo humano modo agens imprimis debet agere ex aliquo fine, ut distinguatur a brutis agentibus : deinde agere debet ex fine honesto, quia sic agendo recte utitur ratione, cum hic unicus finis sit rectæ rationi conformis, et usus rationis, ut sit rectus, debeat esse ordinatus ad finem suæ naturæ conformem, sicut agentia naturalia ex innata inclinatione tendunt ad finem suæ naturæ conformem ; ergo si homo ex hoc fine agat, agit honeste et actus est bonus : si non, actus est malus.

Prob. 2um. Quicumque deliberate agit, vel cognoscit id, quod hic et nunc facit, esse rectæ rationi conforme, et sic elicit actum moraliter bonum : vel cognoscit esse rectæ rationi difforme, et sic elicit actum moraliter malum : vel cognoscit, illud nec esse positive conforme vel difforme, h. e., nec sibi esse præceptum], nec prohibitum, sed permissum : et tunc agens debet ulterius habere finem extrinsecum; si ergo pro fine habeat honestum, actus erit bonus : si tantum pro fine habeat jucundum et delectabile, erit malus : si denique tantum utile, non habet finem, sed medium duntaxat, quod rursus specificatur a fine honesto vel delectabili, ad quem ordinatur.

Conf. 1. Juxta Greg. P. hom. 6 in Evang. : *Verbum otiosum est, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis caret :* et L. 7 Moral., c. 17 : *Quod aut ratione justæ necessitatis aut intentione piæ utilitatis caret.* Ex hoc S. Thom., 1, 2, q. 18, a. 9 sic arguit : *Verbum otiosum est malum, quia de eo reddent homines rationem in die judicii, ut dicitur Matth.* 12 : *si autem non caret ratione justæ necessitatis aut piæ utilitatis, est bonum; ergo omne verbum aut est bonum, aut malum; pari ergo ratione et quilibet alius actus vel est bonus vel malus.*

Conf. 2. Malum esse ac inhonestum, agere propter delectationem tanquam finem, aperte colligitur ex damnata ab Innoc. XI Prop. 8ª : *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini : quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui;* et 9ª : *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.*

157. *Obj. I.* Concilium Constantiense damnavit prop. 16am Joan. Huss : *Divisio immediata humanorum operum est, quod sint vel virtuosa vel vitiosa.* Item damnata est hæc Baii 38ª : *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a* Joanne *prohibetur, aut laudabilis charitas, qua per* Spiritum *S. in corde diffusa* Deus *amatur;* ergo dantur actus indifferentes, qui non sunt necessario referendi ad finem honestum.

R. *Ad* 1. — *D. A.* Damnavit hanc propositionem in sensu Joan. Huss *C.* In sensu nostro catholico *N.* Joan. Huss docebat, omnes actus esse bonos vel malos ob rationem subjecti et agentis, ita quidem, ut omnes actus hominis justi essent boni, actus peccatoris essent peccaminosi, ut ex integra ejus propositione patet, quod merito damnatum est, cum et justi possint venialiter peccare, et peccatores moraliter bene operari; nos vero omnes actus vel bonos vel malos dicimus ob rationem *finis* boni intenti vel non intenti.

Ad 2. — *N. C.* Recte damnata est hæc propositio, et similes Quesnelli,

omnes actus dicebant vel meritorios præmii supernaturalis, vel demeritorios, et præterea omnes actus peccatoris esse peccata; quorum neutrum asserimus, cum actus naturaliter tantum boni nec sint meritorii, nec etiam peccata.

Inst. 1. Ex damnatis ab INNOC. XI, prop. 8 et 9, immerito deducitur obligatio omnes actus humanos ordinandi ad finem positive honestum, ita ut nunquam liceat sistere in sola delectatione : non enim damnatur quæcumque delectatio, sed voluptas cibi et potus nimis *crassa*, et illa carnis voluptas nimis *sensualis* ac brutis communis, quæ animum a DEO abstrahunt, et ad terrena deprimunt; ergo.

R. — *N. A.* Nam 1° per hasce damnatas ceu particulares saltem illa universalis de sola delectatione, tanquam fine licito, redditur falsa; 2° quia ratio primæ propositioni addita tanquam *universalis* et inferens propositionem est damnata, habetur grave fundamentum inferendi, delectationem nunquam posse esse finem licitum appetitus naturalis hominis; nimirum agens propter delectationem tanquam finem pervertit rerum ordinem ab auctore naturæ institutum, cum delectatio sit propter operationem, non autem operatio propter delectationem, prout docet PHILOSOPHUS L. 10 *Ethic.*, c. 7 et D. THOM. 1, 2, q. 4, a. 2, ad 2, cum enim delectatio rebus sit aspersa tanquam sal et condimentum, quo duntaxat alliceretur agens ratione ad actiones suæ conservationi et perfectioni utiles aut necessarias, per se duntaxat est *medium* ad illas actiones facilius, melius, et constantius efficiendas, non autem est *finis* actionis.

Inst. 2. Delectatio moderata corporis vel animi non est *mala*, imo illa ex olfactu floris, ex auditione musicæ, ex cantu aviculæ, aliisque similibus est instituta a natura, ut e. g. relaxetur animus; ergo potest sola appeti et esse finis : alioquin sequeretur, quod est valde durum, debere in omnibus actionibus etiam naturalibus respici aliquam necessitatem vitæ, tanquam finem.

R. — *D. A.* Non est mala, ut objectum, quod appetatur; est a natura instituta, ut adhibeatur tanquam medium ad finem honestum, ad quem ipsa relaxatio animi debet referri, scilicet ad moderatam et honestam corporis et animi curam *C.* Non est mala, ut finis, qui propter se appetatur; est instituta a natura, ut per eam relaxetur animus, et hic sistatur *N.* Item *D. seq.* Deberet semper respici aliqua necessitas vel simplex seu necessitatis, vel secundum quid seu congruentiæ *C.* Semper simplex seu necessitatis *N.* Ita D. THOM. 2, 2, q. 141, a. 6 ait : *Omnia autem delectabilia, quæ in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ necessitatem, sicut ad finem.*

Ad 2^um^ deinde sic subjungit : *Necessitas humanæ vitæ potest attendi dupliciter, uno modo, secundum quod dicitur necessarium illud, sine quo res nullo modo potest esse, sicut cibus est necessarius animali; alio modo, secundum quod dicitur necessarium illud, sine quo res non potest convenienter esse.*

Inst. 3. SS. PP. non agnoscunt hanc obligationem dirigendi omnes actus ad honestatem : nam S. HIER. epist. 89 enarratis pluribus actionibus indifferentibus subjungit : *Sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis; nec injustitiam.* Naz. Orat. 3 cont. Jul. ait, *aliquem ex eo, quod non sit supplicio dignus, non statim laudem mereri, et e contra;* unde ELIAS ejus interpres addit : *Nota medium quemdam statum a magno hoc viro admitti.* GREG. P. hom. 27 in Evang. ait : *Sunt nonnulli, qui diligunt proximum*

sed per affectum cognationis et carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Denique, quid per verbum otiosum intelligatur, PP. non conveniunt; ergo.

R. — *N. A.* PP. enim vel loquuntur de actibus *ut sic,* tam indeliberatos, quam deliberatos includentibus, vel si de actibus deliberatis, de his theologice sumptis enuntiant : vel si de actibus moraliter sumptis, de his ut indifferentibus in *specie*, non in *individuo* loquebantur : ex his una explicatio allatis Patrum textibus revera convenit. Verbum aut actionem otiosam non quidem omnes PP. eodem modo accipiunt, plerique tamen sumunt pro verbo vel actione, quæ debito fine caret; sic Hil. verbum otiosum vocat verbum ineptum et inutile : S. Bern. Serm. de triplici custod. *Otiosum verbum est,* inquit, *quod nullam rationabilem causam habet.* Idem asserit S. Greg. et alii; quæ expositio tenenda est, quia alioquin Christus non declarasset severitatem divini judicii : si enim intelligeretur verbum vel actio facta ex *fine malo,* aut tempore non debito, vel actio immoderata, jam participaret a fine malitiam distinctam, vel opponeretur temperantiæ, aut alii virtuti vel obligationi.

158. *Obj. II.* Præceptum referendi omnes actus ad finem honestum, esset *naturale, universalissimum,* et *affirmativum,* imperando intentionem positivam, æquivalenter autem *negativum,* vetando finem non honestum : atqui non est 1. *naturale,* quia alias omnibus, saltem piis ac eruditis, deberet esse notum, quod non est : nec 2. *universalissimum,* cum non sit unum ex primis principiis : nec 3. *affirmativum,* quia obligaret semper et ad semper; ergo.

R. *Ad* 1. Hoc præceptum est sufficienter certum, quamvis non sit omnibus evidens, cum non sit principium primum, vel evidenter ac facile ex illis deducibile.

Ad 2. Est quidem universalissimum ratione *objecti,* non tamen ratione cognitionis aut principii.

Ad 3. Obligat semper ad semper, non absolute, sed *hypothetice,* quoties nempe in ejus materia agitur, h. e. in actibus deliberatis.

Inst. 1. Obligatio, in omni actu deliberato intendendi honestatem, est valde gravis, imo contra persuasionem fidelium, quorum nemo confitetur, se actus ex objecto indifferentes non retulisse ad finem honestum; ergo.

R. *Ad* 1. — *N. A.* Non est gravior hæc obligatio, quam illa, nunquam peccandi veniaiter : nec enim opus est facere semper reflexam et singularem resolutionem, cum sufficiat advertere, rem v. g. esse licitam, conducere ad vitam vel vires corporis, quia his et similibus plerumque *implicite* ac *virtualiter* intenditur finis honestus. Præterea cum in actu deliberato sit advertentia ad regulam morum, facile attingitur etiam modus et moderatio præscripta per rectam rationem.

Ad 2. *N. A.* Nam fidelium persuasioni solum repugnat, si exigatur honestas quædam insignis, vel ardua, vel reflexe aut formaliter intenta. Quod *confessionem* attinet, vel illa satis habetur, dum quis se de verbis et operibus otiosis accusat; vel omittitur, cum illi actus plerumque non sint materia *certa* absolutionis, quia sæpius fiunt sine deliberatione, vel cum dictamine practico, quod sunt liciti; vel scitur, neminem teneri ad confessionem levium peccatorum.

Inst. 2. Ex hac obligatione sequeretur non dari *legem permissivam :* et

actus humanos in individuo non esse liberos, utpote non indifferentes : utrumque est falsum; ergo.

R. *Ad 1.* — *D. M.* Non dari legem permissivam circa objectum actus *N.* Circa finem non honestum *C.* Objecta quædam ex se nec bona nec mala permittuntur referri ad *finem* honestum; quoad finem vero non honestum non datur lex permittens, cum lex naturalis præscribat omnibus actibus deliberatis finem honestum.

Ad 2. — *N. M.* Nam actus liberi sunt ac esse debent indifferentes indifferentia excludente non bonitatem vel malitiam moralem, sed necessitatem ac determinationem.

Inst. 3. Potest homo eligere objectum ex se honestum, non tamen ob honestatem : hæc autem actio non est mala, quia actus internus non contrahit malitiam ex objecto honesto, nec bona, quia non procedit ex motivo honestatis : potest eligere objectum ex se indifferens ex fine indifferente, v. g. deambulare ad juvandam digestionem, procurandam sanitatem, relaxandum animum, exercendam libertatem, vel quia placet, quo modo a brutis distincto operatur : demum potest facere opera *supererogatoria*, non quæ cadunt sub præceptum; ergo non necessario agit ex fine positive honesto.

R. *Ad 1.* — *N. M.* Nam quidquid a voluntate eligitur, eligitur vel ut utile, vel ut delectabile, vel ut honestum, cum voluntas rationabiliter agens debeat habere causam eligendi : si eligitur ut utile vel delectabile, tunc vel voluntas illud prosequitur illimitate, non habita ratione ad regulam morum, et actus est malus : vel limitate, non excedendo regulam morum, et actus est *bonus*, qui prosequitur honestum, quia honestum.

Ad 2. Si deambulatio fiat propter *honestatem* in hac moderata corporis cura relucentem, actio moraliter bona est : si autem delectatio præcise aut nulla honestas intendatur nequidem implicite, actio mala est. *Prob. D.* Agit modo a brutis distincto præcise ratione libertatis *C.* Ratione finis *N.* Sicut ergo, qui agit ex vana gloria, ut fatentur omnes, non agit honeste, quia contra præceptum non præfigendi talem finem : ita qui non agit ex fine honesto, non agit honeste, quia contra præceptum, præfigendi finem honestum juxta illud dictamen syndereseos : quidquid agis, *prudenter* agas, et respice *finem;* quamvis enim per se malum non sit exercere suam libertatem, malum tamen et prohibitum est, velle in hoc sistere, nec usum libertatis in aliquo fine honesto exercere.

Ad 3. D. Opera supererogatoria non cadunt sub præceptum ratione objecti *C.* Ratione finis *Subd.* Absolute, quia nemo tenetur ad opera supererogatoria *C.* Ex hypothesi, quod velis ea facere *N.* Hinc S. Aug., L. 4 cont. *Julian.*, c. 3 ait : *Quidquid boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.*

Inst. 4. Potest quis invincibiliter ignorare obligationem referendi omnes actus ad finem honestum; aut ex probabilitate sententiæ oppositæ formare sibi *dictamen practicum*, quod nulla sit obligatio : atqui sic actio erit indifferens; ergo.

R. — *Tr. M.* Quia lumen naturale omnibus dictat, hominem debere agere prudenter, conformiter suæ naturæ rationali, et finem respicere. *D. m.* Actio erit indifferens per se *N.* Per accidens *Subd.* Speculative et signate *C.*

Practice et exercite *N.* Quoties ad praxin et actionem particularem descenditur, homo reipsa non agit *indifferenter,* sed juxta dictamen interius, licet forte minus explicite cognitum.

159. *Observa.* Assertioni nostræ satisfit per relationem ad finem honestum, quæ sit *virtualis* ac *implicita,* et fere semper habetur, quandocumque actiones indifferentes moderate exercentur, quia moderatio ipsa indicat, quod sublevamen naturæ, et rectam habitudinem corporis ad animæ functiones necessariam secundum dictamen rationis, aut alium finem honestum intendat agens; unde cum semper timoratiores *generali intentione* omnes actiones suas ad honestatem referant, eamque sæpius renovent, non sequitur, eos continuo peccare. Porro controvertitur, utrum hic finis honestus esse possit creatus, vel esse debeat increatus: si primum, ergo operans sistet in creatura: si secundum, ergo opera infidelium erunt mera peccata, cum hi actus suos ad finem increatum non dirigant.

ARTICULUS III.

AN SIT OBLIGATIO OMNES ACTUS HUMANOS DIRIGENDI AD DEUM, CEU FINEM ULTIMUM?

160. *Nota I.* Deus rerum et actionum omnium finis per se et simpliciter ultimus est, *naturalis,* qua auctor naturæ per lumen rationis, *supernaturalis,* qua auctor gratiæ per revelationem ac fidem propositus. Uterque finis, præsertim naturalis, attingi potest vel *formaliter, explicite* et sub conceptu proprio, vel *implicite* ac *interpretative,* quatenus operans agit vel appetit aliquid, quod ex natura sua ordinatur et refertur ad Deum, qualis est honestas, quæ ex se et natura sua ad Deum, ceu regulam, finem et fontem omnis honestatis dirigitur. De necessaria omnium actionum relatione ad Deum ceu finem ultimum naturalem, vix dubium est. Eamdem ordinationem ad Deum, ceu finem supernaturalem, plerique negant necessariam; nonnulli affirmant ob præcepta quædam positiva, 1ª Cor. 10, 31 : *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam* Dei *facite:* Item ad Coloss. 3, 17 : *Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine D. N. J. C., gratias agentes* Deo, *et* Patri *per ipsum;* huc quoque referunt nonnulli præceptum divinum in S. Script. sæpe propositum : *Diliges Dominum* Deum *tuum ex toto corde, ex tota anima, et ex omnibus viribus tuis:* sed quia hinc inferri posset, omnes actiones fieri debere ex charitate sive perfecta, sive imperfecta, actuali vel habituali et justificante : hæc autem quæstio cum in Tract. de Virt. Theol., Disp. v, cap. ii, art. i et ii copiose pertractetur, illam rationem hic examinandam prætermittimus.

161. *Nota II.* Ludov. Habert in Tract. de *Act. Hum.*, c. 6, § 7 ad hanc quæstionem respondet, hominem non teneri, actuali semper intentione Deum intendere, sed virtuali : hac vero responsione, si una cum explicatione et probatione spectetur : 1° vult non sufficere illam *virtualem intentionem,* de qua, n. 159 diximus, sed requiri, ut antecesserit formalis et explicita intentio Dei, quæ deinceps in operatione per hanc intentionem cœpta *virtualiter* perseveret, quatenus in virtute illius intentionis operatio illa continuatur, ut

explicat, c. 4, q. 4. 2º Requirit, ut ad DEUM tanquam auctorem supernaturalem omnia referantur : nam in probationibus ex *Script.* affert textum Matth. 6, 33 : *Quærite primum regnum* DEI *et justitiam ejus,* et textum S. AUG. : *Ergo simplici corde tantummodo propter regnum* DEI *debemus bonum operari ad omnes.* In probationibus ex *ratione* hanc ponit quartam : DEUS vitam æternam nobis proponit ut mercedem bonorum operum : atqui herus mercedem non debet servo, qui propter ipsum non operatur; ergo bona opera nostra ad DEUM referri debent. In 5ª *prob.,* postquam potuisset, quod regula *precandi* sit regula operandi, subsumit : atqui hoc unum in oratione petendum, nempe vita æterna, et media ad illam consequendam, et quidem continuo; ergo. Denique in *Resp. ad obj.* requirit ad omnes nostras actiones *charitatem* vel saltem *spem* vitæ æternæ, ex qua agatur.

Exinde autem colligitur, quod, qui intentione actuali existente, aut saltem in virtute perseverante non refert actionem suam ad DEUM tanquam finem ultimum *supernaturalem,* violet præceptum, et peccet, quantumvis pro fine suo proximo honestatem habet, nec ulla alia ex causa actum peccaminosum ponat. His prænotatis

162. *Dico I.* **Omnes actiones humanæ debent referri ad Deum, ceu finem ultimum naturalem, saltem implicite ac interpretative.**

Prob. prim. et secund. part. Quia hoc saltem præcepta num. 160 et probationes num. 156 evincunt. *Tertia* colligitur ex num. 160; cum enim DEUS auctor naturæ velit, et per lumen rationis dictet, nos agere debere propter finem rationalem et honestum : tam infideles, quam fideles sic agendo, exercite agunt quod DEUS vult, suosque actus referunt, mediante *fine honesto* creato, ad increatum, sive ad DEUM ceu regulam primam et ultimum finem actuum humanorum. Quod autem hæc ad DEUM relatio sufficiat, constat ex eo maxime, quia alias non darentur virtutes morales, quæ formaliter et explicite tantum honestatem pro motivo habent : item plurimæ actiones non tantum infidelium, sed et fidelium non continuo DEUM sub conceptu explicito cogitantium peccata forent.

Si ais 1º. S. AUG. in Psal. 65, 1 dicit : *Si ideo facis, ut tu glorificeris, hoc prohibui : si ideo, ut* DEUS *glorificetur, hoc jussi :* S. BERN. serm. 2 de divers. : *Totum est vanitas... præter id solum, quod in* DEUM *et propter* DEUM, *et ad honorem* DEI *facis : quidquid sine* DEO *facis, totum est malitia.* 2º. Quia homo est creatura rationalis, debet referre omnia ad finem rationalem; ergo etiam, quia est servus DEI, omnia ad DEUM, et quidem explicite. 3º. Agnoscere alium rerum conditorem, quam DEUM, est malum; ergo et præfigere sibi alium finem proximum, quam DEUM, est malum.

R. *Ad* 1. S. AUG. et S. BERN. satisfit per relationem virtualem et interpretativam, cum non requirant absolute formalem et explicitam.

Ad 2. Agens rationale deliberate agit rationabiliter et cum advertentia ad rationem; ergo eo ipso habere debet finem rationabilem sive honestum : homo autem agens non semper agit cum advertentia ad DEUM saltem sub explicito conceptu.

Ad 3. *Disp. est :* qui cognoscit alium conditorem, quam DEUM, eo ipso excludit positive DEUM a ratione principii primi : e contra qui præfigit sibi honestatem actionis pro fine, non excludit DEUM a ratione finis, sed potius interpretative ad illum fertur.

163. *Dico II.* **Non est præceptum, sed consilium, dirigere omnes actiones ad Deum tanquam finem ultimum supernaturalem.**

Prob. Hæc obligatio esset 1° nimis *difficilis*, et moraliter impossibilis, maxime respectu infidelium, qui fidei luce non sunt imbuti. 2° Quia non est satis *promulgata*; non per legem naturalem, cum ordinatio hominis ad Deum ceu finem supernaturalem sit homini extrinseca; nec per præceptum positivum : nam 1° sensus verborum 1ª Cor. 10, 31 proprius hic est : ita studiose Dei gloriam promovete in omnibus (en consilium), ut omnino caveatis, ne quid faciatis Dei gloriæ adversum, aut idolothytorum comestione vel alia re scandalo sitis, quo Deus vituperetur; ita Cornel. a Lap. : ratio autem sic explicandi est contextus, in quo immediate antea de abstinentia ab idolothytis actum est, et post immediate subjungitur : *sine offensione estote Judæis et Gentibus Ecclesiæ.* 2° Per verba Apost. ad Coloss. 3, 17 vel significatur, quod non propter Simonem, aut Moysen, aut Angelos Novatorum, sed propter Christum omnia sint facienda, ut explicant Theodor. et Theophyl., quod præceptum negativum est : vel significatur, omnia et singula opera esse referenda actu vel virtute ad gloriam Christi, quod consilium, non vero præceptum esse constat, cum actus bonos facere possimus sine actuali, imo virtuali relatione ad Christum.

Conf. Dum Paulus 1ª Cor. 16, 14 ait : *Omnia vestra in charitate fiant*, partim *præceptum* dedit, ne quid agerent contrà charitatem Christianam, partim consilium, ut contenderent omnes actiones elicere ex charitate, quæ virtus est divina a Christo infusa; non autem ita simpliciter omnia debent esse ex charitate Dei, ut, quæ ex ea non sunt, sint peccata, id quod damnatum est ab Ecclesia; ergo a pari priores textus ita sunt explicandi. Ex his recte colligitur, sententiam Ludov. Habert videri

164. I. Pugnare cum doctrina communi Scholasticorum, quorum duces, nempe 1° D. Thom. in 2, dist. 41, q. 1, a. 2 ait : *Fides dirigit intentionem in finem ultimum, sed ratio naturalis vel prudentia potest dirigere in aliquem finem proximum : et quia ille finis proximus est ordinabilis in finem ultimum, etiamsi actu non ordinetur; ideo in infidelibus, quorum actus per vim rationis in talem finem diriguntur, possunt dici actus esse boni, sed deficientes a perfecta bonitate, secundum quam actus est meritorius.* Ibid. : *Quamvis ab infidelium actibus subtrahatur illa bonitas, secundum quam actus meritorius dicitur; remanet tamen bonitas alia, vel virtutis politicæ, vel ex circumstantia vel ex genere : et ideo non oportet, quod omnis eorum actus sit malus.* Ibidem ait : *Infideles non semper ex infidelitatis errore finem sibi præstituunt, sed aliquando ex vero et recto judicio rationis : et ideo non oportet, quod in quolibet actu peccent.* Ibid. ad 4 et in Comment. epist. ad Rom. 14, Lect. 3 similia habet.

2° S. Bonav. in 2. dist. 41, a. 1, q. 3 ait : *Talis (scilicet non mala, sed indifferens) actio est, quando quis facit aliquam operationem ita, quod circa creaturam non afficitur inordinate, nec tamen illam operationem comparat ad Deum, sed facit propter aliquem finem, qui respicit indigentiam naturæ... nec Deus requirit ab homine in statu distractionis et miseriæ, quod omnia, quæ facit, referat ad se.*

3° Scotus in 2. dist. 41, q. un., n. 4 sic habet : *Non tenetur homo nec ten-*

tione necessitatis, contra quam sit peccatum mortale, nec tentione minori, contra quam sit peccatum veniale, referre semper actam suum in DEUM *actualiter vel virtualiter, quia* DEUS *non obligat nos ad hoc.* Subscribunt huic sententiæ DURANDUS in 2. dist. 38, q. 4, n. 8 et plures alii apud FONTAINE in Bulla *Unig.* theol. propugn. c. 7 in prop. 44 damn. Tom. II, p. 293.

165. II. Pugnare cum sensu SS. PATRUM : nam 1° S. HIER. in c. 1, ep. ad Gal. ait : *Multi absque fide et Evangelio* CHRISTI *vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos*, etc. Et in c. 22 Matth. : *Inter ipsos quoque Ethnicos est diversitas infinita : cum sciamus, alios esse proclives ad vitia, et ruentes ad mala, alios ob honestam morum virtutibus deditos.* Observa autem, actus ab infidelibus non posse ad DEUM tanquam finem ultimum vel actualiter vel virtualiter referri, tum quia DEUM verum non credunt, tum quia falsum DEUM admittunt.

2° S. CHRYS., hom. 67 *ad pop. Antioch.* loquitur de *infidelibus*, et de bonis eorum operibus ut peccato oppositis, quæ DEUS aliqua mercede temporali *remuneretur*; unde sine cognitione DEI, et relatione ad eum potest actus esse bonus et non peccatum ; ita BELLARM. explicat L. 5 *de grat. et lib. arbit.*, c. 9.

3° S. AUG., serm. 52 de temp. hæc habet : *Licita est humana charitas, qua uxor diligitur; illicita, qua meretrix vel uxor aliena;... licitam ergo charitatem habete. Humana est, sed, ut dixi, licita est; non solum autem ita licita est, ut concedatur, sed ita licita est, ut, si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis, humana charitate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros. Sed videtis, istam charitatem esse posse et impiorum, id est, Paganorum, Hæreticorum, Judæorum.* Epist. 5 ad Marcellin.; L. 5 de Civ., c. 12 et 18; L. de spir. et lit., c. 27 eodem modo loquitur de virtutibus et factis gentilium merito laudandis, quamvis DEUM verum non colerent.

4° S. GREG. P., hom. 27 in Evang. Joan. inquit : *Diligunt proximos, sed per affectum cognationis et carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt.* In quæ verba BELLARM., l. c. : *Certe ea dilectio nihil peccati continet, ac per hoc bona est moraliter, siquidem sacra eloquia peccatis omnibus contradicunt.*

5° S. LEO de oper. Miseric. corpor. serm. 7 de Quadrag., c. 3 ait : *Alia est conditio operum cœlestium, alia terrenorum; mundana benevolentia, in iis quos adjuvat, habet finem : Christiana pietas in summum transit auctorem.* Et immediate ante dicit : *quæ (humana benevolentia) utique laude sua fraudanda non esset, si propter ipsam naturæ communionem juvando homini ab homine præberetur; sed quia, quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit, alia est conditio*, etc.

6° S. FULG., L. de *Incarn.* et *grat.*, c. 26 ad humanæ societatis *æquitatem* reducit opera *bona* infidelium.

7° S. FRANC. SALES., L. 11 de Am. DEI, c. 13 ait : *Jejunare ad parcendum sumptibus, est bonum : jejunare ad obsequium Ecclesiæ, est melius : jejunare ad placendum* DEO, *optimum.*

166. III. Pugnare cum definitionibus SUMMORUM Pontif. Nam

1° Damnata est ab ALEX. VIII hæc prop. 9ª : *Revera peccat, qui odio ha-*

bet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad DEUM *offensum respectu;* ergo non peccat, qui virtutem colit, vel actum ex objecto et circumstantiis bonum elicit, mere ob ejus honestatem, et convenientiam cum natura, sive recta ratione.

2° Si præceptum esset, omnes actus actuali vel virtuali intentione referre ad DEUM, tanquam finem ultimum et objectum suæ beatitudinis; ergo actiones, quæ ex hac intentione, et ad illum finem non referuntur, erunt peccata : atqui actiones infidelium, et virtutes etiam ethnicorum ex hac intentione, et ad hunc finem non fuerunt relatæ, cum verum DEUM non cognoverint, aut eum tanquam finem ultimum et objectum beatitudinis non habuerint, ut patet ex eorum de beatitudine opinionibus, tum ex defectu cognitionis de beatitudine præsertim *supernaturali,* quæ sine prævia *fide* haberi nequit; ergo actiones omnes infidelium et virtutes ethnicorum sunt peccata : sed damnata est a PIO V hæc BAII 25ª : *Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia;* et 8ª ab ALEX. VIII : *Necesse est, infidelem in omni opere peccare;* ergo.

3° Si præceptum esset, omnia referre ad DEUM, et ut ait HABERT in *Resp. ad Obj. I.,* præcepta, quæ ultimum finem spectant, ut *fides, spes, charitas,* semper et pro semper obligant; ergo omnes nostræ actiones vel sunt amor DEI, qui agit propter DEUM, quemque DEUS remunerat, vel sunt amor sui ipsius et mundi, qui, quod ad DEUM referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus : sed damnata est hæc QUESNELLI 44ª : *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur : amor* DEI, *qui omnia agit propter* DEUM... *et amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, etc.* Ubi adverte : quamvis præcipue hic damnetur, quod omnia debeant procedere ex *charitate benevolentiæ* erga DEUM, tamen reprobari etiam censendum est, quod omnia debeant referri ad DEUM, tanquam finem supernaturalem per *fidem, spem* aut *charitatem,* cum et universalis propositio hæc 42ª proscribatur : *Sola gratia* CHRISTI *reddit hominem aptum ad sacrificium fidei : sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas.*

167. *Obj. I.* Præceptum est, quo jubemur DEUM et regnum DEI quærere : 1° enim Psal. 104, 4 dicitur : *Quærite Dominum, et confirmamini; quærite faciem ejus semper :* in quem locum dicit S. AUG. : *Est sine fine quærendus, quia est sine fine amandus* : 2° Matth. 6, 33 : *Quærite ergo primum regnum* DEI *et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* : in quæ verba scribit S. AUG., L. 2 de Serm. Dom. in monte, c. 25 : *Non dixit, deinde ista quærite, quamvis necessaria... ne, cum ista quæratis, illinc avertamini, aut ne duos fines constituatis, ut et regnum* DEI *propter se appetatis, et ista necessaria; sed hæc potius propter illud... ergo simplici corde tantummodo propter regnum* DEI *debemus bonum operari.* 3° Denique, quod petere sine culpa, et licite possumus, continetur in oratione Dominica, ut ait S. CYPR., Serm. de orat. et S. AUG., ep. 121, c. 12; sed ex eodem AUG., l. c. et D. THOM., 2, 2, q. 83, a. 9 sola vita æterna, et media ad illam petenda sunt, et quidem continuo, juxta Luc., c. 18, 1 : *Oportet semper orare et non deficere;* ergo.

R. 1. LUDOV. HABERT agens de necessitate charitatis DEI, c. 3, § 1, q. 2, prob. 3, iis omnibus momentis, queis thesin præsentem confirmat, dicit

etiam confirmari necessitatem charitatis; sicut autem per hæc intendere non potest, quod præceptum charitatis obliget semper pro semper, ita ut, qui ex charitate Dei non agit, eo ipso peccet, juxta num. 166; sic neque deberet intendere, ex his rationibus probare præceptum referendi omnia ad Deum, sed duntaxat enitendum esse hominibus, ut Deum tanquam finem suis actionibus semper præfigant, et sic melius ac meritorie agere laborent. Porro multi longe clariores textus ex S. Script. et SS. PP. afferri possunt tum pro charitate, tum pro spe semper exercenda, quin tamen inde probari possit, aut fidem aut virtutes morales etiam supernaturales esse peccata, quia non eliciuntur ex motivo spei vel charitatis.

R. 2. *Ad* 1. Per illa verba Ps. 104 incitari homines, ut serio agant, quod agunt, non fatigentur, sed instauratis quasi viribus pergant quærere regnum, et nunquam intermittant faciem Dei benignam, et favorem sibi procurare. Item, ut studeant semper proficere non tantum in Dei cognitione, sed etiam in virtutibus, ita ut non existiment gradum perfectionis hominibus, quoad vivunt, esse præscriptum, ultra quem procedere non possint : quæ fuit hæresis Beguardorum ex Lorino. Quæ quidem omnia cum ad statum pertineant hominis, ad singulos actus ejus non pertinere, certum est.

R. *Ad* 2. Per verba Matth. 6 moneri homines, vitam æternam præ temporalibus æstimandam et cupiendam, nec in bonis terrenis finem ultimum esse statuendum, ut clare advertit S. Aug., sed in Deo. Dum vero addit, regnum Dei tantummodo quærendum, sicut per hanc exhortationem ad spem, non excludit charitatem, sic etiam per hoc non excludit moderatam curam bonorum temporalium; sed tantum prohibet, ne in iis finem ultimum ponamus. Quamvis autem actu vel virtute non referamus positive ad Deum actus nostros morales et honestos, tamen per hoc non excludimus Deum, neque in honestate morali finem nostrum simpliciter ultimum ponimus, sed tantum præscindimus a fine ultimo; sicut autem in *intellectu* præscindentium non est mandacium, sic nec in *voluntate* præscindentium est malitia.

R. *Ad* 3. Eodem fere modo : videndus est Cornel. a Lap. et alii interpretes : tandem per τὸ *semper orare*, nisi ad hæresin Euchitarum transire quis velit, nec omnes actus dicet esse debere orationes, nec omnes actus, qui orationes non sunt, esse peccata.

168. *Obj. II.* SS. PP. Ambr., Anselm., Thom., in cit. text., n. 160 docent, contineri præceptum; ergo non duntaxat consilium est, referre omnes actiones ad Deum, ceu finem supernaturalem.

R. SS. PP. explicari possunt de præcepto negativo, uti supra dictum. Si quis velit præceptum etiam positivum, et hoc admitti potest in sensu latiore, nimirum quod debeant ita omnia fieri, ut apta et habilia sint ad gloriam Dei et Christi promovendam, per quod nihil nobis contrarium evincitur. Sic vero S. Chrys. ait in illud 1ª Cor. 10, 31 et 32 : *Omnia in gloriam* Dei *facite, sine offensione estote Judæis et Gentibus et Ecclesiæ* Dei. Theophyl. in eumd. loc. : *Simpliciter autem quamcumque rem in gloriam* Dei *quispiam agit, quando neque alium scandalo quopiam lædit, neque seipsum, ut si nihil agat, ut hominibus placeat, neque pravo aliquo animi affectu.* Aug. conc. 2 in

Psal. 34, 28 : *Suggero remedium, unde tota die laudes* Deum, *si vis. Quidquid egeris, bene age, et laudasti* Deum... *discedis, ut reficiaris, noli inebriari, et laudasti* Deum... *negotia agis, noli fraudem facere, et laudasti* Deum, etc. S. Thom. in eumd. l. lect. 7 : *Relatio hæc in gloriam* Dei *intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi, quæ non est solum in bonis, sed etiam in indifferentibus.*

Inst. 1. S. Aug., L. 4 cont. Julian., c. 3 ait esse peccatum, *quidquid boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri vera sapientia præcipit;* antecedenter autem hæc præmiserat : *Cum ad suum non referuntur auctorem dona* Dei, *hoc ipso male his utentes efficiuntur injusti;* ex quibus per totum illud caput intendit probare, virtutes ethnicorum non fuisse veras virtutes, ac consequenter peccata : atqui hoc intelligendum est de actibus, qui non sunt relati ad Deum, tanquam finem supernaturalem; ergo.

R. — *N. M.* Nam S. Aug. imprimis per finem, quem vera sapientia præcipit intelligit finem, quem ratio homini a Deo indita præscribit, scilicet honestatem. Dein cum dicit, omnia dona referenda ad Deum, non intelligit auctorem supernaturalem, quia et per honestatem virtualiter ac implicite ad auctorem *naturalem* omnia referuntur, a quo homo omnia intra limites naturæ etiam habet. Denique licet virtutes ethnicorum peccata dicat, tamen post initium illius cap. ait : *quanto, inquam, satius hæc ipsa in eis dona* Dei *esse fateberis.* Sub finem autem hæc habet : *Scito, nos illud bonum hominum dicere, illam voluntalem bonam, illud opus bonum sine* Dei *gratia, quæ datur per unum Mediatorem* Dei *et hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum* Dei *donum, regnumque perduci : omnia pro in cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, et sine ullo facta peccato.* Ex quibus constat, S. Aug. non fuisse locutum hic universaliter et constanter, tum quia virtutes ethnicorum adhuc Dei dona dicit, tum quia bona tantum esse negat conducentia ad salutem, in alio autem genere eorum bonitatem transmittit.

Inst. 2. Quamdiu homo est in via, semper debet tendere ad terminum suum, qui est beatitudo supernaturalis et liberum arbitrium ex natura sua ordinatum est ad assequendum finem suum ultimum; ergo tendens ad alium finem peccat.

R. *Ad* 1. *D.* Debet semper ad illum tendere negative, h. e. nunquam recedendo, et ab eo se avertendo *C.* Positive, h. e. se convertendo ad illum, et propter illum in omni actione operando *N.*

Ad. 2. *D.* Est ordinatum ad assequendum suum finem ultimum naturalem *C.* Supernaturalem *N.* Hæc ordinatio non est natura liberi arbitrii, sed ex gratuita Dei dispositione habetur, cum illud mansisset idem prorsus intrinsece, si homo relictus fuisset in statu naturæ puræ.

Inst. 3. Sicut homo, qua homo et creatura rationalis, ordinatur ad Deum, ceu primam regulam morum, et finem ultimum naturalem; ita homo, qua elevatus ad statum gratiæ et Dei amicus, ordinatur ad Deum, ceu auctorem et finem ultimum supernaturalem; ergo vel non datur obligatio referendi omnia ad Deum, ceu finem naturalem, vel simul ceu supernaturalem, summeque amabilem ex imperio aut motivo *charitatis.*

R. — *N. C. disp. est :* quia ordinatio ad bonum rationis et finem honestum est homini intrinseca, et lege naturæ præcepta : ordinatio vero ad finem su-

pernaturalem est extrinseca, et transcendens regulam jure naturæ præscriptam : nam si homo, ut poterat, elevatus non fuisset ad finem supernaturalem, debuisset adhuc sequi regulam honestatis, et sic agendo egisset honeste in ordine naturæ ; ergo nunc etiam. Dein si actio non refertur ad finem honestum, erit simpliciter otiosa, qualis non foret, etiamsi non poneretur ex motivo charitatis, modo referatur ad finem honestum. Denique obligatio operandi semper ex charitate, non cohæret cum Decretis Summorum PP., esset nimis difficilis, et moraliter impossibilis, maxime respectu infidelium, etc. Vide Tr. de *Virt. Theol.*

169. *Observa.* Sententia adstruens obligationem, actiones et semper dirigendi ad DEUM, ceu finem ultimum *supernaturalem*, quam sit affinis doctrinæ HÆRETICORUM, inde perspicies : CALVIN., L. 4 Inst., c. 14, § 3 docet, omnes FABRICIOS, SCIPIONES, CATONES in illis suis præclaris facinoribus hoc peccasse, quod, cum fidei luce carerent, non ad eum finem ipsa retulerunt, ad quem referre debuerunt. Juxta LUTHER. in ep. ad Gal., c. 4 opera extra fidem facta, ut maxime in speciem sancta videantur, sub peccato et maledicto sunt ; huic consentiunt MELANCHTHON et KEMNITIUS. Clarius autem PET. MARTYR. in ep. ad Rom. 2, 24 dicens : *Infidelium præclara opera, licet quoad ipsos peccata essent, tamen ex natura sua vel genere damnari non poterant humano judicio; coram* DEO *tamen prava fuisse, ideo non est dubium, quod in congruum finem minime referrentur.*

BAIUM non alia ex causa docuisse, quod omnia opera infidelium sint peccata, et virtutes Philosophorum vitia, quam ex eo, quod non referantur ad DEUM tanquam finem ; patet ex ejus scriptis : nam L. 2 de virtutibus impiorum, cum c. 4 hanc epigraphen posuisset : quod honestatis officia, cum in DEUM non referuntur, non sint virtutes, sed vitia ; in contextu ait, virtutes, quæ non ob aliud, quam propter semetipsas expetuntur, non recte a peccato vindicari, virtutesque non esse, sed virtutum simulationes, et vitia virtutes imitantia. Dein probandum assumit, non esse virtutem illam, qua DEO non servitur, quæ non propter DEUM operatur. Demum c. 5 sic inscribit ; quod virtutes impiorum, quæ in DEUM non referuntur, non ideo ab AUGUSTINO negantur esse veræ, quia non salvant, sed quia *vitia* sunt et damnant. Plura de his Cardin. AGUIRRE in Theol. S. ANSEL., Disp. 139, Sect. 3 et Sect. 12. P. FONTAINE in Constit. *Unigen.* theol. propugn. ad prop. 44 et 47.

ARTICULUS IV.

QUÆ SIT REGULA 1ª ACTUUM HUMANORUM ?

170. *Nota I.* Regula morum est criterium *boni* et *mali :* ejus proprietates sunt, ut sit recta, certa, constans, universalis et obligatoria. Alia dicitur *prima,* quæ ante se nullam aliam habet, ipsi vero aliæ regulæ subordinantur ; vocatur etiam *objectiva,* quia dirigit voluntatem humanam per modum objecti, cui actus conformari debet ; *remota* et *externa,* tum quia inter hanc et actum alia regula, scilicet proxima, intercedit, tum quia non reipsa, sed tantum per cognitionem in homine datur. Alia vero *secunda, proxima,*

formalis, et *interna*, quæ est propositio et applicatio regulæ objectivæ per illuminationem et dictamen intellectus. De utraque fit quæstio gemino articulo dissolvenda.

171. *Nota II.* Lex Dei æterna, quæ juxta D. Thomam 1, 2, q. 91, a. 1, est ordinatio divinæ voluntatis, ad quam tota Universi communitas gubernari debet, dividi solet in *antecedentem*, qua Deus præcipit aut prohibet aliquid *per se*, h. e. secluso omni errore, ignorantia aut dubio ex parte hominis se tenente : et in *consequentem*, qua Deus præcipit aut prohibet aliquid *per accidens*, h. e. ex suppositione erroris, ignorantiæ vel dubii circa legem. Verum quia hæc distinctio legis æternæ tanquam nova et anno primum 1668 a P. Ant. Terillo excogitata improbatur, imo velut commentitia et absurdorum plenissima rejicitur a Dan. Concina, L. III de Probabilissimo, Diss. 8, c. 4, 1º de lege æterna, ceu regula prima morum, 2º de ejusdem distinctione in antecedentem et consequentem dicendum est.

172. *Dico I.* **Lex æterna Dei est prima regula actuum humanorum.**

Prob. Lex æterna Dei habet omnes proprietates regulæ primæ, quia est *recta*, cum voluntas Dei sit indefectibilis : *certa*, quia est verissima, et scripta in cordibus nostris, omnibus innotescit : *constans*, utpote æterna et immutabilis : *universalis*, quia se extendit ad omnes rationales creaturas, omnesque actiones : *obligatoria*, quia Deus est superior natura, potentia et dominio ac simul præcipit, prohibet, impellit cum coactione h. e. sub comminatione pœnæ etiam æternæ, nisi obediatur : *prima*, quia Dei ordinatio non est ordinabilis ab alia regula, cum sit independens ab ullo priore vel ordinante, vel dirigente.

Conf. Ratio *peccati* habetur a lege Dei : nam ad Rom. 4, 15 dicitur : *Ubi non est lex, nec prævaricatio*; unde S. Aug., L. 22 cont. Faust., c. 27 ait : *Ergo peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquod contra æternam legem*; quem locum citans D. Thomas 1, 2, q. 71, a. 6 ait : Augustinus *in definitione peccati posuit duo; unum, quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit, dictum, vel factum, vel concupitum : aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit, contra legem æternam*; ergo si una species moralis, scilicet actio mala dicitur, quia est contra legem Dei, similiter altera, sive actio bona erit, quæ est juxta legem Dei; ergo lex Dei est regula prima morum.

173. *Dico II.* **Datur lex Dei antecedens et consequens.**

Prob. Hæc legis divinæ distinctio quoad rem non est nova et inaudita, minus conficta ex necessitate propugnandi Probabilismum, nequaquam absurda aut indigna Deo : nam

1º Hic ipse modus loquendi, quamvis in alia materia, fuit jampridem inter TT. et PP. receptissimus : quippe S. Chrys., hom. 1 *in ep. ad Ephes.* distinguit inter voluntatem Dei primariam, et secundariam. S. Damasc., L. 2 *de Fide orthod.*, c. 29 voluntatem Dei, salvandi omnes, aliam vocat antecedentem, et aliam consequentem. Eamdem divisionem adstruit S. Thomas 1 p., q. 19, a. 6, ad 1; eccur ergo similis distinctio legis divinæ partus

recentior, insolens ac inauditus sit, cum ea quoad rem nil aliud inferat quam quod communissima TT. semper tenuit, videlicet posse Deum aliqua, quæ secluso errore aut ignorantia prohibet, ex suppositione erroris aut ignorantiæ, maxime invincibilis, permittere, aut etiam *per accidens* præcipere, et vicissim?

2° Non soli Probabilistæ, sed et Probabilioristæ, quin et Tutioristæ reipsa agnoscunt, quod Deus secluso errore aliqua permittat, quæ supposito errore præcipit, aut vice versa; quia si cui probabilismum sit, aut saltem æqualiter probabile, hanc vel illam actionem esse licitam, Probabilistæ eum absolvunt a peccato, licet forsan a parte rei talis actio sit illicita : Tutioristæ condemnant ad formale peccatum, quamvis actio in se non sit prohibita : idem docent Probabilioristæ in casu æqualis probabilitatis; ergo prædicta legis divinæ distinctio non est conficta propter solam necessitatem servandi a ruina Probabilismum, prout inter magnos clamores oggerit Concina, qui tamen ipse Tom. VI, L. 1 de *jur. nat.* dicit, depositum esse absolute reddendum, non autem in hac vel illa circumstantia, homicidium esse publica auctoritate licitum, non privata, etc. His sane verbis de immutabilitate legis naturalis eodem modo loquitur, quo Terillus de distinctione legis divinæ antecedentis et consequentis. Adde, quod subditus invincibiliter ignorans, rem illicitam sibi a superiore præceptam esse, ad obedientiam teneatur, vel certe obediendo non peccet, juxta ipsum Concina L. II de *Conscient.*, Diss. 1, c. 5; ergo.

3° Deus vi prædictæ divisionis non fit auctor peccati, quia, si error est invincibilis, mendacium e. g. permittit aut præcipit solum *per accidens*, et in iis circumstantiis, in quibus malitiam mendacii non agnoscit, aut invincibiliter putat illud esse præceptum, quem errorem Deus non tenetur impedire : si error est vincibilis, homo tenetur eum deponere, et nonnisi conditionate obligatur ad mentiendum, h. e. Deus vult, ut, si homo nolit errorem, quem potest, deponere, reus fiat pœnæ et culpæ non tam mentiendo, quam negligendo veritatem inquirere, quæ voluntas Deum haud dedecet; imo utrumque infinitam Dei sapientiam et æquitatem commendare videtur; ergo distinctio illa legis divinæ indigna Deo non est. Singula patebunt magis ex solutione objectionum, quas Dan. Concina sic fere depromit.

174. *Obj. I.* Posse Deum permittere, aut etiam obligare ad mendacium, quantumvis ex hypothesi erroris aut ignorantiæ, adversatur S. Script., SS. PP., ac TT. consensui; hinc S. Aug., L. cont. Mendac., c. 15 ait : *Nihil aliud judicandus est dicere, qui dicit, aliqua justa esse mendacia, nisi aliqua justa esse peccata, ac per hoc aliqua justa esse, quæ injusta sunt; quo quid absurdius dici potest?... Ea vero, quæ contra legem* Dei *sunt, justa esse non possunt. Dictum est autem* Deo : *Lex tua veritas : ac per hoc, quod est contra veritatem, justum esse non potest. Quis autem dubitet, contra veritatem esse omne mendacium? Nullum igitur justum esse potest mendacium :* ergo. *Conf.* Certum est Ecclesiæ universæ consensu, legem æternam Dei naturalem primariam immutabilem esse; ergo legis divinæ distinctio in antecedentem et consequentem est commentitia.

R. — *N. vel D. A.* Posse Deum permittere vel obligare per se et antecedenter, ad mendacium formale et cognitum qua tale, ex hypothesi erroris aut ignorantiæ qualiscumque, vincibilis etiam et culpabilis *C.* Obligare tantum per

accidens et consequenter ad mendacium duntaxat materiale, et ex hypothesi erroris aut ignorantiæ invincibilis ac inculpabilis *N. S.* Aug. uti et S. Bern., Tertull. et alii PP. de uno ex prædictis sensu intelligendi sunt, ac explicandi; alias et servus obediens hero injusta præcipienti, quæ invincibiliter ille putat esse justa : et uxor debitum reddens marito, quem optima fide ac invincibiliter habet pro suo, formaliter ac proprie peccabunt, quod nec ipse Concina affirmare audet.

Ad Conf. N. C. Nam lex naturalis semper prohibet mendacium pro iis circumstantiis, pro quibus est intrinsece malum ac formale mendacium, id est, cognitum ut prohibitum, adeoque objectum legis naturalis prohibentis : et nunquam prohibet mendacium pro iis circumstantiis, pro quibus non est formale mendacium, sed invincibiliter ignoratum ut prohibitum; ergo est et manet immutabilis. His sane telis configere conatur Concina omnem ignorantiam invincibilem juris naturalis; quod intentum quam sit cariosum, ex dictis supra de ignorantia manifestum est.

Utrum autem ejusmodi actio lege tantum consequente permissa vel præcepta dici queat positive bona, nonnulli negant cum Concina; sed affirmat communissima, siquidem dictamen reflexum actionem præcedat. Utrum ad meritum illa sufficiat, id magis dubium videtur, cum ad meritum supernaturale requiratur actus prudentiæ supernaturalis, in tali vero actione judicium saltem directum sit falsum et erroneum.

Inst. 1. Ex hac distinctione legis æternæ sequeretur, mentientem pro casu ignorantiæ invincibilis nequidem peccare materialiter : non enim peccat contra legem Dei antecedentem, quam ignorat, neque contra consequentem, quæ mendacium hoc in casu præcipit, aut permittit : sed hic est intolerabilis error contra communem TT.; ergo. *Maj. constat* : nam docet Tertull., L. de Spect., c. 20 : *Erramus : nusquam et nunquam excusatur, quod* Deus *damnat : nusquam et nunquam licet, quod semper et ubique non licet... non potest aliud esse, quod vere quidem bonum est seu malum*; ergo.

R. — *N. Seq.* Nam talis mentiens facit id, quod de se est materia legis antecedentis prohibentis, et eos omnes obligantis, qui possunt ac debent sufficientem habere notitiam legis; ergo peccat saltem materialiter, quamvis a formali eum malitia excuset ignorantia invincibilis legis antecedentis. Aliud est in casu ignorantiæ vincibilis, pro quo ligatur quidem homo erronea conscientia, quatenus non licet agere contra illam, si non deponat; non vero obligatur, quia non tenetur illam absolute sequi, quam posset ac deberet deponere : ita Suarez et D. Thomas. Tertullianus vel loquitur in eumdem sensum de eo, quod est per se, vel de peccato in genere, quod a formali et materiali præscindit, vel de casu sufficientis cognitionis.

Inst. 2. Talis ex invincibili errore mentiens non cognoscit legem consequentem, cum judicet, in tali casu sibi *per se* licitum esse mendacium; si vero per legem consequentem ipsi sit licitum mentiri, non *errat*, adeoque nullus deinceps erit invincibilis error; ergo.

R. Equidem talis judicat, sibi in hoc casu *per se* licitum esse mendacium, sed judicat erronee, et sic judicando ex insuperabili mentis errore, agere se juxta legem antecedentem, reipsa agit juxta legem consequentem, quam saltem per judicium reflexum cognoscit. Hoc autem judicium reflexum tametsi verum sit, tamen directum est falsum, adeoque non cessat error, et quidem invincibilis.

Inst. 3. In tali casu lex antecedens aperte contradiceret legi consequenti : illa enim absolute prohiberet, et hæc adeo præciperet mentiri : sed hoc est absurdissimum; ergo.

R. — *N. vel D. M.* Lex antecedens contradiceret consequenti, si illa prohiberet, hæc vero præciperet mentiri pro iisdem circumstantiis *C.* Si pro diversis *N.* Lex antecedens prohibet mendacium semper et pro omnibus circumstantiis sufficientis cognitionis de malitia mendacii, ita ut mentiens etiam ex ignorantia invincibili hac lege obligetur, sed in *actu primo,* et peccet contra hanc legem, sed materialiter tantum ob defectum cognitionis, quæ est conditio necessaria tum ad peccatum formale, tum ad obligationem legis in *actu secundo.* Lex consequens non prohibet, sed permittit mendacium contra legem antecedentem, sed invincibiliter ignoratam, ne operans contra conscientiam peccet formaliter, cum omne, quod non est *ex fide,* peccatum sit. In hoc autem nulla est contradictio.

175. *Obj. II.* Hæc legis æternæ distinctio legem divinam totamque honestatem subjicit privatis hominum opinionibus, quin et erroribus; ergo non est ferenda. *Prob. A.* Ex eo, quod quis probabiliter vel probabilius, ex errore vel ignorantia judicet, hoc esse licitum, lex Dei fit lex consequens, lex per accidens, lex permittens, imo præcipiens illicita; honesta fiunt inhonesta, et vicissim; ergo.

R. — *N. A et Prob.* Nam prima Lex æterna semper est et manet prima regula moralitatis : quæ sufficienter cognita et omnes et semper obligat; cum vero ad actualem obligationem præsupponat sui notitiam, in casu invincibilis ignorantiæ aut erroris circa legis existentiam et obligationem Deus non vult eum fieri reum culpæ ac pœnæ, qui ex hac ignorantia aut errore invincibili profert mendacium, ita exigente infinita Dei sapientia et æquitate; igitur a perfectione divina, non vero ab opinionibus aut erroribus hominum pendet legis æternæ actualis obligatio. 2° Quam impertinenter huic quæstioni immisceatur Probabilismus, ostensum supra; attamen per subdolam exaggerationem identidem hic oggeritur, ut undequaque eidem confletur invidia. 3° Sicut lex æterna et naturalis in se nunquam mutatur, semperque obligat pro circumtanstiis sufficientis sui notitiæ : ita nec ejus objectum, scilicet intrinsece honesta aut inhonesta, unquam mutatur pro circumstantiis sufficientis cognitionis de honestate aut inhonestate actus.

Inst. Objectum legis æternæ prohibentis sunt intrinsece mala et necessario prohibita, quæ nunquam possunt fieri licita : hæc vero per legem Dei consequentem fierent licita, imo positive honesta et meritoria, e. g. in casu, quo quis erronee judicaret officiosum mendacium, quamvis intrinsece malum, esse necessarium ad servandam vitam innocentis; ergo et lex æterna, et ejus objectum mutatur.

R. 1. — *D. M.* Sunt intrinsece mala radicaliter, necessario prohibita, et nunquam licita pro casu sufficientis notitiæ *C.* Mala formaliter, necessario prohibita, et nunquam licita etiam pro casu invincibilis ignorantiæ *N.* Redit hic illa adversus Concinam illatio, nullam ergo dari posse invincibilem ignorantiam, aut omnes actiones ex ignorantia etiam invincibili positas contra legem Dei antecedentem esse formaliter peccaminosas.

R. 2. — *N. M.* Quamvis enim licitum esse pro tali casu dicamus menda-

cium illud officiosum, inde non sequitur, quod ipsum positive honestum, quin et meritorium dici debeat, cum plus ad hoc, quam ad illud requiratur : sunt nempe qui ad positivam honestatem ac meritum negant sufficere, quod actio sit præcise conformis legi, sed insuper requirunt, ut et actus secundum se et materialiter sit bonus. Alii vero non pauci, neque abs gravi fundamento aliter sentiunt : vide num. 174.

ARTICULUS V.

QUÆ SIT REGULA PROXIMA ACTUUM HUMANORUM ?

§ I.

Præcognita de Conscientia generatim.

176. *Nota.* Conscientia, quæ regulam primam moralitatis applicat, usu in scholis recepto regula morum *proxima* et *formalis* dicitur; solent autem in ea applicatione intervenire tres actus intellectus, idque per modum syllogismi formalis vel virtualis : Major proponit principium morale generale, seu legem Dei et dicitur *synderesis* : Minor proponit factum, seu actionem particularem, et est vel actus *prudentiæ,* vel *experientiæ,* vel *fidei humanæ,* etc. Conclusio proponit sententiam ex duabus præmissis inter se comparatis deductam, et dicitur Conscientia.

Hæc pro diversitate actionis in Minori propositæ diversimode appellatur : consequens, si proponit actionem præteritam : *antecedens,* si proponit actionem faciendam aut futuram : *accusans* et *remordens,* si deprehendit actionem suam esse difformem legi : *testificans,* si deprehendit actionem legi conformem. Porro antecedens alia dicitur *instigans* et *excitans,* si deprehendit actionem a lege præceptam : alia *revocans* et *absterrens,* si deprehendit prohibitam : alia *consulens* et *suadens,* si deprehendit actionem pertinere ad consilia Evangelica vel alia : *concedens* dicitur, si deprehendit actionem tantum permissam. Nobis hic sermo est de conscientia antecedente, cujus definitionem et divisionem, aliaque ad ejus intellectum necessaria juvat præcognoscere.

177. I. Conscientia est judicium practicum per modum conclusionis saltem virtualis ex principiis moralibus generalibus deductum, ultimo dictans, hoc esse licitum vel illicitum; ita communis. Dicitur 1° *Judicium,* quia juxta Apostolum conscientia est fides quædam seu credulitas, quæ vera aut falsa est ac proprie per judicium intellectus habetur. 2° *Practicum,* quia dirigit actionem humanam, instigando, revocando, suadendo, vel concedendo. 3° *Deductum ex principiis moralibus generalibus,* quia applicat legem æternam, quam semper respicit saltem mediate, ut inde bonitatem formalem accersat actioni. 4° *Per modum quasi conclusionis,* quia sufficit, legem Dei habere pro causali actionis, et sic fieri syllogismum virtualem. 5° *Dictans,* hoc est, per modum regulæ, dictaminis, ac principii dirigentis proponens. 6° *Ultimo dictans,* tum quia distinguitur a Synderesi, versando circa actionem in particulari cum omnibus ejus circumstantiis in ordine ad executio-

nem, tum quia distinguitur ab aliis judiciis præcedentibus, quæ versantur circa aliquam conditionem vel principium, ex quo actionis moralitas dependet. 7° *Hoc esse licitum vel illicitum,* quia conscientia versatur proprie circa bonitatem et malitiam moralem actuum humanorum.

178. II. Conscientia, 1° relate ad objectum materiale alia dicitur *vera* sive *recta,* quæ dictat licitum esse vel illicitum, quod revera tale est, ac præterea ex lege Dei hoc etiam legitime deducit : *falsa* sive *erronea* est, quæ vel dictat esse licitum, aut illicitum, quod reipsa tale non est, vel sequidem revera tale sit, non tamen id legitime ex divina lege deducit. 2° Relate ad objectum formale dividitur in *certam,* quæ ex indubia lege Dei dictat, aliquid esse licitum vel illicitum, atque sic in suis principiis omnibus talis est, ut excludat formidinem : in *probabilem,* quæ ex principio aliquo, quod prudenter judicatur esse lex Dei, aliquid dictat esse licitum vel illicitum : in *dubiam,* quæ nihil determinate judicat, sed quasi suspensa in utramque partem sententia hæret indeterminata ; unde proprie ad conscientiam, h. e. judicium practicum, non spectat, nisi reductive : in *scrupulosam*, quæ ex nimio timore vel anxietate, aut ex levissimis et duntaxat apparentibus principiis judicat aliquid esse illicitum, quod tamen revera tale non est ; huic opponitur *temeraria,* quæ ob rationes solum apparentes judicat licitum, quod reipsa illicitum est.

179. III. Conscientiam requiri ad honestatem actionis humanæ, inter TT. certum est : cum enim voluntas tanquam potentia cæca dependeat a ratione, et dirigi ac gubernari debeat ; ut voluntas recta sit, debet præcedere recta ratio, quæ per judicium conscientiæ ostendat rectitudinem et honestatem actionis; hinc Apost. ad Rom. 14, 23 ait : *Omne, quod non est ex fide, peccatum est,* h. e. omne, quod non est secundum conscientiam, peccatum est. Quamvis enim hic textus a SS. Aug. Prosp. et Bern... sumatur de fide proprie tali ; tamen non excludunt nostram expositionem, quæ post S. Chrys., Theod., Ambr., Theoph. et Œcumen. apud Cornel. a Lapide, asseritur a TT. omnibus, et sensus litteralis est. Scilicet Apostolus hic loquitur de *infirmis,* h. e. errantibus et scrupulosis, qui ex conscientiæ errores putabant, non licere sibi vesci cibis lege vetitis, atque his ait : *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide ;* quasi diceret : qui discernit hunc cibum quasi illicitum ab alio, si manducat id, quod discernit quasi illicitum, damnatus est, sive peccat, quia non *ex fide,* id est, ex credulitate, quod id liceat, sed contra conscientiæ dictamen manducat, cui dein generale illud principium simili sensu subjicit : *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.*

Ex quo colligitur, quod conscientia inducat obligationem, ut habetur c. *litteras* 13 de restit. spol., c. ult. de Præscript., c. *inquisitioni.* 44 de sent. Excom. ; eam tamen obligationem non inducit ex se et ratione sui, sed ratione legis æternæ, quam indicat et proponit, interne suggerens et enuntians, quid legi æternæ conforme vel difforme sit ; unde S. Thom. 1, 2, q. 21, a 1 ait : *In his, quæ aguntur per voluntatem ; regula proxima est ratio humana, regula autem suprema est lex æterna.*

180. IV. Dictamen conscientiæ, vel potius judicium ratione objecti aliud

est *speculativum,* quo aliquid judico sine ordine ad actionem vel praxin, e. g. hæc res est mea, hoc opus non est servile : aliud *practicum*, quo aliquid judico faciendum vel non faciendum, v. g. hanc rem retinere possum, hoc opus die festo facere licet : aliud *remotum,* quo judico de re considerata tantum in seipsa objective, et nondum attentis omnibus circumstantiis, v. g. contractum aliquem esse justum ; et hoc etiam dicitur *universale,* quia in genere proponit objectum : aliud *proximum* sive *ultimum,* quo post consideratas omnes circumstantias etiam accidentales ultimo judico, quod actio licita sit vel illicita, v. g. contractum hunc numero in his circumstantiis omnibus esse justum, et hoc etiam dicitur *particulare* seu *practice practicum :* aliud *directum,* quod immediate cadit supra objectum, de quo aliquid enuntio, v. g. pingere die festo, probabilius licitum est : aliud *reflexum*, quod cadit supra ipsum judicium directum, vel quo judico de rei veritate, prout apparet in intellectu, v. g. licitum est, quod probabilius est licitum.

181. V. Judicium ratione sui aliud est *verum* vel *falsum,* quod est conforme vel difforme objecto. Utrumque subdividitur in verum *objectivum,* seu reale, quod est conforme objecto, ut *in re* existit, et hoc est proprie verum : in verum *subjectivum*, quod est conforme objecto, prout illud esse judicatur secundum motiva rationabilia, et hoc est improprie et apparens verum, pertinens tantum ad probabilitatem, de qua hic non est sermo. *Evidens* est, quod suamet claritate ita lucet per sese, ut aliter apparere aut percipi non possit. *Obscurum* est, quod ita non lucet. *Certum* est, quod aliter se habere non potest, et determinat mentem, quæ firmiter eidem adhæret. *Incertum* est, quod aliter se habere potest, neque hanc determinationem causat, sive quod neque certo verum, neque certo falsum est. Adverte, verum, evidens et certum, quamvis subin pro eodem sumantur, tamen inter se distingui ; cum *verum* proprie solum significet conformitatem actus cum ista re : *evidens,* rei claritudinem : *certum,* mentis determinationem et adhæsionem.

182. VI. Certum aliud est *evidens,* quod veritatem suam objectivam ita clare repræsentat, ut intellectum necessitet ad assensum, et omne dubium excludat : aliud *inevidens,* quod subdivitur in certum *fide divina,* quod a Deo revelatum et ab Ecclesia ad credendum est propositum : sic certa sunt omnia, quæ divinis litteris ac Traditione clare continentur aut per Ecclesiam expresse determinata sunt ; huic oppositum proprie dicitur *hæreticum :* in certum *theologice,* quod partim ex revelatis, partim ex naturaliter certis ac notis legitima consecutione deducitur, huic oppositum proprie dicitur *erroneum :* in certum *metaphysice,* quod ita essentialiter se habet, ut aliter nulla omnino ratione esse aut concipi queat, sic certa sunt omnia metaphysica et mathematica principia, atque ex his necessario ac evidenter deductæ conclusiones, item primaria legis naturalis præcepta : in certum *physice,* quod idem absolute aliter esse potest, secundum ordinatam tamen potestatem et naturæ leges ordinarias necessario et non aliter haberi potest ; sic certum est, eclipsin suo tempore futuram, et alia omnia, quæ sensibus clare percipiuntur, item præcepta Decalogi, Ecclesiæ, et alia tam clare ac distincte præcepta aut prohibita, ut ignorari nou possint : in certum *moraliter,* quod

quidem non tantum absolute, sed etiam physice aliter se habere potest, difficillime tamen ac rarissime contingit, ut aliter se habeat.

Hoc si nullam obscuritatem aut dubium deliberatum etiam imprudens relinquat, dicitur certum moraliter *perfecte;* sic certum est, Romam existere; si potest relinquere aliquam obscuritatem et admittere dubium aliquod saltem imprudens, dicitur certum moraliter *imperfecte;* sic aliquando contingit in objectis fidei, de quorum credibilitate moraliter tantum certi sumus. Huc pertinet, quidquid omnes fere Theologi et Philosophi in sua facultate concorditer docent, cum omnes nonnisi certis rationibus in aliquid conspirasse præsumantur; item quidquid ita multis gravibus rationibus innititur, licet earum nulla sit certa et cogens, ut in contrarium nulla solida aut gravis ratio inveniatur.

183. *Observa.* Denique non hic tam ad judicia prævia, quam ad dictamen ultimum attenditur, tum quia illa possunt esse speculativa, quæ ad praxin saltem immediate nihil faciunt; tum quia si etiam sint practica, tantum in genere loquuntur de actione, de qua ex illorum rationibus universaliter et constanter nihil definiri potest : qua vero ratione ad ea sit advertendum, indeque deduci possit dictamen conscientiæ ultimum, infra dicemus.

§ II.

Conscientiæ Dictamen Ultimum.

184. *Dico I.* **Dictamen conscientiæ ultimum non quidem objective, sed subjective verum esse debet.**

Prob. 1um. Tum quia veritas objectiva, etiam omni diligentia adhibita, sæpe inveniri nequit, tum quia ignorantia invincibilis, aut conscientia invincibiliter errans excusat a peccato, imo etiam obligat ad sequendum; ergo. *Prob.* 2um. Quia objectum actui tribuit speciem, non prout est in se, sed prout hic et nunc ab intellectu proponitur; ergo si proponitur ut bonum et præceptum, etsi reipsa tale non sit, voluntas illud respuendo vel omittendo peccabit; vel si proponitur ut malum et prohibitum, esto tale non sit, voluntas illud amplectendo vel committendo peccabit.

Conf. 1° Dictamen conscientiæ ultimum debet esse ethice rectum, h. e. conforme appetitui recto, sive bene ordinato et disposito ad implendam omnem Dei legem : atqui nisi conformetur objecto ut per intellectum proposito, *ethice rectum* esse nequit, cum appetitus sequatur cognitionem et propositionem intentionalem objecti; ergo. 2° In conscientia erronea excusante a peccato, quamvis præsupponatur error aut ignorantia invincibilis circa judicium *speculativum* vel remote practicum, tamen *ultimum* conscientiæ hujus dictamen debet his principiis legitime conformari; unde hic potest esse error circa objectum materiale, non autem formale, sive principium, ex quo judicatur hic et nunc agendum; sed hoc fieri nequit sine veritate subjectiva; ergo. Inde colliges, quo pertineat illud Eccli. 37, 20 : *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante actum concilium stabile :*

nempe τὸ *verax verbum* significat dictamen prudens, quod dirigere actiones nostras debet.

185. *Dico II.* **Conscientiæ dictamen ultimum de honestate actionis debet esse moraliter certum.**

Prob. Nemini licet, se exponere morali periculo formaliter peccandi : atqui operans sine certitudine de honestate actionis hic et nunc exercendæ exponit se periculo morali formaliter peccandi ; ergo. *Maj.* constat : quia in moralibus idem est, se exponere periculo probabili seu morali peccandi, ac peccare. *Prob. m.* Quia, qui dicit : probabile est, quod reipsa peccem eliciens hanc operationem, vel probabile tantum est, quod non peccem eliciens hanc operationem ; is expositus est contingentiæ, quam ipsa probabilitas affert : sic vero tutus non est a peccato, sed subit periculum peccandi ; ergo. Proinde non licet operari sine certitudine de honestate actionis hic et nunc exercendæ.

Conf. Conscientiæ dictamen ultimum debet esse irrefragabile ac necessarium, tum quia Scriptura Eccli. 37, 20 ait : *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante actum consilium stabile;* et ad Rom. 14, 23 : *Quod non est ex fide, peccatum est :* tum quia hoc dictamen nullo modo saltem proxime dependet a voluntate, quam ipsam dirigere debet, et bonam vel malam facit : atqui dictamen etiam probabilius aut probabilissimum, si non sit certum moraliter, non est irrefragabile ac necessarium, quia non est convincens, et prudenter adhuc negari potest ; ergo.

186. *Obj. I.* Juxta D. Thom. 2, 2, q. 70, a. 2, in actionibus humanis sufficit certitudo probabilis ; item damnata est ab Alex. VIII hæc prop. 3ª : *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam ;* ergo non requiritur dictamen moraliter certum.

R. — *D. C.* Non requiritur dictamen certum reflexum *N.* Directum *C.* Equidem judicium probabile, aut saltem probabilius et probabilissimum fundare potest judicium *reflexum* moraliter certum ; non tamen est, aut esse potest dictamen practicum ultimum, quia quisquis ex judicio tantum probabili aut probabiliore, aut probabilissimo etiam operatur, agit cum formidine peccati, seque exponit periculo *formaliter* peccandi. S. Thom. probabilitatem sumit latius, prout hæc opponitur demonstrationi, et nec ullibi majorem etiam probabilitatem, quæ sit conjuncta cum gravi formidine peccati, habet pro certitudine proprie dicta. Loco citato solum affirmat, ex testimonio duorum vel trium testium, qui sint omni exceptione majores, haberi posse in judice certitudinem probabilem, id est, judicium *speculativum*, quod accusatus sit reus criminis ; ultimum vero judicium et practicum de licita et justa talis rei condemnatione ad pœnam capitalem, quæ probationes requirit luce meridiana clariores, fundat in jure divino et humano, ex quo certum est, tali adversus reum testimonio stari posse.

Inst. 1. Juxta D. Thom. 1, 2, q. 10, a. 5, per accidens fieri potest, ut malum acquirat rationem boni propter apprehensionem rationis ; ergo nequidem requiritur judicium, minus practicum et certum.

R. — *D. A.* Per apprehensionem rationis qualemcumque *N.* Per apprehensionem suasivam, quæ sit judicium saltem virtuale, præstans omnia quæ præstat formale judicium *C.* Patet ex contextu et aliis textibus D. Thomæ,

quod per apprehensionem rationis intelligat actum rationis, qui honestatem vel licentiam actionis ita repræsentet, ut operans sine formidine, et saltem apparenter vere judicet, hanc actionem esse licitam : quod judicium *secundum quid* verum est, nempe quoad actionem hic et nunc licitam, quamvis simul erroneum sit circa actionem tanquam *per se* licitam.

Inst. 2. Si ad licite et honeste agendum requiritur dictamen conscientiæ, et quidem moraliter certum ; ergo *scrupulosus* non excusatur a peccato, et *perplexus* necessario peccat, quia neuter omnem in agendo formidinem excludit : hoc dici nequit ; ergo non requiritur dictamen certum, sed sufficit probabile aut probabilius.

R. — *N. M.* Non enim requiritur, ut excludatur omnis formido etiam imprudens, si modo prudens excludatur; cum formidine tantum imprudente potest stare et stat judicium moraliter certum : sed judicium etiam probabilius stat cum formidine prudente, quia licet mihi probabilius sit, hoc vel illud non esse peccatum; tamen si viri graves alii ex solidis rationibus dicant esse peccatum, habetur formido prudens, atque hæc deponi non potest per principia directa, sed deponi debet per principia certa reflexa. *Perplexitas,* si est vincibilis, potest ac debet deponi ; alias peccatur : si adhibita sufficienti diligentia vinci nequit, non peccatur, quidquid perplexus eligat, quia actio tum non est moralis ac libera. Si vero ita se resolvat : quamvis probabile sit, me ægroto assistentem peccare negligendo Sacrum, quia tamen probabilius judico me non peccare, assistam ægroto etiam neglecto Sacro, id neutiquam facturus, si oppositum judicarem probabilius : videtur excusari a peccato, quamvis agat cum formidine, eo quod servum prudentem se exhibeat, qui conatur meliori modo obedire, et placere Legislatori. Porro inter duo mala, quorum alterum cognoscit minus, alterum majus malum esse, eligere minus debet, ut, quantum potest, declinet a malo, cum saltem ad hanc electionem satis sit liber.

Inst. 3. Qui agit, quod ipsi spectatis omnibus circumstantiis videtur probabiliter vel probabilius licitum, agit prudenter, quia ex motivo gravi, et cum dictamine, quod per se ordinatur ad dirigendos actus voluntatis ; ergo non peccat, aut nonnisi materialiter, cum fere elidatur motivum probabile oppositum per motivum probabilius, ex quo agit.

R. — *D. A.* Agit prudenter, si non simul adsit formido prudens, vel si hæc deponatur per principia reflexa. *C.* Secus *N.* Imprudenter agit, qui se exponit periculo peccandi formaliter, ut facit is, qui non habet judicium certum. Dictamen probabilius, quamvis speculative, non vero semper practice prudens est, et quamvis remote, non tamen semper proxime ordinatur ad dirigendos actus voluntatis, quia non removet morale periculum peccandi : neque sicut dictamen reflexum *formalis peccati* formidinem excludit ; hinc quia sæpe falsa sunt probabiliora veris, et quia agens juxta dictamen etiam probabilius cognoscit, vere probabile esse, quod actio sua sit illicita, idque ex motivo etiam comparative ad probabiliora gravi, exponit se periculo peccandi, non tantum materialiter, sed et formaliter contemnendo ut scrupulum, quod est prudens formido; sic quippe reipsa tendit : quia judico hanc actionem non esse prohibitam, eam pono, tametsi cognoscam morale periculum peccandi, Deumque formaliter offendendi.

Inst. 4. Qui agit juxta dictamen probabile, judicat probabiliter, non dari

periculum peccandi; ergo licite agit, maxime cum nec debeamus, nec valeamus, omnes omnino peccandi occasiones in hac vita evitare, et saltem *per accidens* quandoque liceat, probabili periculo peccandi se exponere.

R. — *N. C.* Quia nunquam licet, ex tali judicio solum probabili sine dictamine reflexo et certo operari, cum periculum non tantum probabiliter, sed certo existat, operandi cum tali judicio in contemptum legis divinæ, et damnum animæ spirituale : nam probabilis quidem est peccati futuritio ex hoc periculo, peccati autem futuri periculum quoad sui existentiam certum est. Præterea et possumus, et debemus evitare omnem peccandi occasionem determinatam, ubi proxime ac in præsenti timetur peccatum ita, ut operanti non supersit aliud medium evadendi formale peccatum. Quanquam periculo nonnisi summa cum difficultate evitabili forsan *per accidens* se licet exponere, siquidem in eodem versanti alia sint media peccatum evitandi.

Inst. 5. Potest contingere, ut quis hic et nunc probabile judicium habeat, ex natura sua non excludens omne dubium prudens, et tamen nullum ei incidat dubium, neque etiam reflexe cogitet, se nullum habere dubium, aut judicium tantum probabile : atqui in hoc tamen casu prudenter quis operatur cum solo dictamine probabili; ergo talis non operatur cum dubio practico, nec ita paratus esse concipitur, ut, etiamsi actio esset inhonesta, tamen ageret.

R. Vel talis habet dictamen *adhæsive* certum : et ita vi suæ tendentiæ excludit dubium; vel non habet : et sic fieri non potest, ut, dum habet advertentiam ad regulam morum, et ad obligationem agendi juxta illam, non adsit reflexio saltem exercite, quod nullum adsit dubium : post quam reflexionem habebitur aliud dictamen reflexum *adhæsive* certum, et sic operatio dirigitur a dictamine moraliter certo. Quod si vero nihil ejusmodi fiat ab operante, non aget ex fide, et consequenter peccabit ex ignorantia vincibili.

Inst. 6. Constat ab experientia, non fieri a nobis ejusmodi reflexiones : nam rusticus audiens a Parocho, hoc esse licitum, id agit bona fide, quin reflexe faciat hoc dictamen : quod Parochus dicit esse licitum, evidenter mihi licet : atqui; ergo.

R. — *D. A.* Constat, non fieri a nobis reflexe et signate ejusmodi reflexiones, et ita ut discernamus *C.* Plane non fieri, nequidem exercite *N.* Ex modo enim operandi intellectus nostri colligitur, eas reipsa adesse; cum advertentia ad regulam morum non possit haberi sine omni reflexione, id quod probatur ab exemplo rustici : cur enim rusticus non agit bona fide, si idem audit a bubulco, quod a Parocho? Certe hic facit reflexionem illam ipsam, quam negas eum habere, quia habet motivum credendi magis Parocho, quam bubulco. Porro signum talium reflexionum est, quod rogatus de actione norit dare rationem desumptam ex ejusmodi reflexionibus, licet forte hanc non ita explicare possit, sicut vir doctus.

187. *Obj. II.* Ad evitandum periculum formalis peccati sat est, si præmissa morali diligentia eligam, quod mihi videtur honestum : sed præmissa morali etiam diligentia non semper mihi est certum, quod agam honeste; ergo non requiritur dictamen certum. *Conf.* Dictamen directum *probabile*, et

dictamen reflexum *certum* inter se pugnant, tum quia sunt circa idem objectum, circa quod simul stare nequit certitudo et actualis formido, tum quia reflexum certum deberet fundari in directo incerto; ergo.

R. — *D. M.* Non semper mihi est certum vi dictaminis directi et speculativi *C.* Reflexi, practici et ultimi N. Si vero præmiserim omnem diligentiam moralem, certitudo dictaminis saltem reflexi sequetur. *Ad Conf. N.* 1am. *Prob.* Nam dictamen directum objectum et actionem secundum se, dictamen reflexum considerat actionem, prout substat dictamini directo, et in his circumstantiis ponenda est, proin diverso modo : quod æque parum repugnat, ac mendacium in se illicitum esse licitum in circumstantiis ignorantiæ invincibilis. 2am. *Prob. D.* Dictamen reflexum deberet in directo fundari præsuppositive, quin suam inde certitudinem desumat *C.* Formaliter, tanquam in suo motivo *N.* Hoc enim est illud principium reflexum : *In moralibus certo licite operatur, qui ponit actionem, quam spectatis omnibus probabilius judicat esse licitam, cum certitudo physica aut metaphysica haberi nequeat : atqui spectatis omnibus ego judico hanc actionem probabilius esse licitam;* ubi cum dictamen directum nulla sit præmissarum, nec illius objectum aut veritas inibi affirmetur, veritas autem conclusionis dependeat a *præmissis;* patet non a dictamine directo, sed illo reflexo certo, velut a motivo formali et proximo haberi veritatem hujus conclusionis; ergo in praxi certo licite procedo.

Inst. 1. Qui tantum sequitur opinionem etiam probabilem, habet hoc judicium : *hoc opus non est peccatum,* sicut qui peccat, habet istud : *hoc opus est peccatum;* ergo qui tantum sequitur opinionem etiam probabilem, non peccat. *Conf.* Ad inhoneste operandum sufficit judicium probabile de inhonestate actionis; ergo ad honeste operandum sufficit judicium probabile de honestate actionis.

R. — *N. vel D. A.* Qui peccat, habet hoc judicium : *hoc opus est peccatum,* necessario directum *N.* Vel directum vel reflexum *Tr.* Quia ad peccandum sufficit, habere suspicionem vel dubium de peccato, cum talis actus jam non sit ex fide, et talis operans sciens ac volens, se manifesto exponat periculo violandi legem Dei hic et nunc obligantem, exercite ac æquivalenter ita se habens, ac si diceret : sive hæc actio sit hic et nunc illicita, sive non sit, eam nihilominus ponam. Jam vero cum hoc judicio reflexo, aut suspicione vel dubio de peccato potest stare aliud judicium probabile, quo dicitur : *hoc non est peccatum :* atque ita etiam cum judicio probabili peccatum, quia talis potest ac debet sibi formare hoc judicium reflexum : omnis actio elicita ex conscientia incerta de peccato, est peccatum; ergo.

Ad Conf. R. *Disp. est :* quia ad actum malum non requiritur, ut quis illud amplectatur ut tale, sed sufficit, si scienter amplectatur quod malum est, vel non agat ex motivo honestatis; unde etiam malum esse dicimus, operari cum dubio practico. Ad actum honestum requiritur, ut quis amplectatur honestum ut tale, sive agat ex motivo honestatis. Demum hic obtinet commune axioma : *bonum* ex integra causa, *malum* ex quolibet defectu.

Inst. 2. Medicus licite et prudenter agit, dando medicamenta saltem *dubia,* modo probabiliter speret effectum bonum; ergo etiam qui probabiliter tantum judicat, actionem esse honestam. *Conf.* Qui in rebus *politicis* agit juxta probabiliorem, quamvis cum actuali formidine alicujus damni, licite et pru-

denter agit; ergo et in *moralibus* licite operatur, qui agit quod est probabilius licitum, quamvis cum probabili periculo peccandi.

R. — *D. A.* Si probabiliter simul timet, ne medicamenta noceant *N.* Si certus est, quod non sint nocitura, et tantum probabile est, quod sint habitura bonum effectum, licite saltem agit in casibus desperatis, ubi deficiunt certo efficacia *C. Ad Conf.*

R. — *Tr. A.* Quia si damnum illud temporale in actionibus *politicis* tam facile evitari possit, quam facile iliud periculum peccandi in *moralibus* ordinarie evitatur per dictamen reflexum, nemo prudens illi se exponet. *N. C.* Quia damnum spirituale, quod incurritur in *secundo* casu, multum præponderat cuicumque lucro temporali; lucrum vero, quod speratur in *primo* casu, censetur majus periculo damni, quod timetur, v. g. a belli duce, quem spes victoriæ probabilior invitat ad conflictum.

Inst. 3. Etiam dictamini reflexo subesse potest formido, periculum peccandi, quin et inhonestas, siquidem operans ex illo sic tendat : quamvis hæc actio absolute possit esse prohibita, eam tamen ponam; ergo vel neque hoc, vel etiam probabile aut probabilius sufficit.

R. — *D. A.* Subesse potest formido, sed imprudens; periculum, sed valde remotum, nec moraliter suspicabile; inhonestas, sed mere materialis, nec ullo modo cognita. *C.* Formido prudens, periculum morale et proximum, inhonestas formalis. *N.* Levis timor aut periculum valde remotum a prudentibus merito negliguntur, cum sint circa meram et absolutam possibilitatem. Dein operans ex dictamine moraliter certo ita tendit : quamvis hæc actio absolute possit esse illicita; quia tamen nec suspicari, nec timere prudenter possum periculum *formaliter* peccandi, licite in his circumstantiis eam pono; sic autem nec legem contemnit, nec in peccatum consentit.

188. *Obj. III.* Homo non potest esse certus, quod etiam in judicio reflexo procedat *sine passione;* ergo non potest habere judicium moraliter certum.

R. — *N. A.* Quia experimentaliter scire potest, quod bona fide procedat, et advertere passionem; ea autem præsente vel aderit etiam dictamen jubens differre electionem, vel si illud non adsit ob levitatem passionis, advertet se posse procedere : aut si non adsit ob vehementiam passionis, non aderit sufficiens deliberatio et advertentia ad regulam morum.

Inst. 1. Si haberi potest ac debet judicium certum de honestate nostrarum actionum; ergo certi erimus, nos non peccare operando, ac proin etiam certi de *statu gratiæ* : sed hoc adversatur Scripturæ et Trid.; ergo *Conf.* Ad *valide* absolvendum sufficit in Confessario judicium probabile de sufficienti dispositione pœnitentis; ergo etiam *ad licite* operandum, judicium probabile de honestate actionis.

R. 1. *D. seq.* Certi essemus certitudine dictaminis. *C.* Certitudine actus distincti et reflectentis ad operationem positam, utpote qui non semper adest. *N.*

R. 2. *N. seq.* Tum quia de gratia prima certi non sumus, tum quia aliquando lapsi nescimus an *gratiæ* restituti simus, tum quia homo, quin advertat, sæpe peccat ex temeritate et vincibili ignorantia, etc. Cæterum sæpe etiam haberi potest certitudo moralis de operationibus recte factis, cui non obstat Conc. Trid. quod sess. 6, cap. 9 solum ait : *Cum nullus scire valeat cer-*

titudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei *esse consecutum.* Nec obstat Scriptura, quæ Eccles. 9, 1 ait : *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit,* tum quia hic rationem hanc v. 2 addit : *eo quod universa æque eveniant justo et impio,* scilicet bona et mala præsentis vitæ, ex quibus quidem id intelligere nequit, licet id scire posset ex conscientia sua; tum quia etiam ex conscientia sua id scire non potest quoad actus supernaturales, et quoad amorem vel odium finale. Tandem formido etiam moralis de gratia sanctificante nihil periculi, nihil nocumenti, nihil peccati inducit, sed potius cautiorem reddit hominem.

Ad Conf. R. 1° Non sufficit in Confessario ad *licite* absolvendum judicium probabile, sed requiritur moraliter certum de licentia absolvendi pœnitentem probabiliter rite dispositum; ergo. 2° Christus ita instituit Sacramentum Pœnitentiæ, ut ejus administratio non esset difficillima; ac proin omnibus spectatis melius est, sacramentalem absolutionem aliquando esse nullam, quam fere nunquam practicabilem. Formido autem actualis et periculum peccandi ordinarie evitari facile potest.

Inst. 2. Dictamen conscientiæ moraliter certum potest habere annexam formidinem saltem imprudentem; ergo non hoc sufficit, quia Canones etiam hujus exclusionem exigunt : nam C. *Inquisitioni tuæ 44 de sent. Excom.* dicitur : quod conjux habens conscientiam ex credulitate levi ac temeraria de impedimento dirimente possit exigere debitum, si tamen ad Pastoris sui consilium, vel aliter explodat levem illam et temerariam credulitatem : et C. *per tuas 35 de Simon.* dicitur, Subdiaconum non debere contra conscientiam ad Ordines superiores ascendere, licet ob conscientiam nimis scrupulosam in difficultatem hujusmodi sit lapsus, quam utique non evadet, nisi deponat errorem.

R. — *N. A. et Prob.* Quia credulitas et scrupulus in cit. cap. non sumitur, ut communiter solet, pro simplici tantum apprehensione vel suspicione et levi ratione, pro superveniente judicio erroneo, quo quis absolute ex principiis falsis, quamvis levibus, judicat adesse peccatum, ubi non est; quod constat ex primo cap. in quo conjux dicitur *credere,* h. e. positive judicare : et ex secundo, in quo dicitur, non agendum contra conscientiam, h. e. contra judicium erroneum, et postea vocatur *error.* Jam vero judicium erroneum utique deponi ac explodi debet, quia alioquin ageretur contra conscientiam, et peccaretur.

CAPUT IV.

DE CONSCIENTIA.

ARTICULUS I.

DE CONSCIENTIA ERRONEA, DUBIA, SCRUPULOSA.

§ I.

De Conscientia Erronea.

189. *Nota.* Tametsi error et ignorantia sæpe inter se confundantur; reipsa tamen distinguntur : *ignorantia* enim est simplex nescientia veri vel falsi, *error* autem est assensus mentis, falsum pro vero, vel verum pro falso approbantis. Error *formalis* est assensus mentis scienter verum pro falso, vel falsum pro vero approbantis : *materialis* est talis assensus mentis nescienter approbantis; inde patet, postremum in ignorantia fundari. Atque hinc etiam pro ratione ignorantiæ dividitur error in *vincibilem* et *invincibilem*, de quo supra. Porro si dictamen conscientiæ contineat tamen errorem, vel deducatur ex ejusmodi errore, vocatur *Conscientia erronea.* Certum autem est, non licere sequi conscientiam formaliter erroneam, cum S. Cypr. apud S. Antonin., p. 1. Summæ, Tit. 10, c. 1 dicat : *Qui post veritatem manifestam perseverat prudens et sciens, in errore scilicet de aliqua materia, jam non in venia ignorantiæ, peccat : præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum a ratione superatur.* Unde quæstio duntaxat est de errore materiali, sive conscientia vel vincibiliter, vel invincibiliter erronea; de utraque paucis hic resolvendum : plura sumes ex dictis num. 76 et seqq., ubi de ignorantia : item num. 163, ubi de lege Dei antecedente et consequente.

190. *Dico I.* **Agere positive tum contra, tum juxta conscientiam vincibiliter erroneam, peccatum est.**

Prob. 1^um^. Omnis transgressio voluntaria legis reipsa existentis est peccaminosa : sed agere juxta conscientiam vincibiliter erroneam, est voluntarie transgredi legem reipsa existentem, quia conscientia talis est, cujus error moraliter vitari potuit vel debuit; cum advertatur aliquo modo periculum errandi, et agnoscatur obligatio melius inquirendi : si autem moraliter vitari potuit, est *in se* voluntarius; si debuit, est voluntarius *in causa*, h. e. in negligentia inquirendi veritatem; ergo. *Prob.* 2. Qui non agit *ex fide*, peccat : qui agit contra conscientiam, non agit *ex fide*, atque etiam vellet id, quod

judicat esse malum; ergo peccat. Itaque deponi debet talis conscientia, inquirendo in rei veritatem, et formando dictamen certum, quod supponitur fieri posse in errore et ignorantia invincibili : vel dictamen ejusmodi debet resolvi in dubium practicum, de quo in seq. §. An et quomodo, dum urgente necessitate operandi non potest tam cito deponi hæc ignorantia, ea fiat subinde invincibilis, vide num. 86.

191. *Dico II.* **Agere juxta conscientiam invincibiliter erroneam, licitum : agere contra illam, semper est peccatum.**

Prob. Lex æterna Dei obligat et permittit actionem, non præcise secundum rationem boni et mali, quæ est in objecto secundum se et reipsa, sed quæ apparet in intellectu agentis; ergo si intellectus proponit invincibiliter etiam ut bonum vel licitum, quod tamen reipsa est malum, voluntas hoc dictamen sequendo, non potest peccare, quia sic agere non potest contra prohibitionem, quam nullo modo cognoscit : et tenetur eligere ac sequi, quia alias agit contra obligationem legis quam cognoscit, et saltem æquivalenter contemnit legem. *Conf.* Qui exercet operationem quoad se bonam, putans eam esse malam, vult æque malitiam interpretative, ac si illa operatio reipsa esset mala, quia ejus voluntas æque fertur in objectum, ac si malum esset; ergo et æque formaliter peccat, ac is, qui operatur contra conscientiam rectam sive veram. Dixi : *semper est peccatum;* non tamen incurrit eadem pœnas eidem peccato jure humano annexas, quia legislator humanus non judicat de internis, nec pœnas imponit, nisi transgressoribus veræ legis.

Sit ais 1° Conscientia invincibiliter erronea non est certa; 2° Non obligat, nisi in quantum est intimatio legis æternæ; sed huic contraria est; 3° Oportet Deo magis obedire, quam conscientiæ erroneæ, maxime cum hæc præcipit, quod Deus prohibet; 4° Lex inferioris non potest obligare contra legem Dei superioris, docente *D.* Thoma 1, 2, q. 19, a. 4 quod, ubi deficit humana ratio, ad rationem æternam sit recurrendum; ergo.

R. *Ad* 1. *D.* Non est certa tum speculative, tum practice *C.* non est certa practice *N.* Conscientia tum speculative tum practice certa est, quæ deducitur ex principiis omnibus veris : practice certa est, quæ deducitur ex principio quidem directo speculative falso, sed reflexe vero; ejusmodi sunt : non est agendum contra judicium rationis sive conscientiam : licitum est, quod consideratis omnibus licitum invincibiliter existimo, etc.

Ad 2. *D.* In quantum est intimatio legis æternæ vel antecedentis et per se obligantis, vel consequentis et per accidens obligantis. *C.* Semper antecedentis, primariæ et per se obligantis *N.* Lex consequens non dicit simpliciter; v. g. mentire, sed obedi dictamini post moralem diligentiam elicito, quamvis dictet, sed invincibiliter, mentiendum esse; voluit quippe Deus, qui *signavit super nos lumen vultus sui,* ut immediate dirigeremur a ratione nostra naturali.

Ad 3. *D.* Oportet Deo magis obedire, si lex divina et error conscientiæ nobis constet *C.* Si non constet *N.* Lex Dei est solum mediata et externa regula; unde nonnisi, quando et quatenus conscientia dictat Deo obediendum esse, homo obedire Deo potest.

Ad 4. *D.* Non obligat contra legem superioris cognitam *C.* Invincibiliter ignoratam *Subd.* Non obligat per se *C.* Per accidens, præsertim si superior

posuerit legem, ut sua lege non cognita observetur lex inferioris *N.* Hinc argumentum invertitur : si Proconsul v. g. jubeat oppositum ejus, quod jussit Imperator, et dicat jussionem suam esse Imperatoris, idque a subditis credatur, hi utique tenentur parere jussioni Proconsulis; ergo a pari.

Si ais 2°. Sequeretur : 1° posse hominem ex conscientia invincibiliter erronea existimare sibi licitum esse mendacium, quamvis sciat lege divina et naturali prohibitum, adeoque licere etiam agere contra legem Dei cognitam : 2° Amorem Dei super omnia posse esse peccatum, si quis ex invincibili errore id judicaret : 3° Deum posse esse auctorem vel falsi vel mali moralis, sicut conscientiæ erroneæ.

R. — *N. seq.* Nam *Ad* 1. *R. D.* Licere etiam agere contra legem Dei cognitam, quam simul existimat in hoc casu obligare *N.* Quam tunc invincibiliter existimat non obligare, et sic licere agere contra legem non formaliter talem *C.*

Ad 2. 1° *N. Supp.* Implicat enim diligere Deum super omnia perfecte contra dictamen conscientiæ erroneæ dictantis esse peccatum, hic et nunc diligere Deum, quia in hoc involvitur velle efficaciter non peccare, et simul velle peccare. 2° *Tr. seq.* Si ponas, licet absurde, casum de amore Dei limitato, nec se extendente ad observationem omnis præcepti; sed inde tam parum contra nos absurdum evinces, quam parum absurdum est, alium actum de objecto et substantia bonum, sed ratione alicujus circumstantiæ moralis apprehensum erronee ut malum, et tamen commissum esse peccatum formale.

Ad 3. *R.* — *N. supp.* Quod Deus sit causa vel origo erroris aut conscientiæ erroneæ; sed hujus origo est vel infirmitas et conditio nostræ naturæ, vel aliorum perversitas et seductio, per quos etiam absque culpa nostra in errorem induci possumus; ex hoc tamen non sequitur, ejusmodi conscientiam non posse esse regulam actionum nostrarum, quia licet ea non sit conformis legi æternæ *primariæ,* absolutæ et per se obliganti, est tamen conformis *secundariæ,* hypotheticæ et per accidens obliganti.

Si ais 3°. Argumentando a pari : 1° Deus non potest mediante habitu fidei hominem obligare ad mendacium; ergo nec mediante conscientia erronea. 2° Sicut se habet intellectus ad verum, ita voluntas ad bonum; ergo sicut intellectus non potest perfici per aliquid reipsa falsum, ita nec voluntas per aliquid reipsa malum. 3° Conclusio deducta ex una præmissa quæ est de fide, et altera falsa, non est de fide, nec obligat ad credendum; ergo etiam conclusio ex una præmissa per synderesin cognita, et altera falsa, qualis est in conscientia erronea, non potest esse regula morum, nec obligat.

R. *Ad* 1. — *Disp. est.* Habitus fidei est effectus *per se* respectu Dei; ergo si eo mediante Deus inclinaret ad mendacium, Deus esset causa *per se* mendacii; Deus vero non est causa conscientiæ erroneæ, nec obligat ad mendacium, nisi supposita jam conscientia erronea, quæ deponi nequit, ergo tantum *per accidens* movet ad mendacium, et quidem invincibiliter existimatum ut bonum.

Ad 2. — *N. Sup. C.* Quia intellectum etiam perfici posse per aliquid reipsa falsum, patet ex eo, quod per probabile vel probabilius motivum prudens vel prudentius perficiatur, licet forsan reipsa sit de falso. Unde licet error imprudens sit positiva imperfectio intellectus, tamen error invincibilis non est talis imperfectio, sed tantum *secundum quid,* quia ubi intellectus

non potest assequi veritatem objectivam, sat est, si habeat veritatem subjectivam.

Ad 3. *Disp. est.* Actus fidei est summe verus non tantum adhæsive et subjective, sed etiam objective et realiter; unde si non innitatur revelationi veræ, esse non potest : quamvis possit obligare ad credendum, si invincibiliter appareat actus fidei; quod non intellectum, sed voluntatem spectat. At regula morum non est veritas secundum seipsam, sed prout ab intellectu cognita; ergo cum præmissa falsa invincibiliter habeatur vera, conclusio inde deducta potest esse adhæsive certa, et sic dirigere voluntatem.

Si ais 4°. Qui putat invincibiliter se esse sacerdotem, qualis reipsa non est, non ideo fit sacerdos, aut valide administrat Sacramenta; ergo a pari. Item, qui occidit laicum, quem putat esse clericum, non incurrit excommunicationem; ergo nec talis peccat contra religionem.

R. *Ad* 1. *Disp. est.* Error invincibilis non dat characterem ac potestatem, et sic supplere non potest impedimentum juris divini; conscientia vero erronea potest facere, ut quis non velit malitiam objecti, sed bonitatem, licet tantum apparentem, sed invincibiliter; ergo potest facere operationem rectam.

Ad 2. *Disp. est.* Lex non posuit excommunicationem, nisi in ipsum factum : qui vero putat se agere contra religionem, et tamen agit; quamvis reipsa non violet religionem, tamen ejusdem violatæ se reum facit, quia libere intendit eam violare.

§ II. *De Conscientia Dubia.*

192. *Nota I.* Dubium a nonnullis accipitur pro omni judicio incerto : secundum quam acceptionem opinio etiam sive sententia probabilis vocatur *dubia*, sed improprie ac latissime, tum quia dubium ex ipsa rei natura dicit suspensionem judicii, tum quia opinio stare potest absque dubio et formidine ulla actuali. Etsi vero ex eodem capite sequatur, conscientiam dubiam proprie non esse conscientiam, tamen quia constat, cum dubio nonnunquam agi moraliter, et conscientiam etiam extrinsece dubiam haberi, de ea quædam hic adjicienda sunt. Est autem dubium proprie sumptum, hæsitatio seu suspensio voluntaria assensus et dissensus ob defectum vel insufficientiam rationum, quibus determinetur ad alterutram partem contradictionis; ita communis.

Dividitur 1° in *positivum*, ubi motiva occurrunt pro utraque, vel saltem pro alterutra parte : et in *negativum*, ubi nulla occurrunt motiva pro alterutra parte; hoc tamen aliqui rejiciunt, utpote meram nescientiam. 2° In *probabile*, seu morale, quod est dignum viro prudente, quia rationabile fundamentum habet dubitandi : et in *improbabile*, quod est imprudens, quia sine sufficiente fundamento dubitandi; dicitur etiam metaphysicum, estque magis nescientia vel anxietas v. g. in scrupulosis. 3° In *dubium juris*, quo dubitatur de aliqua lege, vel obligatione legis aut consuetudinis, vel de valore actus : et in *dubium facti*, quo dubitatur circa factum aliquod, v. g. an homicidium sit commissum, an habueris operando rectam intentionem, etc. 4° In *speculativum*, quod versatur circa rem secundum se spectatam, præscindendo a circumstantiis et ab operatione exercenda, ut si dubites, an sit

hodie dies festus : et in *practicum*, quod versatur circa rem affectam circumstantiis et in praxi exercendam ; atque hoc dividi potest in *remote* seu *speculative* practicum, quando scilicet generatim dubitatur, v. g. an liceat die festo talem laborem exercere : et in *proxime* seu *practice* practicum, quando in particulari et consideratis omnibus circumstantiis dubitatur, v. g. an hic et nunc die festo possim talem laborem exercere.

193. *Nota II.* Dubium a plurimis, sicut et ignorantia, dividitur in *vincibile* et *invincibile*, quorum primum adhibita morali diligentia solvi, deponi et in sententiam certam mutari potest, alterum non potest. Spectat autem hæc divisio præcipue ad dubium *speculativum*, de quo observanda est hallucinatio cujusdam Recentioris qui dubium etiam speculativum invincibile statuit esse non posse sine dubio practico sibi correspondente, et hinc dicit eum, qui invincibiliter dubitat, utrum aliqua lege prohibitum sit pingere die festo, an non, non posse non dubitare, utrum actio pingendi hoc die festo sibi licita sit, an non ; asserti hujus falsitas vel ex uno hoc syllogismo cognosci potest : Quod invincibiliter ignoro esse prohibitum die festo, illud die festo est licitum : atqui invincibiliter dubitans, an pingere die festo sit prohibitum, an non, invincibiliter ignorat pingere esse prohibitum die festo ; ergo invincibiliter dubitanti, an sit prohibitum die festo pingere, licitum est pingere die festo ; verum de hoc dubio alibi plura.

194. *Dico I.* **Operari cum conscientia practice dubia, uti et in dubio speculativo eligere partem minus tutam, est peccatum.**

Prob. 1um. Dubitans practice de honestate actionis et tamen agens, non agit *ex fide*, et est interpretative ita constitutus, ut sive licitum sit, sive non, tamen velit agere : sed hic affectus est manifeste inhonestus, ac virtualis contemptus legis divinæ ; ergo. *Conf.* Qui se committit morali periculo peccandi, peccat : atqui hoc facit operans cum dubio practico ; ergo peccat : et quidem peccato gravi, si dubitetur an sit peccatum grave ; ita communissima.

Prob. 2um. Qui partem minus tutam eligit sine prudenti persuasione quod illam licite eligat, peccat, quia non agit *ex fide* : atqui talis eligeret minus tutam sine prudenti persuasione, quod ea licita sit, quia cum posset et teneretur dubium deponere, non adhibet moralem diligentiam, ut sibi vere et non falso persuadeat, licitam esse partem minus tutam ; ergo. *Conf.* a paritate cum errore vincibili.

195. *Dico II.* **In utroque casu ne quis peccet, vel debet actum suspendere donec re bene examinata dubium deponat, ac practice vel ex directis vel ex reflexis principiis certus reddatur : vel si illud non deponat, aut dubium practicum deponi nequeat, debet sequi partem tutiorem, h. e. eligere id, quod est tutius.**

Prob. 1um ut supra :

Prob. 2um ex doctrina SS. Patrum et Pontificum, item ex vulgato axiomate desumpto ex Cap. *ad Audient.* 12 de homicid. aliisque textibus juris : *in dubio tutior pars est eligenda.* Dixi, *dubium practicum* : si enim dubium speculativum vinci nequeat, eo etiam stante possumus operari : neque semper debemus tutiorem partem sequi.

Si ais 1° Opus, quod non elicitur ex mala fide, negative est ex bona fide : sed opus sub practico dubio honestatis et malitiæ elicitum, non est ex mala fide, quia sicut est sine judicio dictante : esse licitum, sic est sine dictamine : esse illicitum ; ergo : atqui quod non est ex mala fide, non est peccatum ; ergo. 2° Ad operandum sine peccato, sive ex bona fide, sufficit ut operans nesciat illud esse peccatum; non autem necesse est, ut sciat non esse peccatum : sed qui est dubius de bonitate et malitia actionis, non scit operationem esse malam, cum nullum in utramque partem habeatur judicium ; ergo. 3° Nesciens opus esse illicitum, nequit peccare, quia nihil volitum, quin præcognitum : atqui habens conscientiam dubiam nescit opus esse illicitum, cum de utraque contradictionis parte suspendat judicium ; ergo.

R. *Ad* 1. *N. min. subs.* Tum quia ad non peccandum requiritur bona fides positive, cum ad peccandum sufficiat, ut actio fiat sine bona fide, sive judicio dictante, illam esse licitam, ut ait Glossa ordinaria in textum Pauli, *quod non est ex fide, peccatum est :* tum quia tale opus saltem interpretative ex mala fide dici potest.

Ad 2. *N. M.* Necesse enim est, ut operans habeat judicium directum vel reflexum, quo judicet opus non esse illicitum : alias non agit *ex fide;* ejusmodi autem judicium in nullo dubitante supponitur.

Ad 3. *D. M.* Nesciens opus esse illicitum tum directe, tum reflexe, nequit peccare *C.* Nesciens directe tantum *N.* Etsi quis directe nesciat opus esse illicitum, reflexe tamen scit, quod opus elicitum sub dubio de peccato sit peccatum : quia etiam ex Apost. et omnibus TT. evidens est, quod homo operans sine bona fide peccet, quamvis dubitans judicium directum de peccato vel non peccato operis suspendat, nequit tamen suspendere judicium illud reflexum.

Si ais 2°. Sine conscientia peccati non est peccatum : sed conscientia dubia de peccato non est conscientia peccati ; ergo cum conscientia dubia non est peccatum. Item : vel licitum est operari cum conscientia dubia de peccato, vel non ; si prius : habetur intentum ; si posterius : etiam non licebit operari cum conscientia probabili, utpote quæ fundat dubium.

R. *Ad* 1. *D. M.* Sine conscientia peccati vel certa vel dubia non est peccatum *Tr.* Sine conscientia certa tantum *N.* Vel *Subd.* Sine conscientia reflexa *C.* Directa *N.* Qui habet conscientiam *dubiam,* non quidem habet conscientiam peccati, si operatio *directe,* sive secundum se objective sumatur, quia dubitat an sit peccatum ; habet tamen conscientiam peccati, si operatio *reflexe* et ut conjuncta cum tali dubio consideretur, quia evidenter constat, quod operari cum dubio sit formaliter illicitum, cum, quod non est *ex fide,* peccatum sit.

Ad. 2. Responsionem vide infra.

196. *Observa I.* Ludov. Habert., c. 2 de Consc., q. 3 ait : *Divisio hæc (conscientiæ in dubiam speculative simul et practice, et in dubiam speculative tantum, practice vero certam) non est simpliciter et absolute vera : cum enim conscientia ex dictis sit practica conclusio, non potest esse certa, nisi deducatur ex præmissis certis ; ex incerto quippe principio non potest certa sequi conclusio. Itaque ut sit practice certa stante aliquo dubio speculativo, necesse est, ut concurrat certa aliqua ratio ex circumstantiis desumpta, ex qua eliciatur conclusio, seu conscientia practice certa.* Verum hic discursus qualis-

cumque est bonus, siquidem per τὸ *ratio certa ex circumstantiis desumpta*, intelligat judicium aliquod reflexum tantum fundari in circumstantiis; sed non probat assertum, quod divisio hæc non sit simpliciter et absolute vera : tum quia hoc ex discursu illo non colligitur, tum quia eumdem discursum ipsi adhibemus ad usum hujus divisionis docendum.

Ibidem ait : *In praxi periculosum est, simpliciter et absolute statuere, conscientiam posse esse practice certam simul et speculative dubiam, quia facile quis in quolibet dubio ad nutum voluntatis conscientiam sibi formaret, omnes dubitandi rationes ablegaret, certumque se in operatione crederet eo ipso quod vellet esse certus.* Hic autem discursus imprimis fallit, quia ex eo quod statuatur, aliquam conscientiam posse esse practice certam et speculative dubiam, male infertur quod quis 1° facile, 2° in omni dubio, 3° ad nutum voluntatis sibi formaret conscientiam, etc. Deinde est nullus, quia probat nimium; cum hinc etiam in praxi periculosum esset statuere, quod ignorantia invincibilis excuset a peccato, quod liceat agere contra conscientiam scrupulosam speculative non depositam, aliaque de conscientia perplexa, quia exinde quis posset similia deducere. Demum videtur sophisticus, quia ex abusu contra legitimum conclusionis usum procedit.

197. *Observa II.* Alius quidam Recentior contra eamdem sic arguit : hæc divisio est nuper excogitata; ergo rejicienda. Sed falsum est *antecedens* : divisio enim non potest dici nuper excogitata, quæ fere jam per duo secula usurpatur, et ab utroque Jure tanquam certa et nota supponitur : vide reg. 30 de Reg. J. in 6. Item 56 ff. de Reg. J. Ad hæc falsa est *consequentia* : quamvis enim divisio aliqua vel explicandi ratio temere non sit inducenda; tamen ex eo præcise, quod recens inventa sit formula loquendi, non esse universaliter rejiciendam probant exempla in omni materia, e. g. in materia *fidei* divisio operationis Christi in divinam et humanam : in materia *juris* et *Religionis* distinctio voti Religiosorum in solemne et simplex : in materia *morum* et *Sacramentorum*, quamvis Baius varias distinctiones DD. diceret novas, commentitias atque explodendas, tamen male ab eo rejectas esse, constat ex damnatione 61, 62, 63, 64 propp. Baii.

§ III.

De Conscientia Scrupulosa.

198. *Nota.* Scrupulus est formido peccati, inani ratione nixa; hæc, si est mera apprehensio peccati, dicitur scrupulus proprie talis, de quo hic sermo est; si vero judicium est ex levibus rationibus, aut dubium practicum, non tam est scrupulus, quam conscientia dubia aut erronea, de qua dictum hactenus. *Scrupulosus* dicitur, qui scrupulis frequenter vexatur. Alii sunt scrupulosi in una solum materia, e. g. in recitatione Breviarii, in aliis sæpe laxi : alii fere per omnia scrupulosi sunt. Sunt vero *causæ* scrupulorum partim *intrinsecæ*, ut melancholia, imbecillitas capitis et defectus judicii, ingenii perspicacia, sed in homine timido, frequens mutatio et pertinacia judicii, partim *extrinsecæ*, uti commercium cum scrupulosis, lectio casuum conscientiæ

absque capacitate discernendi, tentatio diaboli, Deus ipse ad fines optimos permittens scrupulis hominem exagitari. Sed de his agit prolixius Theologia moralis; hinc brevissime non nisi necessaria hoc loco explananda.

199. *Dico.* **Licet ac oportet etiam agere contra scrupulos.**

Prob. 1um. Scrupulus non est judicium, sed inanis apprehensio; ergo stare potest cum judicio practico de honestate actionis, quamvis per anxietatem obscurato : si vero, ut fieri solet, ob perplexitatem talis se resolvere non possit, deficiente libertate non peccabit, quidquid egerit.

Prob. 2um. Qui scrupulos sequitur, imprudenter ac inordinate agit, corpus et animam exponit gravibus incommodis, ineptum se reddit ad officia Deo ac proximo rite præstanda, ab apprehensionibus facile deducitur ad judicia, ab his ad peccatum; ergo positive agendum contra scrupulos, attamen sine signis externis, agitatione capitis, excreatione, aliove simili indecoro.

200. *Observa I.* Confessarius scrupulosi 1° accurate cognoscat, an et in qua materia pœnitens sit scrupulosus. 2° Inquirat in causas, easque tollat, præscribat media, et sollicite moneat, ut scrupulos contemnat pœnitens. 3° Jubeat eum abstinere a repetitione confessionum, nec aures præbeat, nisi velit omnino se submittere. 4° Si vero multorum graviumque criminum reus, nulla antehac confessione generali fuerit expiatus, ejusmodi confessione concessa et peracta, ubi videbitur satis purgatus, nec repetere, imo nec recogitare priora peccata permittatur. 5° Non parcat Confessarius increpationi, coarguendo scrupulosi superbiam, si pertinaciter insistat suis dubiis et anxietatibus. 6° Non sinat quævis dubia sibi proponi, sed advertens, quod meræ ac inanes identidem apprehensiones sint exponendæ, jubeat his non auditis adire S. Synaxin. 7° Resolvat paucis dubia sibi proposita, quin resolutionis suæ causam alleget, ne scrupulosus vel minus fidat Confessario, vel novam scrupulorum ansam sumat. 8° Dubia vero in partem benigniorem interpretetur, urgeatque serium propositum, Deum non offendendi deliberate, quo facto bona fide postmodum procedat. 9° Suadeat, ut ad aliorum bene moratorum vitam attendat, eamque pro regula habeat, etc.

201. *Observa II.* Scrupulosus 1° non discurrat ab uno confessario ad alium, sed stabilem habeat, cujus directioni se totum committat : 2° Nihil sibi conscientiæ ducat, nisi quod certo scit esse peccatum. 3° Recogitet, tentationem sine libero consensu non esse peccatum, licere sequi opiniones probabiles, Deum non præcipere impossibilia aut nimis ardua. 4° Si quando dubium aut timorem non statim possit deponere, pergat bona fide, et ne unquam propter scrupulos negligat usum divinorum mysteriorum, seque privet gratia sacramentali. 5° Fugiat otium, mentem alio avertat, et contemnendo potius, quam positive resistendo expellat inanes scrupulos. 6° Demum oratio fervens, fiducia in Deum, sui humiliatio sint ipsi arma et media præcipua, queis dæmonum repellat, et a Patre luminum ac Deo totius consolationis auctore, pacem et tranquillitatem animi impetret.

ARTICULUS II.

DE CONSCIENTIA RIGIDIORE, TUTIORE, PROBABILIORE, PROBABILI ET LAXA GENERATIM.

202. *Nota I.* Quæstio hæc de CONSCIENTIA sententiarum diversitate æque ac contentione animorum hodie celeberrima et prope formidabilis est. Itaque ut inoffenso pede in eadem versetur Theologus, nihil præsumat condemnare nisi quod damnat Ecclesia; circa id vero quod tolerat Ecclesia, ab omni censura et ipse abstineat ubique memor mutuæ charitatis, venerationis ac debitæ moderationis, quæ prima dos est Theologiæ Christianæ, vinculum et character maxime personarum DEO sacrarum; idque juxta præscriptum INNOC. XI qui ad calcem Decreti sui, in quo an. 1679, 2 Martii edito complures opiniones sinistras huic nostræ quæstioni affines damnat, ita loquitur : *Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, et ut paci et charitati consulatur, idem* SANCTISSIMUS *in virtute S. obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus et Prædicationibus, caveant ab omni censura et nota, nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter* CATHOLICOS *hinc inde controvertuntur, donec a* S. SEDE *re cognita super iisdem propositionibus judicium feratur.* Idipsum opinor a nobis hic præstitum iri, ubi sententiæ probabilis ac probabilioris momenta utrinque ponderabimus : *Tutiorismum*, absque censura tamen, impugnabimus : *Rigorismum* vero et *Laxismum* damnatum utrumque ab Ecclesia condemnabimus.

203. *Nota II.* Est autem præsens quæstio ejusmodi : *Quid fieri debeat, et quid liceat in casu legis dubiæ de cujus existentia vel non existentia nulla habetur certitudo?* ubi 1. sermo non est de dictamine conscientiæ reflexo, quod juxta omnes esse debet moraliter certum; sed de directo, in quo se fundat dictamen practicum. 2. Agitur hic solummodo de *honestate* et *inhonestate* actionis an sit præcepta a lege, ita ut fieri debeat; an prohibita ita ut debeat omitti; an permissa ita ut sit licita : neutiquam autem de valore v. g. Sacramentorum, aut de damno tertii, de obligatione judicis, de usu medicamentorum, etc. 3. Agitur de sententia *vere* probabili, quæ nititur motivo absolute et respective gravi : *simpliciter* probabili, h. e. tam intrinsece quam extrinsece probabili : *certo* probabili, qualem esse affirmant multi DD., quamvis aliqui negent, qui non de probabilitate, sed de veritate sententiæ id enuntiant : *solide* probabili, quæ argumenta opposita probabiliter solvit : *practice* probabili, quia speculativa probabilitas hausta ex principiis generalibus, et a circumstantiis omnibus præscindens non sufficit; ac demum ita probabili, ut ei non opponatur *certitudo* sententiæ contrariæ. 4. Si lex est dubia, sententia affirmans, legem existere, dicitur *favere legi* : sententia opposita, quæ asserit legem speculative dubiam practice nullam esse, dicitur *favere libertati.* Clarius in suas classes hoc modo discernuntur sententiæ.

204. I. RIGORISTÆ seu TUTIORISTÆ rigidi ita contendunt : Si pro opinione favente libertati non militat motivum *moraliter certum*, illam quamvis inter

probabiles probabilissimam sequi non licet; sed tenemur sequi oppositam faventem legi. Ita ARNALDUS, GERBERONIUS, QUESNELLUS, SINNICHIUS, aliique JANSENIANI; verum hæc doctrina ab ALEX. VIII damnata est in prop. 3ª; *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

205. II. TUTIORISTÆ, qui dicuntur mitigati et Catholici, tenent non licere sententiam sequi incertam faventem libertati, nisi illa sit *probabilissima,* vel unice probabilis, ita ut tollat omnes rationes sententiæ oppositæ faventis legi. Tales sunt præprimis GALLI plures post editam a CLERO GALLICANO in Comitiis an. 1700 habitis declarationem, ubi de opinionum probabilium usu duæ regulæ statutæ fuerunt: 1ª ut in dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id, quod tutius, seu quod est eo in casu unice tutum: 2ª ut circa probabiles de Christiana doctrina sententias sequamur opinionem probabiliorem, et dictis Sanctorum ac DD. modernorum Theologiæ magis consonam et concordem. Ex hac postrema deducunt sequentia: 1º ut in rebus Theologicis ad fidei et morum dogmata spectantibus Theologos quidem etiam modernos audiamus, si tamen consonas SS. Patribus tradant sententias: 2º si ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur usus, nedum ulla eis tribuatur auctoritas: 3º ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consonam duxerit: 4º quoad praxin non liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus: 5º ne quisquam in dubio salutis ad actum prosiliat, nisi ipso dubio, non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione deposito. Præterea non quidem ita aperte, tecta tamen fronte, TUTIORISMUM e cineribus suis resuscitare cupiunt, qui collapsæ veteris disciplinæ Ecclesiasticæ defensores, reformatoresque orbis Christiani videri volunt.

206. III. PROBABILIORISTÆ docent, non licere sequi sententiam incertam faventem libertati, nisi illa sit *probabilior,* quæ nimirum una ex parte firmioribus nixa est fundamentis. Ubi adverte, male a nonnullis definiri, *probabilius* esse verosimilius, magis appropinquans vero, magis conforme rectæ rationi; *probabile* vero esse id, quod est verosimile, minus appropinquans vero, minus rectæ rationi conforme: nam 1ᵘᵐ de verosimilitudine spectat ad acceptionem probabilitatis philosophicam, de qua illud ex PHILOSOPHO commune adagium: *Multa falsa sunt probabiliora veris:* 2ᵘᵐ de veritate objectiva et reali intellectum, est aperte falsum: cum enim veritas consistat in indivisibili, siquidem adæquata conformitas cum ipsa re dicatur, constat non tantum aliquid non posse reipsa esse minus aut magis simile *veritati,* sed neque veritati minus vel magis appropinquare. Idem est de tertio, scilicet de conformitate ad rectam rationem, de quo plura deinceps.

PROBABILIORISTÆ aut forsan Tutioristæ videntur esse PP. Dominicani statuto quodam Ordinis ad id obligati, in quorum Capitulo Gen., an. 1656 celebrato aliqua in hanc rem sancita sunt, quæ tamen potius ad opiniones laxas, novas et parum tutas, quam ad PROBABILISMUM ipsis antea communem deserendum spectant. Inter eos priore seculo prodierunt quatuor viri, JOAN. BAPT. GONET, VINCENT. BARON., CONTENSON et NATAL. ALEXANDER, quorum tres priores nimiam fere amaritiem ubique produnt, ac GONETUS quidem refe-

rente Augustino Michel, ob suspicionem de collata cum Jansenistis opera a docendi munere semotus fuit. Vinc. Baronium examinavit et confutavit Cardenas in crisi Theologica : Contensonum repressit Joan. Bannholzer in Ethica Christiana : Natalis Alexandrini placita Thelogiæ moralis dogmaticæ excussit et contradictionis ac nullius roboris convicit P. Daniel in epistolis de hac materia ad eum editis.

Huic classi annumerandi sunt, qui ex PP. Carmelitis Discalceatis, ex ordine SS. Trinit. de redemptione captivorum, aut ex ordine R. Francisci Probabilismo contrariantur : siquidem præcepta habeant de *Tutiorismo* aut *Probabiliorismo* sectando, prout maxime constat ex Directorio trium Ordinum S. Francisci an. 1688. Romæ edito. Plures item alii e Catholicis libere eligunt Probabiliorismum, uti sunt e Societate nostra, præter Comitolum et Philalethum, Rebellus, Elizalde, Thyrsus Gonzalez Generalis S. J., Muniessa, Taberna, Daniel, Gomes, Ehrenthreich, Gisbert, et novissime Rasslerus in *norma recti*, ac Ant. Mayer in Theol. schol., etc. Hos consule, si plenius edoceri cupias.

207. IV. Probabilistæ docent, sufficere ad hoc, ut quis sequi possit sententiam faventem libertati, si illa sit *vere, solide ac practice probabilis*, sive dein opposita favens legi sit probabilior, sive sit æque probabilis; concedunt tamen, quod si opposita favens legi sit *unice probabilis*, et opposita favens libertati pro se tantum habeat rationes levusculas, hanc sequi non liceat, quia requiritur vera et solida probabilitas. Hæc de Probabilismo controversia in terminis nec a SS. PP., nec a VV. TT. pertractata, sed fere circa medium Seculi XVI in scholas introducta fuit; tamen Terillus de Consc., q. 22, a num. 41 adducit plures, qui benignam docuerunt ante 200, 300, 400 annos; S. Antonin. qui an. 1459 defunctus est, p. 1, tit. 3, c. 10, § 10, reg. 4 ait : *Ex responsis, quæ videntur data ab* Alberto M., *habetur, quod frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis, quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus Doctoris magni opinionem sequatur;* citatque pro hac sententia Hostiensem, Raym. de Pennafort, Petr. de Palude, Goffr. de Fontibus; item Nider, qui Seculi XV auctor fuit, benignam tenuit, pro ea citans S. Thomam, Antisiodor., Humbert. et alios.

Quod vero Amicus et Lopez, quamvis ipsi Probabilistæ, dicant omnes fere antiquos esse pro sententia probabiliore, et Cordoba, qui scripsit an. 1569, omnes Theologos convenire dicat, quod debeamus sequi tutiorem probabiliorem; non videtur obstare, cum Vasquez et alii plurimi dicant, benignam diu ante in scholis communem fuisse. Cæterum Sotus, L. 6 de Justit., q. 1, a. 6 ait : *Quando sunt opiniones probabiles inter graves DD., utram sequaris, in tuto habes conscientiam.* Cordubam vero explicat Terillus, quod videatur velle, ut tota apparentia rationum ex principiis tum directis tum reflexis debeat esse probabilior, quod non repugnat Probabilistis. Dicitur autem Barth. de Medina Dominicanus primum proposuisse et affirmasse Probabilismum, in Expositionibus ad Summam D. Thomæ an. 1577 editis : ita Vasquez, Salas, Sanchez aliique.

208. V. Laxistæ dicuntur, quibus ad actionis licentiam sufficit quæcumque opinionis probabilitas, licet *tenuis et exigua*, sive *intrinseca* sive *extrin-*

seca fuerit; atque ita nimium laxantes frena conscientiæ dicuntur favere libidini, petulantiæ, etc. Montaltius, Wendrochius, Sinnichius, Contensonius, Gonetus, Nat. Alexander, Concina et alii horum similes, si in hunc Laxismum, velut in corruptelam morum et sentinam omnium malorum detonarent, non esset indigne ferendum; siquidem hunc Laxismum ab Ecclesia damnatum Catholici omnes damnent et rejiciant : sic quippe habet prop. 3ª ab Innoc. X confixa : *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Quod vero Jansenistæ et horum fautores ubi contra Probabilismum vagum, noxium, disciplinæ Christianæ inimicum insurgunt, vix ullos alios, quam Doctores e Societate procurant, et horum doctrinam unaque Probabilismum cum Laxismo confundant, id vel imperite vel malevole fieri constat ex utriusque discrimine, quod tale est.

Laxismus opinionis libertati faventis usum avide arripit, facitque licitum ex quacumque ratione, motivo et auctoritate : Probabilismus requirit motivum grave et solidum, auctores graves et classicos, nec unus duntaxat sufficit, nisi omni exceptione major sit, sed plures desiderat, quos religio, fides, prudentia, doctrina et animus a sinistris affectibus liber commendant. Laxismus non curat censuras, non etiam principia certa sententiæ oppositæ Probabilismus sollicite advertit, utrum propositio, quam tuetur, non pugnet cum auctoritate Ecclesiæ, utut demum illa rationibus fulciatur; item an non obstent principia certa seu physica seu metaphysica, etc.

209. *Observa I.* Probabilismum ab ortu suo usque ad an. 1656 et sic per 100 fere annos sententiam fuisse communissimam, inde conficiunt Probabilistæ : 1° quia Deschamps in quæstione facti circa opiniones probabiles an. 1659 edita, duo sibi sumpsit demonstranda : primum, quod Probabilismus non fuerit ortus a Jesuitis : alterum, quod Probabilismus inter auctores alios, maxime Dominicanos, fuerit sententia communissima. 2° Quia ex omni ætate, statu et conditione afferuntur auctores typis editi Probabilismum tuentes, ab Arsdekin ultra 160, a Terillo 200, a Gobat superadduntur adhuc 25, plures etiam a Moya adjiciuntur, quorum aliquos designatos vide apud La Croix, L. 1, n. 269. 3° Quia a Valentia et Suarez jam ab anno 1593 hæc sententia vocatur communis, a Navarro an. 1567 communior; Thyrsus Gonzalez autem ipse fatetur, nullam fuisse sententiam, quæ cursu temporis non longo plures sectatores habuerit, eamque omnes fere Theologos usque ad an. 1656 traxisse in sui assensum; unde Terillus ait, pro Probabilismo assignari posse 40 auctores, ubi pro opposito affertur unus.

210. *Observa II.* Quod Probabilismus olim communior, hodie per secessum multorum a gradu communioris doctrinæ exciderit, hujus probandi onus moderni Probabilistæ secedentibus volunt incumbere; quippe nec Galli, aiunt illi, cum quibusdam Belgis tot et tanti sunt, ut reliquam orbis Catholici doctrinam faciant minus communem : nec Rassler ac Mayer, quantumvis in recentioribus ac modernis recensendis diligentes, tantam auctorum copiam accumulant, quæ possit sententiæ communiori detrahere; quin postremi conatus eo tantum recidit, ut ne a Probabilistarum auctoritate penitus opprimatur. Præterea plura sunt in adversariis, quæ eorum auctoritatem haud

multum commendant : nam 1° Jansenistæ numerum quidem faciunt, non vero auctoritatem : 2° Qui statuto Ordinis ac præcepto ad Probabiliorismum obligantur, nisi rationibus valeant, auctoritatem non aliam tribuunt, quam illius qui præcepit : 3° Vix pauci secum et cum aliis conveniunt, qua ergo ratione sententiam contrariam communem constituant? Alii enim Rigoristarum damnata castra non obscure sectantur : alii Tutioristæ sunt : alii Probabilioristæ rigidi aut molliores : quin plures nec ipsi satis definiunt, quam partem sequantur : denique multi non satis intelligunt principia Probabilismi, et vanum ejus simulacrum insectantur; statum controversiæ immutant, et si analytice res examinetur, sæpe in definitionibus dissentiunt : alii conviciis, non rationibus pugnant; ita Probabilistæ.

211. *Observa III.* Secessio multorum a communi sententia facta est variis de causis :

1ª Fuit Jansenistarum fraus : cum enim isti in satyris, h. e. litteris ad Provincialem (quo nomine Perrerius quidam senator in suprema rei tributariæ curia Claromontii Arvernorum indicabatur) et hinc Provincialibus dictis, a Paschali sub Ludovici Montaltii nomine editis, ac deinde in notis ad easdem litteras a Nicolio sub schemate Wendrochii additis, benigniorem in moralibus doctrinam Jesuitarum acriter sugillarent, et rigidiorem moralem obtruderent, duo fraudulenter intenderunt : 1° ut fulmen a Sorbona in Ant. Arnaldum Jansenistarum principem sub an. 1656 vibrandum, tumultu aliunde excitato quasi obtunderent, fideles et Ecclesiam profligationi Jansenistarum summis studiis insistentem, objecto quasi novo Eridis pomo detinerent, et ab illa concitatione avocarent : 2° ut Jesuitis, quos accerrimos Jansenismi adversarios experiebantur, et tanquam sui delatores, atque apud Sorbonam et Pontificem actores putabant, invidiam ob corruptos per Probabilismum mores conflarent. Dixi : 1ª *causa* : nam quamvis Paulus Comitolus S. J. in Conciliis et Responsis moralibus an. 1609 editis (ex quo, quidquid habet Windrochius rationum, desumpsit) et Andreas Bianchi S. J. sub nomine Candidi Philalethi Probabilismum prius oppugnassent, sequaces tamen aut nullos aut raros habuerunt, dum Jansenistæ primum per Paschalem et Nicolium se Probabilismo objicerent.

2ª Fuit sententiæ Probabilis sinistra definitio, et ad materiam omnem a quibusdam Probabilistis facta extensio, ubi tenuiter probabilia in numerum vere probabilium inferebantur, et usus probabilis sententiæ etiam Judici, Medico, administrantibus Sacramenta, vel circa præjudicium tertii versantibus permittebatur; cum quibus Nostri nec majores, nec moderni, etiam ante propositiones ab Alex. VII et Innoc. XI damnatas, conveniebant.

3ª Fuit probabilitas pluribus propositionibus a quibusdam falso asserta, quarum 45 ab Alex. VII et 65 ab Innoc. XI tanquam scandalosæ et in praxi perniciosæ sunt damnatæ. De his observa, editum an. 1689. Lovanii fuisse libellum, qui demonstravit, has propositiones jam ante earum damnationem a TT. Societatis Jesu communi consensu rejectas fuisse.

ARTICULUS III.

DE TUTIORISMO.

§ I.

Præcognita.

212. *Nota.* I. Lex est voluntas legislatoris de eo, quod vult vel non vult fieri, manifestata : huic, si invincibiliter ignoratur ex defectu promulgationis vel cognitionis, actio repugnans dicitur peccatum materiale; formale peccatum dicitur actio contra vel præter legem Dei cognitam. Lex *actualis* et *explicita* disertis verbis declarat, quid velit aut nolit fieri : *virtualis* et *implicita* continetur in alia lege universali, id quod vel per ratiocinium vel per legislatorem declarari potest : sic dum Christus præcipit sacramentalem confessionem, de ea legem actualem et explicitam dedit : an vero peccata certa, dubia, venialia, mortalia, an et quæ circumstantiæ sint materia necessaria confessionis, habetur tum ex ratiocinio, tum ex declaratione Ecclesiæ. Lex una deduci potest ex alia vel clare vel dubie; hinc datur lex *clara*, de cujus existentia, promulgatione, sensu et obligatione dubitari prudenter non potest, et lex *dubia*, de cujus existentia vel promulgatione, vel sensu, vel obligatione prudenter potest dubitari.

213. II. *Tutum* est, quod removet a periculo vel erroris, vel peccati, vel damni : *Tutius*, quod magis, *Tutissimum*, quod maxime removet. *Omnimode tutum* est, quod removet a periculo erroris, vel peccati tum materialis tum formalis. *Simpliciter tutum* est, quod removet a periculo erroris vel peccati solum formalis; dicitur tamen simpliciter tutum, quia error vel peccatum materiale non imputatur ad culpam. *Minus tutum* analogice dividitur in *privative* minus tutum, quod est idem ac non tutum, sive non licitum, nec reducibile sine errore vel peccato formali ad praxin : et in minus tutum *comparative*, quod adhuc simpliciter tutum est ac per se infert securitatem; sic autem tutum tantum dicitur sub comparatione vel tuti omnimode, vel tutioris. Tutius est vel *positive* tutius, quod removet omne periculum erroris vel peccati, et est idem, quod omnimode tutum : vel *respective* tutius, quod removet vel a majore periculo simpliciter, vel a periculo majoris peccati : ut si Sacerdos inveniat moribundum dubie dispositum ad absolutionem, forte irritum facit Sacramentum absolvendo; sed forte peccat contra charitatem non absolvendo, eumque exponendo periculo damnationis; in hoc casu tutius est eum absolvere : vel *comparative* tutius, quod idem est, ac melius et perfectius, unde ejus oppositum non omnimode tutum esse potest : sic Clericus ex patrimonio dives, tuto potest habere beneficium; tutius tamen esse potest, nihil admittere ex fructibus Ecclesiæ; sed de hoc sermo non est.

214. III. Notæ vero universales tuti, minus tuti et tutioris sunt sequentes : 1° Quidquid in *speculativis* est certo verum, est omnimode tutum ab errore : quidquid in *practicis* etiam favens libertati est certo licitum, omnimode tutum a peccato, quia sentiendo quod est certo verum, aut operando quod

est certo licitum, nullum periculum quis habet errandi vel peccandi, sive formaliter sive materialiter. 2° Quidquid in *speculativis* est tantum opinative verum, non potest esse nisi simpliciter tutum ab errore : quidquid in *practicis* est tantum opinative licitum, non potest esse nisi simpliciter tutum a peccato, quia opinativa sunt incerta, et sic ista possunt a parte rei esse falsa vel illicita ; ergo in his casibus homo se ex exponit similiter periculo materialiter errandi vel peccandi. 3° Quidquid in practicis favet *libertati*, semper comparative est minus tutum, quia minus removet a periculo saltem materialis peccati, cum possit obstare lex quantumvis ignorata, et minus tutum dicitur sub comparatione ad omnimode tutum vel tutius. 4° Sive sit in se *verum*, sive *opinativum*, sive etiam *falsum*, quidquid tamen in speculativis favet certæ *veritati* jam notæ, vel fovet pietatem, tutius est ab errore ; quidquid in practicis favet *legi*, tutius est a peccato, quia ita sentiendo vel operando magis adhuc receditur a periculo erroris vel peccati tum formalis, tum materialis.

Exemplum de *speculativis* sit circa veritatem jam certam et cognitam de generali carnis resurrectione ; hac supposita quæritur a TT., num aliqui sint non morituri, adeoque non resurrecturi ? Nonnulli affirmant, nonnulli negant. Sententia negans a S. Thoma dicitur tutior, quia etsi reipsa falsa esset, eam tamen admittendo nullum esset periculum amittendæ illius certæ veritatis de universali resurrectione, ut in affirmativa. Exemplum de *practicis* sit circa quæstionem, an peccator post lapsum in peccatum mortale statim obligetur ad agendum pœnitentiam ? Sententia affirmans D. Bonaventuræ est tutior, negans D. Thomæ, minus tuta, quia prior favens legi, *pœnitentiam agite*, aliisque de non procrastinanda pœnitentia, removet omne periculum peccandi.

215. IV. Incertitudo *minima* habetur, quando sententia est probabilissima, *minor*, si probabilior, *major*, si sit probabilis ; etiam in probabilissima sententia potest pars opposita dare aliquam solutionem, et argumenta obmovere ; hinc rationes sententiæ probabilissimæ non sunt convincentes, proin non certo illis adhæret intellectus ; simulque adest periculum erroris et peccati. Inde est, quod Tutioristæ rigidi afferant, non licere sequi sententiam, tametsi inter probabiles probabilissimam, scilicet ob præsens periculum transgressionis ; de hoc § seq.

216. *Observa.* Quidam Probabilioristæ, prout arguunt Probabilistæ, hallucinantur : 1° quod distinctionem peccati in *materiale* et *formale* rejiciant, quam SS. PP. et usus tam diuturnus inter terminos technicos receperunt ; maxime cum per peccatum materiale nil aliud intelligatur, quam dum illi dicunt, esse quidem peccatum, sed non imputari ad culpam. 2° Quod inter se confundant opinionem *Tutiorem* et *Probabiliorem*, tum quia tutioritas major desumitur a majore recessu a periculo peccati, probabilitas autem major a firmiore motivo ; tum quia tutius se tenet ex parte *objecti* ; probabilius vero ex parte *subjecti* ; tum quia plures opiniones tutiores sunt minus probabiles, improbabiles aut falsæ, e contra minus tutæ reperiantur, quæ sunt probabiliores, probabilissimæ et certæ. Exempli loco est Ludov. Habert, qui de Consc. c. 5, ad quæst. 1, quid est opinio tuta ? sic respondet : *est opinio*

moraliter certa. Idem, c. 2, q. 1 ait : *conscientia dividitur in certam et incertam, seu in tutam, et minime tutam;* ac si non liceret sequi sententiam probabilissimam inter probabiles : hæc enim cum sit incerta, eo ipso esset minime *tuta,* secundum quam nullo modo agere liceret. Ejus item asserti falsitas, illud unicum esse tutum, quod est omnimode tutum, patebit ex dicendis.

§ II.

Discutitur Tutiorismus Rigidus.

217. *Dico.* **Rigorismus ab Ecclesia damnatus est irrationabilis, et sibi ipsi in suis principiis non constat.**

Prob. 1^um^. Quia obligat sub præcepto ad observationem *legis,* quæ nobis non innotescit; ad hæc ipsam peccati notionem destruit, quæ est transgressio legis cognitæ; demum servatu vix est possibilis, quia in plurimis non habetur certitudo moralis summa; ergo nunquam liceret operari secundum id, quod favet libertati. 2^um^. Quia hic Tutiorismus auget peccatorum pericula, suosque sectatores exponit periculo transgrediendi multas leges dubias, quas possumus existimare, non existere; ergo reipsa tutus non est, ac jure merito ab Ecclesia condemnatus.

Si ais 1° Opinio quantumvis probabilissima non excludit periculum peccati : intellectus incertus, an sententia sit vera vel falsa, cum hac incertitudine agit et eligit periculum; ergo qui sequitur probabilissimam, peccat, quia recte dicitur amare periculum peccandi, 1° qui sequitur incertum, quod potest esse falsum, ut si lex existat, quæ creditur non existere, 2° qui novit posse dari legem, quodque non sequendo se exponat periculo peccandi.

R.— *D. A.* Periculum remotum et peccati materialis, quod vitare non debemus *C.* Periculum proximum, et quidem peccati formalis *N.* Quod vero invincibilis ignorantia non excuset a peccato formali, cui ceu fundamento innituntur Rigoristæ, damnatum est ab Ecclesia; vide n. 88. Hinc *D. C.* Si cognosceret certo esse falsum, quod sequitur *C.* Cum vero id non cognoscat *N.* Item, qui novit dari legem certam et obligantem *C.* Legem dubiam, quæ practice nulla est *N.*

Si ais 2° cum Sinnich. S. Aug., L. *de utilitate credendi,* c. 11, sic ait : *Tria sunt velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari. Quæ si per se ipsa considerentur,* 1^um^ *semper sine vitio est,* 2^um^ *aliquando cum vitio,* 3^um^ *nunquam sine vitio;* ergo non licet sequi opinionem etiam probabilissimam, utpote quod semper vitiosum est.

R. 1° S. Aug. loquitur de temeraria credulitate : ita enim semet l. c. explicat : *Eorum, qui opinantur se scire, quod nesciant, est profecto vitiosa credulitas.* 2° *D. A.* Opinari nunquam sine vitio, opinari temere et sine prudenti ratione *C.* Opinari ex gravi motivo *N.* Sicut nec fides humana, ita nec opinio semper inducit ad vitium et errorem.

Si ais 3° Sint duo pocula, quorum alterum vino generoso est coronatum, de altero non constat, an sit veneno impletum; est tamen probabilissimum non esse venenatum : in hoc casu imprudenter agit, qui poculo tutiori relicto

eligit alterum incertum; ergo etiam qui tutiore relicta sequitur probabilissimam, quæ continet periculum transgressionis, voluntarie agit imprudenter, ac proin vitiose.

R. — *N. C. Disp. est,* quia mors cum haustu poculi est conjuncta ita, ut ipsa veneni sumptio sit mortis accersio : sed actio posita contra legem incertam non est conjuncta cum peccato *formali,* ad quod cognitio legis requiritur : porro mea sententia et cognitio mutat, ne sit peccatum *formale* : sed mea sententia probabilissima de veneni absentia non mutat vinum veneno infectum, quod agit in hominem, non prout existit in intellectu, sed prout est a parte rei. Quippe peccatum habetur ex cognitione peccantis, et ita agentis contra legem cognitam.

§ III.

Pensantur Fundamenta Tutiorismi Mitigati.

218. *Nota I.* Tutiorista Mitigatus statuit duo principia : 1° Licet sequi probabilissimam faventem libertati, eo quod ubi est probabilissima, ibi est moralis certitudo, cum qua consistere nequit periculum peccandi. 2° Non licet sequi sententiam faventem libertati, si non sit *probabilissima,* vel notabiliter, h. e. moraliter probabilior, et ut talis unice sit probabilis, quæ rationem oppositam omnino solvat; idque probant cum Rigoristis tum ex paritate de poculo venenato, tum ex ratione voluntariæ transgressionis legis, tum ex temeritate, quatenus Probabilioristæ aut Probabilistæ spernit offensam Dei, ductus commodo temporali.

Sed *primi,* quod statuunt, principii ratio equidem bona est, at nihil evincit contra Tutioristas Rigidos, contra quos tamen pugnare debet, eo quod hoc principium Probabilioristæ etiam et Probabilistæ admittant; supponit autem, quod ex parte opposita favente legi sit tantum levis probabilitatis suspicio : alias enim opposita favens libertati non posset esse moraliter certa, cum sola certitudo elidat probabilitatem : atqui nemo Tutioristarum Rigidorum negavit, quod liceat sequi sententiam probabilissimam faventem libertati, si opposita favens legi nequidem sit probabilis; ergo nihil evincunt contra Rigoristas, ac insuper nituntur falso principio, scilicet quod probabilissimum ita elidat probabile, ut tantum maneat suspicio quædam probabilitatis.

Quoad *secundum* eorum principium in eo solum discrepant a Rigoristis, quod hi negent, etiam tum licere sequi sententiam faventem libertati, si favens legi sit dubie probabilis; Mitigati autem desiderent ex parte favente legi certam et solidam probabilitatem. Demum fundamentale eorum principium, *in dubio pars tutior eligenda est,* pluribus hic discutiendum est.

219. *Nota II.* Quæstio hic non est de dubio practico, nec de speculativo vincibili, sed de speculativo invincibili eoque positivo. In dubio *speculativo invincibili,* sicut in simili ignorantia, siquidem obligatio inquirendi cognoscatur, homo primum diligenter inquirere veritatem tenetur, consulendo libros, Doctores, Pastores, a quibus quid faciendum sit intelligat. Ex his si certi nihil cognoscat, evenire poterit, ut vel rationes graves de pravitate

actionis suæ habeat, et leves tantum vel nullas de ejus bonitate : vel ut habeat rationes graves pro utraque parte; si *primum*, ab operatione oportet abstinere : si *secundum*, alterutrum fieri potest, nempe : 1° vel in hoc opinionum conflictu debet se reducere ad dubium practicum, et sic partem tutiorem eligendo pariter abstinere debet ab actione : vel 2° debet sibi formare conscientiam de honestate actionis per electionem opinionis probabilis vel probabilioris, eam honestatem statuentis. In duobus prioribus conveniunt omnes : in duobus posterioribus variant AA.; hinc in præsens examinandum, an *necessario* pars tutior sit eligenda; quod in § IV ad materiam legis restrictum investigari continuabitur.

220. *Dico.* **In dubio speculativo invincibili non est obligatio eligendi semper partem tutiorem.**

Prob. Obligatio universalis, in omnibus *dubiis speculativis* eligendi semper tutius, est *gravissima*, ut per se patet; est moraliter servatu fere *impossibilis*, quia cum infinita dubia passim in morali occurrant, difficillimum foret, semper adstringi ad tutius cum libertatis restrictione : est moraliter *necessitans* ad peccatum, et sicut Pallavicinus ait, pessima et perpetua causa peccati ac damnationis, quia cum stante hac obligatione servandæ essent leges fere innumeræ, quæ reipsa non existunt, et contra quas tamen plurimi agendo frequentissime peccarent; fieret, ut laberentur in peccata *formalia*, quæ alias nequidem forent materialia, et hinc in æternam damnationem; ergo hujusmodi lex et obligatio non existit, præsertim cum non sufficienter probetur aut probari possit.

Conf. 1. Plura axiomata Juris hanc obligationem negant : sic ex R. J. in 6 dicit 15ª : *odia* (his juxta communissimam intelliguntur obligationes graves) *restringi, et favores convenit ampliari;* et Reg. 30 : *in obscuris* (hæc autem sunt dubia positiva) *minimum est sequendum :* Reg. 65 : *in pari delicto vel causa potior est conditio possidentis,* item ex R. J. in ff. dicit 56ª : *semper in dubiis benigniora præferenda sunt,* et 128 : *in pari causa possessor potior haberi debet,* ex quibus tritum illud axioma ortum est, *in dubio melior est conditio possidentis;* ergo quod in quibusdam casibus particularibus in Jure expressis debeamus sequi tutiorem partem, non debet extendi ad quosvis alios casus, de quibus jura non loquuntur.

Conf. 2. Ex recepta omnium praxi : Nam

1° Pontifices dispensarunt in voto solemni contra tutiorem D. Thomæ, in matrimonio rato contra tutiorem S. Bonaventuræ et Scoti; item cap. *Laudabilem, de Frigidis*, impotentes dicuntur posse experiri usum copulæ ad triennium, ubi tamen in dubio de valore matrimonii tutius foret abstinere.

2° SS. PP. secuti subinde sunt sententiam minus tutam et faventem libertati contra tutiorem : nam orta inter Hier. et Aug. quæstione, an *simulatio* sit licita vel illicita? S. Hier. tenuit affirmativam, et pro ea laudat Chrys., Orig., Didym., Appollin., Euseb., Emiss., Theodoret., etc., ut patet ex epist. 11. inter Augustinianas. Orta quæstione, an *Bigamus* sit impeditus ad suscipiendos SS. Ordines, vel non? S. Hier. tenuit negativam minus tutam, et eam secuti sunt plures Episcopi, ut patet ex ejus epistola ad Oceanum. Orta alia quæstione, an licitum sit aliquando jurare? Augustinus tenuit minus tutam affirmativam, ut constat ex ejus Comment. in Ep. ad Gal.,

c. 1, 20 et ep. 154, atque alibi. Quamvis porro sententiæ horum PP. aliquæ nunc sint certæ, tamen illa ætate erant dubiæ, et quilibet alterius sententiam tum ab auctoritate, tum a ratione probabilem existimare debuerat.

3° Principes scholarum sæpe secuti sunt minus tutam : instar omnium sit D. Thomas, qui 1, 2, q. 91, a. 4 docet, legem humanam non posse præcipere actus internos, atque hinc non obstringi subditum ad obediendum, si ejusmodi actus præcipiat; 2, 2, q. 157, a. 6, ad 3 docet, comestionem electuarii non violare jejunium; in 4. Dist. 29, q. un., a. 4 docet, filium non teneri obedire parenti quoad matrimonium contrahendum, nisi quantum ipsum justa causa ad id coegerit; 2, 2, q. 185, a. 7 docet, Episcopum non teneri restituere ea bona, quæ sibi supersunt, nec expendere in usus pios, ex iis, quæ suo usui sunt destinata. Similia habes in 4. Dist. 17, q. 3, a. 1, ad 4 et ibidem a. 4, ad 1, etc., in quibus tamen ejus sententia non est certa, sed tantum probabilis, quæ ab aliis oppugnatur.

4° Denique scholæ Thomistarum, Scotistarum et recentiorum de facto multas tenent sententias *minus tutas*, aliis licet contradicentibus.

Conf. 3. Inter pios et timoratos confessarios æque ac fideles, ejusmodi Tutiorismus non est in usu : 1° Quamvis enim tutius sit abstinere ab *auctario* præcise ex statuto Principis sine omni alio titulo, ii tamen tenent accipi posse. 2° Idem tenent circa quæstiones, an Clerici sint domini bonorum *superfluorum*, an superflua teneantur ex justitia erogare in pauperes. 3° Ante definitionem Conc. Later., Sess. 10, sub Leone X disceptatum fuit acriter, utrum *montes pietatis* sint usurarii? tutius erat abstinere; attamen fideles sine scrupulo et formidine suas eo pecunias elocabant. 4° Ante Benedict. XIV erat controversia de *jejunio* : sitne hoc ipso, quod in abstinentia a carnibus, etiam in jejunio dispensatum? tum fideles sequebantur partem *minus tutam*; nunc vero ob declarationem factam non licet; si autem vim habet Tutiorismus, fideles æque fuissent obligati ac nunc sunt, quod videtur prorsus intolerabile.

Conf. 4. Tutioristarum sententia videtur repugnare prudenti œconomiæ totius Ecclesiæ, cum certum sit, plures sententias minus tutas non solum delatas fuisse ad summos Pontifices, sed etiam ad Conc. particularia et generalia, et nihil fuisse definitum. Benedic. XIV multas quæstiones subtraxit Episcoporum decisioni. Ipsum Tridentinum controversias plures tam speculativas, quam practicas non diremit, ut suam cuilibet sententiæ probabilitatem relinqueret, ac usum liberum : atqui si Tutiorismus urgeret, Ecclesia foret causa ruinæ plurimorum, quia peccandi occasiones, quas facile potuisset, suis definitionibus non sustulit, relinquens tot scandali petras, ut fideles facilius ac frequentius peccarent, quod valde absonum est; ergo praxis Patrum, Pontificum, Conciliorum, Scholarum, totiusque Ecclesiæ abhorrere videtur a Tutiorismo.

221. *Obj. I.* Pontifices in variis Decretalibus *tutius* eligendum esse statuerunt, et juxta id decreverunt; ergo Tutiorismus fundatur in praxi. *Prob. A.* Cap. *Ad audient.* 12 de homicid. cum dubitatum fuit, an ex vulnere, quod Presbyter cuidam de sua familia fortuito inflixerat, mors illius secuta sit, an ex antecedente morbo, atque ideo Presbyter irregularitatem incurrerit, Clemens III respondit : *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutio-*

rem, te convenit injungere Presbytero memorato, ut in SS. Ordinibus non ministret. Ex eadem ratione similia præcipiuntur in c. *Significasti* 16, etc. *Petitio tua* 24 eod. tit.

R. 1. — *D. A.* Statuerunt eligendum *tutius* in dubio speculativo, quoad omnes casus, et secundum quamlibet circumstantim *N*. In dubio practico, vel quoad casus speciales, ubi aliunde advenit gravissima ratio pro tutiore, vel in circumstantiis, ubi Pontifex pronuntiavit ut judex aut consulens communi utilitati Ecclesiæ *C.*

R. 2. Statuitur quidem cap. cit. lex specialis circa dubium patrati homicidii, qua incurratur irregularitas in reverentiam Sacrificii, et in odium homicidii; sed hoc non fit 1° quasi illud, *in dubiis eligendum tutius*, assumeretur tanquam principium universaliter obligans; neque 2° extendi hoc debet ad irregularitatem ex aliis causis, et multo minus ad alias materias; 3° nequidem extendendum est ad alia dubia de homicidio : quamvis enim Innoc. III c. *Significasti*, jusserit Clerico injungi pœnitentiam *ad cautelam*, qui non præviso equi cursu abreptus, mulierem obviam interfecit; is ipse tamen Pontifex c. *Dilectus filius*, 13 tit. eod. in similem infantis occisorem Clericum hanc pœnitentiam non scripsit. Accedit c. *Is., qui* 18 de sent. Excomm. in 6, ubi dicitur : *Irregularitatis, cum id non sit expressum in jure, laqueum non incurrit.*

Inst. 1. Cap. *Illud Dominus* 5 de Cler. Excomm. Pontifex dicit, se facere misericordiam cum Episcopo Hildesheimensi, qui per Archiepiscopum Magdeburgensem, tanquam Sedis Apost. Legatum excommunicatus, divina tamen celebrasset, et coram se celebrari fecisset, licet is diceret Magdeburgensem non esse suum Ordinarium, sicque non credidisse, quod delegata potestate contra se procedi posset, prætermissa etiam terna commonitione; ergo tacite innuit, eum incurrisse excommunicationem, et hujus sententiæ rationem affert : Quia in dubiis via tutior eligenda, etsi de lata in eum sententia dubitaret, is tamen debuerat potius se abstinere, quam Sacramenta ecclesiastica pertractare.

R. Duplex Hildesh. Episcopo dubium erat : 1^{um} *facti* an sit excommunicatus? cum vero per famam ipsi constaret excommunicationem in se latam fuisse jussu et auctoritate Pontificis, dubium hoc erat vincibile, in quo vel *tutius* eligendum, vel adhibita diligentia deponendum, interim vero abstinendum erat; 2^{um} *juris*, an stante sufficiente notitia de excommunicatione, posset coram se facere celebrari divina per epikeiam, ob aliquod scilicet spirituale bonum et sub spe veniæ? sed ex dicendis constabit, quando lex vel prohibitio est certa, dubium autem tantum an detur excusatio vel exceptio, quod debeat observari lex et tutius eligi.

Inst. 2. Cap. *Juvenis.* 3 de Sponsal. Eugenius P. declarat, nullum esse matrimonium, quod juvenis quidam contraxerat cum consobrina alicujus puellæ, quam idem juvenis necdum septennem prius duxerat, et cum qua dubitabatur an habuerit copulam; pro ratione dat : *In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus;* ergo.

R. 1° Aliud est esse *tutius*, aliud esse *certius*, qua voce Pontifex hic utitur; unde huc pertinere objectio non videtur. 2° Sponsalia juvenis cum puella priore non fuerunt dubia, sed tantum dubitabatur an intervenerit copula, prout colligitur ex verbis capituli : *tum propter honestatem Ecclesiæ, quia*

ipsa conjux ipsius fuisse dicitur, tum propter prædictam dubitationem : nam quamvis puella fuerit septennis, tamen cum juvenis illius diceretur *conjux,* et is forsan tentasset copulam, potuit inferri malitiam in puella supplevisse ætatem. Quia vero ante Conc. Trid. etiam ex sponsalibus invalidis, præterquam ob defectum *consensus* invalidis, oriebatur impedimentum publicæ honestatis, et hoc usque ad 4^am^ *gradum* cum consanguineis dirimebat matrimonium, initum postea cum puella consobrina matrimonium erat certo nullum ; unde rursus huc non pertinet. 3° Supposito etiam dubio, separatio matrimonii non erat pars tutior, sed potius matrimonium, juxta c. *Licet ex quadam.* 47 de Testibus. Quamvis enim diceretur etiam intervenissse in secundo matrimonio malam fidem juvenis, de quo tamen Pontifex nihil affert ; nihilominus quia bona fides aderat ex parte fœminæ, debuisset decidi nt juvenis quidem redderet, non vero peteret debitum, sicut in simili casu decidit Lucius III. 4° Pontifex hic loquitur tantum de se ipso ut judice ; proin ex hoc casu nil aliud sequitur, quam quod judex in judicando debeat sequi tutius ac certius, non autem quivis alius in quovis dubio.

Inst. 3. Ratio Pontificis in prædictis casibus decidentis est, quia eligendum est tutius ; ergo lex est universalis sequendi tutiora.

R. 1°. — *N. C.* Sicut rationes in Conciliis adhibitæ ad faciendos canones fidei non sunt canones ; ita rationes, quæ congruenter moverunt Pontifices ad facienda decreta, non sunt decreta. 2° *D. C.* Est universalis regula mere consiliativa, aut principium congruentiæ, ex qua Pontifices nonnulla decreverunt *C.* Regula per se ubique obligans, aut principium naturale omnino necessarium, a quo discedere nunquam sit licitum *N.* Hinc in c. *Petitio tua* etiam dicitur : *cum consultius sit in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare.*

Inst. 4. Nisi hæc lex statuatur pro regula generali, orientur maximæ anxietates et remorsus conscientiæ, prout indicatur in Clem. *Exivi* de V. S., ubi ortis inter FF. Minores controversiis de variis circa suam regulam dubiis, Clemens V ea resolvens inter alia sic ait : *Nos ituque, qui in sinceris horum conscientiis delectamur, attendentes quod in iis, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ pars securior est tenenda ;* ergo.

R. — *N. A.* Sicut enim nimia austeritate in consiliis et opinionibus salus animarum multum impeditur, ut ostendit La Croix L. 1, n. 510, sic et per nimiam laxitatem ; hinc debitos huic rei cancellos infrà statuemus.

Ad rat. additam. R. Si verba Clementis continent præceptum, intelligenda sunt de dubio practico, quo videntur laborasse FF. Minores, ac inde habuisse graves remorsus. Cum vero id de universis dubiis ibi propositis non videatur dici posse, verba allata solum continent consilium quoad dubia aliqua speculativa, quod inde colligitur, tum quia respondet Pontifex, Minores non teneri observare omnia consilia Evangelica, quamvis in principio Regulæ ipsorum diceretur : *Regula et Vota FF.* Minorum *hæc est, scilicet D. N. J. C. Sanctum Evangelium observare* : tum quia negat, omnia vim habere præcepti, quæ in eorum regulis per verba *imperativi modi* proponuntur. In quibus responsionibus certe non declarat id quod tutius est.

Inst. 5. L. *Titia* 38 ff. de *auro,* decisum, ut hæredes ponant statuam argenteam, quamvis Seja voverit duntaxat statuam 100 librarum, et quidem ponendam in templo, in quo nonnisi signa ærea erant posita ; ergo.

R. Molina, Suarez, Layman pro *ærea* legunt *aurea;* inde vero infirmatur Tutiorismus. Sed tametsi legatur, *signa ærea*, lex pro hoc casu specialis datur, quia conveniens erat, hæredes ex gratitudine legata pia modo magis utili solvere.

222. *Obj. II.* Tota antiquitas docuit, in dubio eligendam esse partem tutiorem, adeo ut Vasquez ne unum invenerit, qui contrarium sentiat : atqui nec in re tanti momenti a communi eorum sententia recedendum, neque dicendum videtur, eos per plura secula omnes errasse; ergo.

R. 1. — *N. m.* Nam imprimis plurimi veteres hanc quæstionem non attingunt : qui vero attingunt, non omnes tutius necessario eligendum docuerunt. Certe S. Antonin., p. 1, tit. 3, c. 10, § 10, reg. 6 dicit : *Eligere viam tutiorem, consilii est, non præcepti.* Minus tutam etiam eligi posse, docuerunt scholarum principes, ut constat ex num. 220. Quamvis autem Vasquez dicat, se neminem ex scriptoribus invenisse qui oppositum dicat saltem in *dubio juris*, sive de existentia legis; id alii tamen invenerunt, ut dicetur § seq. Cæterum antiqui hic dicuntur, qui scripserunt ante Medinam, et sic ante 1577.

R. 2. — *N. m.* Nam certum est multas veterum sententias esse antiquatas, et fundamentum hujus sententiæ, quod ignorantia invincibilis non excuset a peccato, damnatum est ab Ecclesia, quamvis Gerson, L. de *vit. spir.*, lect. 4, coroll. 3, dicat concordem sententiam. Quod vero Clerus Gallicanus l. c. propositionem 28^am^ temerariam, scandalosam, perniciosam et erroneam, ac SS. Patribus et antiquis DD. contumeliosam dixerit, qua quidam Recentior contendebat, omnia hodie esse melius examinata, et præsertim in materia morali libentius juniores quam antiquiores se legere et sequi; tamen recte videtur Raslero in *norma recti*, disp. 3, q. 9, a 5, ea nullam censuram mereri, si rite et intra suos limites intelligatur, nempe juniores simul acceptos melius discussisse quæstiones morales, quam antiqui communiter fecerint. Neque omnes antiqui ita censuerunt. Multi falso innixi erant fundamento. Denique vel multos veteres, vel plurimos ac fere omnes recentiores per 80 et plures annos errasse dicendum est, cum alterutrum videri possit necessario admittendum.

Inst. 1. D. Thomas Quodl. 8, q. 6, a. 13 dicit : *Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam;* ergo.

R. Difficultatem, quam hic textus et totus articulus affert, et ipsi adversarii solvere debent, et nos nonnisi ex antiquis solvemus. Dico itaque, D. Thomam loqui hic de conscientia vincibiliter errante ex motivo levi contra legem certam et claram.

Constat id 1° quia S. D. l. c. sic pergit : *Quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, et alteram falsam; aut ergo ille qui facit contra opinionem magistrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; et sic cum facit contra legem* Dei *non excusatur a peccato, quamvis non faciat contra conscientiam.*

2° Quia S. Antonin., l. c., reg. 4, hæc ipsa verba recitans ait : *Hæc verba* D. Thomæ *non possunt intelligi nisi de his, ubi manifeste patet ex* Scriptura, *vel* Ecclesiæ *determinatione, quod sit contra legem* Dei; *et non de illis intelligit, ubi non apparet; alias sibi contradiceret eodem libro.*

3° Quia JOANNES NIDER Ord. S. DOM. coævus vel antiquior S. ANTONINO similiter loquitur et addit, quod S. THOMAS declaret seipsum. Quodl. 3, q. 4, a. 10 ubi ait : *In his vero, quæ pertinent ad fidem et bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri : in talibus enim ignorantia non excusat; alioquin immunes a peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem* ARII, NESTORII, etc. Et infra concludit : *Qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum* SCRIPTURÆ *testimonium, sive contra id quod publice tenetur secundum* ECCLESIÆ *auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.*

Inst. 2. Plurimi recentiores idem principium adstruunt; et Clerus Gallicanus posuit illud tanquam primam regulam in conventu an. 1700 celebrato; ergo.

R. 1° Etiam Clerus Gallicanus an. 1682 edidit Declarationem, in qua contra PONTIFICIS potestatem ejusque infallibilitatem et supra CC. Generalia superioritatem definitum est, subscriptis 34, Episcopis, 38, Ecclesiasticis viris aliis; et tamen hæc declaratio ab ipsis jussu INNOCENTII XII P. rescindi debuit, nec auctoritatem tribuit adversæ sententiæ; ergo multo minus conventus hic auctoritatis habet, ubi nonnisi 16 Episcopi et 20 alii Ecclesiastici subscripserunt. 2° Auctoritas GALLORUM non ligat Germanos aliosque orbis Theologos; quin et eorum Declarationes strictam etiam Gallis necessitatem non imponere, patet ex Conventu an. 1714, cui intererant 40 Episcopi, ubi in causa Constitutionis UNIGENITUS addentes Instructionem pastoralem hæc habent : *Nos vos rogamus... quia bene scimus, quod non possimus hac super re vobis ullum obligationem imponere;* unde nec in Conventu anni 1700 id potuerunt.

223. *Obj. III.* S. Scriptura præcipit 1° ut *quasi a facie colubri* fugiamus peccatum, ejusque periculo nos non exponamus : 2° ut mandata DEI *custodiamus nimis*, h. e. cum sollicitudine exquisita : 3° ut homo pro peccato habeat, *quod non est ex fide,* sive conscientia dictante aliquid non esse peccatum : sed nihil ex his præstamus, si tutiora non sequimur ; ergo.

R. — *N. m.* Quia præstari omnia hæc possunt, si modo absit dubium practicum, et ex dictamine reflexo moraliter certo operemur; hinc 1. peccatum fugimus ut *colubri faciem,* sequendo etiam minus tutam, vere tamen probabilem aut probabiliorem, cum talis actio careat peccato, neque hominem exponat periculo formalis peccati. — 2. *D.* Mandata DEI sunt *custodienda nimis,* h. e. cum exquisita sollicitudine, quæ scilicet excuset a peccato *C.* Quæ ad difficillima, incerta et periculosa fragilitati humanæ obliget *N.* — 3. *N.* Quod non habeatur fides per conscientiæ dictamen practice practicum, et moraliter certum.

Inst. Ipsi Gentiles posuerunt hanc regulam, quam refert TULLIUS L. 1 de Offic. : *Bene præcipiunt, qui vetant quidquid agere, quod dubites, an æquum sit, an iniquum.* Item S. ANTONIN., L. c. reg. 6 ait : *Qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione mortaliter peccat, etiamsi illud in se non esset mortale, sumendo proprie et stricte dubitationem, videlicet, prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis quis declinat ad unam, quam ad aliam;* ergo.

Ad 1. R. Manifesto apparet, confundere adversarios dubium practicum cum speculativo, et dictamen remotum cum proximo et practico; unde *D.* Posuerunt Gentiles hanc regulam de dubio practico *C.* Speculativo *N.*

Ad 2. R. S. Antonin. de eodem dubio practico intelligendus est, quia ibid. reg. 7 ait : *Inter duram et benignam circa præcepta sententiam, benigna est potius cæteris paribus interpretatio facienda : quod etiam asserit* Wilhelmus. *Hujus ratio est, quia præcepta* Dei et Ecclesiæ *non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem.* Sed de his mox uberius.

224. *Observa.* Tutiorismi sectatoribus duplex incumbit obligatio gravissima : vel enim debent semper sequi tutiorem; vel si illam sequi nolint, debent se convincere certitudinis moralis circa sententiam *faventem libertati,* adeoque convincere se debent, quod nec immoderata quædam affectio, nec mentis excæcatio, nec inadvertentia, nec præjudicium ipsos incitent ad amplectendam sententiam minus tutam. Hæc obligatio ipsos non solum in actione, sed etiam in usu privilegiorum premit. Inde patet, quam difficilis sit praxis sententiæ rigidæ : et quamvis tutiorem sequi tutius sit, hanc tamen sententiam reflexe tenere, nec tutius, imo nec satis tutum est.

Sunt vero dubia et certi casus, in quibus perinde omnes partem tutiorem sequi tenentur, nempe : 1° universim in omnibus, in quibus, etiamsi adsit ignorantia invincibilis, nec pars probabilis nec probabilior etiam juvat ad hoc, ut obtineatur finis intentus, ad quem procurandum est obligatio; sic in iis, quæ sunt de *necessitate medii* ad salutem, est obligatio sequendi *tutius,* quia si circa illa erretur etiam invincibiliter, hoc nec facit nec facere potest, ut vel illud non sit medium necessarium salutis, vel ut reipsa ponatur, si quid substantiale desit. 2° Speciatim in *conferendis Sacramentis,* ut patet ex Prop. 1 ab Innoc. XI damnata. Idem est de *susceptione Sacramentorum,* quatenus hæc ad Sacramenti valorem et efficaciam spectat, nimirum in Sacramentis non sola honestas operationis attenditur, sed valor Sacramenti, qui non pendet ab opinione nostra, sed ab institutione Christi. 3° Ubi non solum est periculum peccati materialis, sed etiam alterius *damni* vel *incommodi,* quia obstat lex aut charitatis, aut justitiæ; hinc illicitum est bellum offensivum in dubio *juris;* illicita explosio sclopeti in dubio *facti,* an id, quo collimatur, sit fera vel homo, etc. *Excipe,* nisi cavendo alterius damnum, creares illud tibi ipsi : quia tum ordo charitatis permittit, ut proprium potius quam alienum damnum evites. 4° Ubi *jure positivo* aliter est statutum, v. g. cap. *ad Audient.* supra cit. Huc reducitur, si quis ad hoc se ipse obligasset voto, vel ad id adstrictus esset per legem aut mandatum Superioris. 5° Ubi est *contractus* vel *quasi contractus* initus ad eligendum tutius; sic Medici, Advocati, etc., qui cum se obligarunt ad procurandam sanitatem, vel causæ victoriam, hoc ipso se obligarunt ad media adhibenda, quæ judicant tutiora : qui enim operam illorum conduxerunt, intendunt finem suum, quantum possunt, tutissime assequi, ad quod nihil facit opinio probabilior etiam, nisi simul sit *tutior.* 6° Quando *possessio* stat contra dubitantem; unde inferior dubitans an Superior juste imperet, tenetur obedire, quia possessio non stat pro libertate subditi, sed pro auctoritate Superioris, qui non debet sua potestate privari propter dubium subdito occurrens.

§ IV.

An in Dubio Legis semper sit eligendum Tutius?

225. *Nota I.* Lex opponitur libertati, et vicissim : quia lex ligat hominem, et moralem libertatem aufert, ne scilicet pro libitu suo utatur operatione; libertas vero hominem veluti solvit : unde constat legem se habere instar actoris, libertatem instar rei. Differunt a nobis adversarii, dum dicunt leges præcedere libertatem hominis, adeoque eas, non vero libertatem in possessione esse. Sed falsam id est absque omni dubio : 1° de *lege humana*, quia antequam illa sanciretur, fuit homini libertas : 2° de *lege divina*, v. g. Mosaica et Evangelica, quia et antequam illa lex institueretur, libertas humana præcedebat : 3° de *lege naturali*, quia hæc cum ipsa humana libertate existit, cum lex ejusmodi in practicis tantum principiis et conclusionibus demonstratis consistat.

Hæc autem non sunt tantum intelligenda de existentia reali legum, sed etiam de *promulgatione*, ubi hæc distincta sunt inter se. In promulgatione non authentica legis naturalis etiam libertas præcedit legem naturalem, priusquam ea deducatur ex primis principiis. Porro certum inde sequitur, legem non obligare, nisi existat ac promulgetur, adeo quidem, ut nisi certa sit existentia vel promulgatio, libertas maneat in certa sui possessione, sive homo sit certo liber ab omni obligatione, et sibi liceat sua actio.

226. *Nota II.* Communior TT. tenet, in *lege humana* dubiâ non semper eligendum esse tutius : 1° Favet Jus Can., ubi c. fin. de Transact. dicitur : *In his, super quibus jus non invenitur expressum, procedas {æquitate servata} semper in humaniorem partem declinando.* Reg. 57 de R. J. in 6 *contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.*

2° Jus Civ., nam reg. 192 de R. J. dicitur : *In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius.* L. benignius, 18 ff. de Legibus : *Benignius leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conservetur.* L. si fuerit, 10 ff. de rebus dubiis : *In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet.* L. Arrianus, 47 ff. de oblig. et action. : *Ubi de obligando quæritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem, ad negandum : ubi de liberando, ex diverso, ut facilior sis ad liberationem.* Hinc etiam Habert de Consc., c. 4 ad Dices 2. Resp. 2 ait : *Fatendum tamen est in hypothesi, quod lex humana sit obscura, nec secundum communem TT. sententiam constet de mente Legislatoris, liberum et tutum esse in conscientia, amplecti alterutram ex oppositis opinionem.*

227. *Dico.* **Non est obligatio, in dubio invincibili legis, etiam divinæ et naturalis, eligendi semper partem tutiorem.**

Prob. I. Ad obligationem conscientiæ requiritur in lege divina existentia legis et promulgatio authentica, in naturali saltem non authentica, utrobique clara et certa : atqui ubi est dubium probabile de lege divina vel naturali, non habetur existentia et promulgatio authentica vel non authentica certa et clara, ut per se patet; ergo in dubio non est obligatio sequendi legem, et sic partem tutiorem.

Prob. pars 1ª. *M.* Quia lex sine existentia nequit esse : sine promulgatione lex non innotescit, nec habet completam rationem legis; quod tamen intelligendum est de legibus *formalibus*, quia virtuales tantum promulgantur non authentice.

Prob. pars 2ª. Quia existentia et promulgatio legis naturalis sunt idem; ergo si conclusiones, sive præcepta secundaria ex primis principiis non deducuntur, non existunt : de primariis enim præceptis naturæ constat, ea evidenter cognosci debere et sic existere.

Prob. pars 3ª. Regula et mensura, qualis est lex, debet esse certa, atque ideo, ut ait C. THOM. 1, 2, q. 91, ad 3 : *Leges humanæ non possunt illam infallibilitatem habere, quam habent conclusiones demonstrativæ scientiarum; nec oportet, quod omnis mensura sit omnino infallibilis et certa, sed secundum quod est possibile in genere suo*, h. e. moraliter. Similia habet 2, 2, q. 60, a. 3, ad 1 unde constat, saltem moraliter certam esse debere existentiam legis.

Claram autem esse oportere constat ex c. *Erit autem.* 4 Dist. ex observatione ISIDORI, ubi dicitur : *Erit autem lex... manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat;* et 27, Q. 1 de viduis : *Non debet nos inducere per legem obscuram vel dubiam ad id, a quo nos cohibere debet.* c. fin. de constit. *Constitutio Apostolicæ Sedis nihil debet obscurum vel ambiguum continere,* ubi Glossa V *ambiguum,* sic ait : *Lex nullam obscuritatem continere debet, ne per obscuram constitutionem in laqueum incidamus.* Vide etiam Gloss. c. un. de pustul. Prælat. in 6. V. *de cetero;* ABBATEM et alios Canonistas in hunc locum.

Prob. II. Qui invincibiliter nescit legem non solum humanam, sed et divinam ac naturalem, non tenetur actu secundo ad illam observandam, quia ignorantia invincibilis etiam juris naturalis excusat a peccato; et hoc ipsi etiam adversarii fatentur in dubio negativo : atqui invincibiliter dubius de lege divina et naturali, ut supponitur, invincibiliter nescit legem, sive habet ignorantiam invincibilem legis; ergo. *Prob. min.* de dubio positivo : invincibiliter moraliter dicimur nescire ea, de quibus non habemus sufficiens fundamentum dicendi potius dari, quam non dari; sed positive dubius non potest affirmare legem dari, neque etiam negare, et hinc non potest potius dicere eam dari; quia in dubio stricte sumpto rationes sese mutuo elidunt, neutra pars prævalet, et hinc non adest sufficiens fundamentum ad asserendam potius quam negandam legem; ergo.

Conf. 1° Axioma est : *In dubio melior est conditio possidentis,* sive illius qui est in possessione : atqui in dubio legis etiam divinæ et naturalis libertas est in possessione, quia libertas præcedit existentiam moralem legis, habet se instar rei et defensoris, ac pro se præsumptionem juris, onus probandi transferens in alium, cum ipsa tantum se defendat; ergo. 2° A paritate in dubio legis humanæ.

228. *Obj. I.* Deut. 17, 8, etc., ait DEUS : *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris... et Judicum intra portas tuas videris verba variari; surge et ascende ad locum, quem elegit Dominus* DEUS *tuus, veniesque ad Sacerdotes et ad Judicem,... quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem; et facies quodcumque dixerint,... et docuerint te juxta legem ejus,*

sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram; ergo in lege divina vel semper attingere verum, vel sequi debemus id quod est tutius.

R. — *N. C.* Textus hic non est ad rem, tum quia agit de dubio vincibili, utpote quod poterat et solebat solvi a Sacerdotibus et Pontifice non multum dissito; tum quia non præcipitur, ut Judei, si summum Sacerdotem adire non potuerint, sequerentur tutius. Nos vero loquimur de dubio invincibili, et quamvis, quæ in moralibus Pontifex definivit, exacte observemus, tamen nec eum adeundi omnibus est facultas, nec illi omnia dubia dissolvendi voluntas, cum tot in utramque partem sententiæ probabiles sciente etiam Sede Apostolica habeantur.

Inst. 1. In pluribus Scripturæ locis jubemur mandata Dei servare, et Deum diligere, quantum possumus: atqui hoc non fit, si in dubio legis non sequamur tutius, sicut amicus non dicitur diligere amicum, aut famulus servire domino, quantum potest, si omittat facere quod versimiliter judicat placere amico, vel exigi a domino; aut contrarium faciat; ergo.

R. 1. — *D. m.* Tenemur, quantum possumus absolute *N.* Cum moderamine, h. e. eo saltem modo, ut caveamus omnem offensam formalem Dei *C.*

R. 2. — *N. m.* Nam, ut Deus diligatur *ex toto corde*, etc., aliud non requiritur, quam ut observentur mandata Dei nobis certo cognita, et nullum eorum deliberate violetur, per quod Deus offendatur; Deus autem non offenditur deliberate, si homo invincibiliter ignoret mandatum Dei, prout hic supponitur, ubi mandatum incertum et dubium est. Præterea nec amicus nec dominus prudenter offenditur, siquidem amicus vel famulus speculative ac remote dubitet, aliquid velle amicum, vel dominum imperare, sibi ita prudenter persuadeat, hic et nunc non velle, nec imperare; austerior enim et indiscretus esset, si in his circumstantiis illa nihilominus exigeret. Denique amicus et famulus sat certo sciunt alterius voluntatem.

Inst. 2. Matth. 7, 14 dicitur: *Angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam*: sed si non tenemur sequi tutiora, panditur via lata ad plurimas leges divinas negligendas, et porta cœli dilatatur; ergo.

R. — *N. m.* Nam imprimis leges Christianæ Religionis claræ et certæ circa dilectionem inimicorum, castitatem, justitiam, etc., satis adstringunt introitum in regnum cœlorum: neque debemus januam cœli tam arctam facere, ut faciunt adversarii, quia et Christi *jugum suave, et onus* ejus *leve*, Matth. 11, 30 dicitur. Deinde agnoscitur etiam a nobis obligatio generalis, et in multis etiam circumstantiis specialis, inquirendi leges; hac vero diligenter expleta, si non inveniatur *lex* existere, prudenter judicatur legislatorem non velle subditum in tali casu esse proxime obligatum. Unde nihil hic laxitatis occurrit, cum in sententia opposita nimium arctetur via salutis cum periculo et damno plurimorum.

Inst. 3. PP. idipsum docent: Tertull., L. de spectac., c. 20: *Erramus; nunquam et nusquam excusatur, quod* Deus *damnat: nusquam et nunquam licet, quod semper ubique non licet: hæc est veritatis integritas, et quæ ei debetur, disciplinæ plenitudo et æqualitas timoris, et fides obsequii, non immutare sententium, non variare judicium.* Iren., L. 3 cont. hær., c. 5: *Qui ad inventionem missi erant errantium Apostoli... utique non secundum præsentem opinionem colloquebantur eis, sed secundum veritatis manifestationem.*

Clem. Alex., L. 7, Strom. circ. fin. : *Voce Domini erudimur ad agnitionem veritatis... magis declinamus ad ea quæ sunt opinabilia, etiamsi sint contraria, quam ad veritatem : est enim austera gravisque ac severa.* S. Leo, ep. 10 ad Flavian., c. 1 : *Quid iniquius, quam impia sapere, et sapientioribus Doctoribusque non credere ? sed in hanc insipientiam cadunt, qui, cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas litteras, nec ad Evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Sed ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere;* ergo.

R. Neque per hoc semper attingitur veritas, quod sequamur tutius, cum hic sæpius observetur lex quæ nunquam extitit. Specialiter autem Tertull. loquitur de legibus claris et certo cognitis. Iren. de veritate Evangelica certa, et ex signis credibilitatis perspicua contra falsas persuasiones hæreticorum. Idem dicendum de Clemente contra inanes gentilium opiniones scribente. S. Leonem de eodem loqui ex ipsis verbis constat, incusatque dubium et ignorantiam vincibilem, quæ per sinceram inquisitionem veritatis deponi potest. Cæterum, quod a Clemente de austeritate dictum, circa id observa locum S. Ambros. *in Ps.* 118, 38 dum ait : *Sunt etiam in nobis, qui habent timorem* Dei, *sed non secundum scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinæ, opus virtutis exigere : sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturæ, non æstimant possibilitatem.*

229. *Obj. II.* Si *lex dubia* non obligaret ; ergo quia non est sufficienter promulgata : hoc non, quia si non esset promulgata, non esset lex, quod falsum est ; quia tunc lex inciperet esse quando cognoscitur, et desineret esse lex, si quis ejus oblivisceretur. *Conf.* 1° In dubio practico lex obligat ; ergo etiam in speculativo. *Conf.* 2° Certus de existentia legis particularis, et dubius an casus sit exceptus, tenetur obedire legi ; ergo etiam certus de lege universali, qua Deus jubet servari omnes leges : et dubius an hæc vel illa lex existat, tenetur eam servare.

R. — *D. M.* Non obligaret, quia non est sufficienter promulgata promulgatione authentica *N.* Non authentica *C.* Nempe quamvis voce et scripto olim leges divinæ satis promulgatæ sint, tamen earum notitia a pluribus invincibiliter non habetur, ex cujus defectu oritur eas non obligare.

Ad Conf. 1. *Disp. est :* In casu dubii practici non tam obligat lex dubia, quam alia reflexa certa, quæ prohibet agere cum dubio practico ; non autem datur lex certa obligans ad non agendum cum dubio speculativo.

Ad Conf. 2. *Disp. est :* in *primo* certa est lex, et tantum dubium an non *per accidens* aliquis excusetur ; ergo pro lege tamdiu est præsumptio, donec motivo fortiori elidatur. In *secundo* est quidem lex universalis etiam certa, jubens servari omnes leges certas, non vero obligans ad servandas etiam dubias leges, nec præsumptio de hac universali adesse probatur.

Inst. 1. Qui agit contra *legem dubiam,* exponit se periculo peccandi, Deum offendendi, et salutem amittendi : atqui hoc ipsum est peccatum ; ergo. *Conf.* 1. Qui explodit sclopetum versus id, de quo dubitat an sit homo vel fera, peccat ob periculum ; ergo a pari. *Conf.* 2. Plus est offendere Deum et

perdere seipsum, quam occidere hominem; ergo si postremum non licet, minus primum licebit.

R. — *D. M.* Exponit se periculo peccandi materialiter *Tr.* formaliter *N.* Jam vero non debemus omne periculum cujusvis peccati etiam materialis vitare, neque etiam sequi liceret probabiliores vel probabilissimas minus tutas, sed deberemus ubique amplecti certas et veras, quod sæpe impossibile est, nec omnes adversarii exigunt.

Ad Conf. 1. *Disp. est :* in *primo* non est tantum periculum peccati materialis, sed etiam gravis damni alterius, quod non potest amoveri per opinionem etiam probabilissimam; imo certa est lex non jaculandi cum periculo occisionis.

Ad Conf. 2. R. 1° *N. A.* Occisio enim hominis etiam est offensa Dei. 2° *D.* Non licebit primum, nempe Deum offendere formaliter *C.* Materialiter, scilicet in dubio de materiali peccato *N.*

Inst. 2. Possessio stat pro lege, cum semper obligata Deo fuerit libertas nostra juxta illud Davidis Deum alloquentis : *O Domine, quia ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ;* et quia solis Anabaptistis reclamantibus Ecclesiæ auctoritas prævenit usum nostræ libertatis. Neque hic urget paritas de lege humana, quia ex legislatoris humani silentio præsumitur, eum consentire in oppositas legis interpretationes, et contra humanam legem etiam præscribi potest; ergo.

R. *D.* Possessio stat pro lege promulgata et certa *C.* Pro lege vel non promulgata, vel incerta, et de cujus existentia vel promulgatione positive dubitatur *N.* Textus Davidis nihil probat, cum non evincat dari legem Dei certo in omnibus casibus. Anabaptistarum error non est, quod dicant leges Ecclesiasticas dubias et obscuras non obligare; sed quia dicunt, non dari potestatem superiorem hominis in hominem legitimam. Porro data disparitas quidem valet, ne dicamus contra legem Dei vel naturæ claram et apertam licere agere, sicut id contra divinam fit in assignatis casibus; ubi vero dubia lex est, eadem, quæ de humana affertur ratio, valet pro divina et naturali. Cæterum neque Deus est *homo austerus tollens quod non posuit, et metens quod non seminavit.*

Inst. 3. Libertas est jus rem hanc vel illam faciendi pro arbitrio : atqui in dubio de lege homo non habet illud jus, quia qui dubitat an sit obligatus ad unum, non habet jus faciendi quod lubet, cum alias se exponeret periculo non faciendi id, ad quod obligatus est; ergo.

R. Præmissa inquirendi diligentia debita, et nihilominus manente dubio de lege *N. m. et rationem;* postremum de periculo *D.* Exponit se periculo non faciendi id, ad quod proxime et imputabiliter est obligatus *N.* Ad quod tantum remote et non imputabiliter est obligatus *C.* Lex dubia autem stricte, proxime et in actu secundo non obligat, et hinc actio contra ejusmodi obligationem est tantum materiale peccatum.

Inst. 4. Axioma illud, *melior est conditio possidentis,* præcise obtinet in materia *justitiæ,* non item in aliis; ergo nihil inde probatur.

R.—*N. A.* Nam dubius v. g. de *voto* non tenetur, quia libertas, quæ juxta L. 122 ff. de R. J. omnibus rebus est favorabilior, in possessione est; sic in dubio an valeat matrimonium, tenetur conjux reddere debitum, quia pro altero bona fide petente est possessio. Ratio autem est, quia ideo in materia

justitiæ, licet res sit divisibilis, melior est conditio possidentis, quia possessor, præter jus dubium sive æquale cum altero, habet titulum certum possessionis : atqui in materiis aliis, ubi plerumque est res indivisibilis, præter obligationem dubiam habetur certus titulus possessionis de libertate, aut alio; ergo. *Conf.* In dubio negativo legis melior est conditio libertatis possidentis; ergo et in positivo.

Inst. 5. Ideo in materia *justitiæ* melior est conditio possidentis, quia possessor legitime præsumitur esse verus dominus rei, quatenus moraliter meum est, quod penes me est : sed quæcumque possessio fingatur, non potest extra materiam *justitiæ* hanc præsumptionem facere quæ faveat libertati, sic dubius de *voto*, quantumvis illi faveat possessio libertatis, per hanc non potest præsumi non vovisse; item dubitans, han hora 12ª inter diem jovis et veneris sonuerit, non potest habere ex possessione libertatis præsumptionem de rei veritate, an nempe sonuerit, vel non; ergo.

R. — *D. m.* Non potest præsumptionem facere de casu vel titulo particulari *C.* De universali titulo ad deobligationem *N.* In utroque habetur paritas : nam in materia *justitiæ*, quia homo habet aliquam rem penes se, dicitur possessor, et quia est possessor, præsumitur esse dominus, sive habere jus eadem re utendi pro libitu, et ne in hoc usu prohibeatur; non tamen determinari potest ex hoc, an rem invenerit, an legitime emerit, aut alio jure acceperit, neque ad id probandum tenetur. Similiter, quia lex est libertate posterior, homo dicitur liber in omni casu, ubi lex vel non existit, vel illi certo non innotescit, quia est liber et habet facultatem non obligatam ad hoc tantum, sed immunem ad hoc vel illud; quamvis autem ex eo determinare non possit, an v. g. *votum* non emiserit, hora sonuerit, nihilominus habet jus utendi sua libertate, sive agendi hoc vel illud, nec ab hoc jure per dubium exortum, aut rationem probabilem contrariam dimoveri potest, sicut nec possidens per simile quid a suo jure re utendi deturbatur. Quin ut inde dejiciatur, clare et certo probari debet legem adesse.

Inst. 6. Possessio debet dici stare pro lege, tum quia homo ex natura sua est subjectus legi divinæ et naturali, tum quia præsumitur pro lege in dubio.

R. — *N. A. Ad Prob. 1. D.* Semper est subditus legi quoad obligationem remotam *C.* Proximam et in actu secundo *N.* Homo quidem numquam liber est a potestate Superioris; est tamen liber a potestate speciali, quando non existit : est enim proxime liber ab obligatione legis existentis, si simpliciter ignorat eam existere : denique est etiam liber, si tantum habeat probabilem notitiam legis, quia hæc notitia non sufficit ut libertas proxime ligetur : ut enim hoc fiat, lex non tantum debet existere in se, sed etiam in conscientia subditi, quia debet operari juxta legem, et illam habere tanquam regulam proximam morum, sive per dictamen conscientiæ certum applicatam.

Ad Prob. 2. *D.* Præsumitur pro lege in dubio an lex existat *N.* An cesset obligatio *C.* Præsumptio non est, nisi pro eo, quod supponitur aut præsumitur esse, quia supponitur fuisse aut debuisse esse; jam vero si dubium est an lex existat, non potest supponi, quod sit : neque ex eo, quod Superior jubere possit, sequitur quod jubeat; ergo non potest præsumi pro lege. Supponitur tamen voluntas subditi *proxime* libera, sive proxime non ligata; ergo pro libertate debet esse præsumptio.

Inst. 7. Cap. *Dominus.* 2 de secundis nuptiis : etc. *Inquisitione tuæ*, 44

de sent. excomm. dicitur, quod conjux post contractum etiam bona fide matrimonium, oborto dubio de ejus valore tantum possit reddere, non vero petere debitum : atqui licet hic stet possessio pro libertate et matrimonio, tamen ob dubium prohibetur uti hoc jure petendi; ergo.

R. 1. *Cap.* 1. Loquitur de iis, qui nupserunt cum dubio an priores uxores sint mortuæ, ubi possessio fuit pro *primo* matrimonio, non pro *secundo* et libertate.

Cap. 2. Dicitur a LAYMANN esse de eo, qui contraxit mala fide vel ob non adhibitam diligentiam habuit dubium vincibile; ergo ex neutro habetur possessio libertatis.

R. 2. Transumissa bona fide dici potest, petitionem debiti non esse prohibitam jure naturæ, sed ex specialibus PONTIFICUM Decretis, sicut statuta est *irregularitas* in casu dubii homicidii; ratio autem, cur PONTIFEX concesserit reddere, prohibuerit petere debitum in hoc casu, assignari potest tum possessio matrimonii, tum quod minus malum in reddendo debitum eligatur, quod esset contra castitatem, ad vitandum majus malum in denegando, quod esset contra justitiam. Prior tamen responsio prævalet, unde communior est, in bona fide conjugem post sufficientem diligentiam adhibitam etiam debitum petere posse. Dixi *post sufficientem diligentiam adhibitam* : licet enim sicut possessor alius exorto dubio non debet abdicare nudam rei possessionem, sic nec maritus conjugem expellere; tamen sicut possessor per se non potest interim re pro libitu uti, præsertim si talis usus ipsi non esset licitus, casu quo sciret rem non esse suam, sic a pari se habet.

230. *Observa.* Regulæ pro deponendo dubio ex prædicto axiomate statui possunt sequentes : pro *dubio Juris,* 1ª Si dubitas, an id, quod potest inducere obligationem, existat, v. g. *votum, juramentum, ætas requisita ad jejunandum, lex,* etc., non obligaris; *ratio* est, quia certum est, quod ante id fueris liber ab illa obligatione; ergo certa libertas tua non tollitur per dubium superveniens. 2ª Si dubitas, an *obligatio* cesset, an illi satisfeceris, an ab ea excuseris, etc., obligaris; *ratio est,* quia certum est obligationem adesse, dubium vero an cesset, etc.; ergo per dubium non tollitur.

Pro *dubio Facti* regula 1ª est : In dubio : factum non præsumitur, sed demonstrari debet; desumitur ex L. in bello ff. 12 de captivis et de postliminio. 2ª Quando aliquid, scilicet principale, factum est, præsumptio est pro valore actus; desumitur ex L. in contrahenda ff. de R. J. 3ª Factum præsumitur, si hæc præsumptio sit ei favorabilis qui factum affirmat; non autem si delictum vel defectus sit; hæc omnia tamen secundum dicta in dubio *Juris* de certitudine dubium præcedente mensuranda sunt.

QUÆRES : *An liceat sequi sententiam certo et practice Probabilem, minus Tutam?*

231. *Nota.* Ut conficiatur nostra adversus TUTIORISTAS sententia, necdum hic comparamus probabilem cum æque aut magis probabili; sed ab isto concursu præscindentes, unice quærimus : an ex eo præcise non liceat sequi sententiam aliqua certo et practice probabilem, quia est contra legem, et sic *minus tuta?* ubi supponitur, conscientiæ huic directæ accedere dictamen

conscientiæ reflexum moraliter certum. Videtur autem hæc assertio rite deduci ex antecedentibus, cum licitum sit quod nulla lege prohibitum est : sed nulla datur obligatio, vel semper sequendi tutiora, vel semper in dubio speculativo abstinendi ab actione; hinc

232. *Dico.* **Licitum est sequi opinionem certo et practice probabilem, licet minus tutam.**

Prob. 1° Sequens opinionem certo et practice probabilem agit *prudenter,* quia ex motivo gravi; et est tutus a *peccato formali,* quia lex dubia et obscura non ligat libertatem; ergo licite agit. 2° Damnata est ab Alex. VIII hæc Propositio : *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam;* ergo licet sequi opinionem licet minus tutam at certo probabilem, tum quia qui docuerunt hanc propositionem, Wendrochius in nota 1ª ad epist. 5am Provinc., et Sinichius in Saüle exrege, L. 2, c. 27, non dixere illicitum sequi probabilissimam et magis tutam sive faventem legi; tum quia aliunde etiam constat, magis tutam etiam improbabilem esse licitam. 3° Si non licet sequi opinionem certo probabilem, nec licebit sequi probabilissimam, cum et huic, utpote adhuc intra probabilitatis lineam constitutæ, possit subesse falsum; ergo.

Conf. 1°. Licet sequi etiam in practicis opiniones D. Thomæ et Bonaventuræ, quorum doctrina a Sede Pontificia approbata et ab Ecclesia recepta est : sed uterque plures habuit opiniones minus tutas et tantum probabiles, sæpe alter alteri contradixit, et alteruter pro libertate resolvit, imo Cardenas, p. 3, Cris. Tr. 1, Diss. 56, c. 8, n. 474, paratum se ait ad texendum catalogum ex D. Thoma plusquam 200 opinionum ejusmodi; ergo.

Conf. 2°. Sequeretur 1° errasse omnes scholas et scholarum principes jam a sex seculis, qui tradiderunt sententias plurimas tanquam in praxi tutas, licet fuerint minus tutæ, et tantum probabiles aut probabiliores : 2° Comburendos esse omnes libros, in quibus continentur decisiones morales vel juridicæ tam Auditorum Rotæ Romanæ, quam TT. et JCtorum, quarum plures etsi probabiliores sunt minus tutæ : 3° Errare omnes rudes, qui Doctorum sententias aut confessariorum opiniones minus tutas sequuntur : 4° Homines semper ad difficillima, et spectatis hominum infirmis viribus ad impossibilia adigi, si vel semper tutius, vel ubique verum ac certum sectari debeant. Adde, quod ipsi adversarii practice revocent, quod speculative docent, ut in illorum lucubrationibus ostendi potest.

Si ais 1°. Christus Joan. 14, 6 ait : *Ego sum veritas,* non probabilitas : — Prov. 14, 12 dicitur : *Est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem,* et talis via est probabilitas : dein non esset opus in nostra sententia rogare Deum pro *veritate,* sed sufficeret rogare pro probabilitate, quod falsum est : — denique hæretici plerumque solent laxare viam salutis, SS. Patres eam restringere; ergo et hos oportet eam restringere.

R. *Ad* 1. Christus etiam non dicit : Ego sum certitudo, ignorantia, aut error invincibilis; ergo nec hæc licet sequi. Veritatem haud semper scire possumus; sufficit ergo certa probabilitas.

R. *Ad* 2. *N.* quod probabilitas sit via voluptatis et ambitionis, de qua

ibidem sermo est, et quæ hominibus carnalibus videtur vincibiliter justa, et ducit ad mortem.

R. *Ad* 3. *N. assertum et retorq.* in ignorantia invincibili. Si veritatem habere possumus, eam indagare et Deum rogare tenemur.

R. *Ad* 4. *Tr. A.* quia Pharisæi Matth. 23 et Act. 15, item Encratitæ, Montanistæ, Novatiani aliique, demum moderni Græci schismatici quoad jejunia ultra modum rigidi erant. *D. C.* Oportet restringere ad limites prudentiæ et rectæ rationis *C.* Ad nimium rigorem vel majorem perfectionem *Subd.* Sub consilio *C.* Sub præcepto *N.*

Si ais 2°. SS. PP. tutius præcipiunt, et opinionem probabilem rejiciunt: S. Aug. relatus can. *Si quis autem* 4 *de Pœnit.*, Dist. 7 ait : *tene certum, dimitte incertum;* L. 1 de utilit. cred., c. 11 ait opinionem nunquam esse sine vitio, sed eam deberi *errori* S. Bern., Tr. *de præc. et disp.*, c. 14 docet : *Ut interior oculus vere simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, et in electione veritatem.* S. Thom., q. 18 *de verit.*, a. 6 ait, penitus nullam opinionem (consequenter nec probabilissimam) habuisse locum in statu innocentiæ; L. 7, Eth. lect. 2 dicit dubium non solvi, nisi inventione *veritatis ; hæc*, ait, *est vera solutio dubitationis, cum invenitur quid sit verum circa id quod dubitatur.*

R. — *N. A. Primus* textus ex homil. 41, inter 50 desumptus agit de differentibus pœnitentiam usque ad mortem, aitque se eos non posse reddere securos, quia incertum est an veram pœnitentiam agant, sicut David : *Secundus* non agit de opinione vere probabili, sed de temerario judicio; nam ibidem ait : *Opinari autem duas ob res, turpissimum est; quod discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, si modo illud disci potest; et per se ipsa temeritas non bene affecti animi signum est.*

S. Bern. loquitur de oculo perfectissime simplici, sive simul reipsa bono et prudente, et sic de eo qui evitat tam materiale, quam formale peccatum; cæterum ibidem addit, voluntatem esse etiam bonam et laude dignam, licet malum materiale in actione subsit; stat ergo pro nostra sententia.

S. Thomæ ratio quoad *primum* assertum non fuit, quod opinio probabilissima non sit licita, sed quod in illo statu non habuerit locum, quia ibi non potuit aliquid affirmari nisi ex motivo infallibili, nec quidquam cognosci nisi secundum certitudinem, ut ipse ait, quod tamen stătui nostro non convenit. Quoad *secundum* adverte, aliud esse dubii *solutionem*, aliud *depositionem*. Dubii quidem completa et ultimata solutio, quæ rei discussione peragitur, nonnisi veritatis inventione habetur, et de hac loquitur hic D. Thomas, ut patet ex integro textu, alioque loco in 3 Dist. 17, q. un., a. 4. Depositio autem dubii hoc non exigit, cum intellectus ex voluntatis imperio et physice et moraliter possit eligere probabilem opinionem, et sic deponere dubium. Notant hic Probabilistæ quorumdam Probabilioristarum malam fidem, dum in citatione hujus textus post τὸ *verum*, addunt *vel verosimilius*, de quo tamen nec littera in libris S. Thomæ apparet.

Si ais 3°. Probabilitas non potest esse regula operationis, quia judicium directum stat cum formidine; quale autem est judicium directum, tale est reflexum, nisi nova circumstantia aut ratio accedat. Item in tali operatione adest *dubium speculativum*, ex quo semper oritur practicum; qui vero dubi-

tat an lex existat, et agit contra illam, eligit hanc operationem, sive lex sit, sive non sit; ergo peccat.

R. *Ad* 1. Qui agit juxta practice et certo probabilem non operatur cum formidine morali et practica, sed tantum *speculativa,* sive de judicio remoto et directo; ac proin non habet quidem regulam operationis materialiter, attamen formaliter bonæ, ad quam sufficit quod nova circumstantia sive ratio *reflexa* accedat.

R. *Ad* 2. *D.* Adest dubium stricte dictum, sive actualis fluctuatio animi *N.* Late dictum, scilicet scrupulus vel formido de opposito, quæ potest etiam conjungi cum actuali opinione de una parte *C.* Quin potest elici judicium mediate certum pronuntians v. g.: probabile est legem non existere; hinc falsum, quod ex illo oriatur semper dubium practicum. Qui *speculative* dubitat, potest speculative probabiliter judicare legem esse vel non esse: ubi si dictamen non formetur, manebit dubium, et fiet practicum: si autem aliunde judicet quod possit licite operari, jam non vult, sive lex sit, sive non; sed potius reveretur legem abstracte sumptam, et vellet non agere contra legem in concreto, si sciret eam existere: quia vero hoc non scit, tenetur propositionem aliquam reverei, tanquam legem. Hoc etiam valet, si probabile est existere legem, et non habetur ratio firma positiva pro non existentia legis: si enim tantum probabiliter agnoscatur aliquid esse lex, non satis constat existere legem, et valet principium: *melior est conditio possidentis.*

Si ais 4°. Ad licite operandum requiritur judicium prudens, quod operando non peccetur: atqui probabiliter judicans actionem suam esse malam, prudenter judicare non potest, se eam eliciendo non esse peccaturum; ergo.

Conf. 1. Qui probabiliter dubitat an peccatum, quod commisit, mortale sit, an non: an turpi cogitationi consenserit, necne; ex unanimi consensu Ecclesiæ tenetur confiteri: atqui hoc ideo, quia alias se committeret peccati periculo, quod etiam in omni probabilis sententiæ electione habetur; ergo.

Conf. 2. Nemo prudens in temporalibus eligit minus tutum in dubio, v. g. bibit poculum quod dubitat veneno infectum, sumit medicinam tantum probabiliter sanaturam præ certo sanatura, ingreditur viam subin latronibus infestam præ tutissima; ergo nec ullus prudens eligit in materia salutis minus tutum præ tutiori.

R. — *D. m.* qui tantum ex judicio directo probabiliter judicat actionem suam malam, ex reflexo autem certo judicat esse licitam, non potest judicare se non esse peccaturum *N.* Qui solum habet hoc judicium directum, nullum autem reflexum *C.* Iterato hic apparet hallucinatio adversariorum, judicium directum cum reflexo et proximo confundentium.

Ad Conf. 1. *Tr. M.* de qua multi dissentiunt. *N. m.* quia quamvis hanc rationem afferant plerique veteres, tamen Cardenas recte ostendit eam non tenere, quia si Christus non dedit de hoc speciale præceptum, periculum cessat: majorem autem hujus sententiæ probabilitatem fundat, quod dubius de peccato mortali non possit sibi formare judicium prudens de suo statu justificationis: cum autem hic requiratur ad Eucharistiam suscipiendam, et confessio peccatorum, quæ requiritur ad Eucharistiæ susceptionem, etiam requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ; ut possit illud judicium formare, debet *dubium peccatum* confiteri, præsertim cum dispositio requisita ad

susceptionem Eucharistiæ sufficiens non fiat per contritionem, sed per Sacramentum Pœnitentiæ.

Ad Conf. 2. *Tr. A.* Cum multi suas opes, operam, vitam committant gravi periculo propter incertam spem lucri, qui tamen judicantur agere prudenter saltem prudentia seculi. *N. C.* Licet enim consequens verum sit quoad media ad salutem necessaria, non ideo verum est, ubique eligendum esse tutius. *Disp. est :* in illis temporalibus effectus aut finis intentus non pendet a dictamine operantis; in præsenti vero materia finis intentus est vitatio peccati formalis, et hic a dictamine operantis pendet. Vide num. 217, *ais* 3o.

ARTICULUS IV.

DE PROBABILIORISMO.

§ I.

An liceat in concursu æqualiter Probabilium sequi opinionem minus tutam?

233. *Nota.* Probabilistæ duo tenent ac defendunt, 1o quod sequi liceat opinionem faventem libertati, si modo vere, certo et practice probabilis sit, licet opinio opposita favens legi *æque* sit *probabilis :* 2o quod etiam liceat sequi opinionem vere, certo et practice probabilem faventem libertati, quamvis opposita favens legi, atque hoc ipso tutior, sit etiam *probabilior.*

Probabilioristæ inter se differunt : aliqui utrumque negant, voluntque unam e duabus opinionibus oppositis semper amplectendam, quæ faveat legi, et sic *tutior* sit, ita ut nequidem probabiliorem liceat sequi, nisi faveat legi, et hi Rigoristæ aut Tutioristæ vocantur : alii inter Probabilistas et Tutioristas quasi medii sunt, voluntque tutiorem partem eligendam necessario esse, quando hæc est *probabilior;* quoad reliqua vero iterum dividuntur in classes : quidam enim volunt, quod liceat sequi vere probabilem faventem libertati, si opinio opposita favens legi sit *minus* probabilis aut *æque* probabilis, aut non notabiliter probabilior, et hi vocantur Probabilioristæ molliores : quidam autem volunt, quod etiam in his casibus non liceat sequi probabilem faventem libertati, sed vel eligendam esse opinionem faventem legi, vel abstinendum ab omni operatione, vel in rationes plures inquirendum, et hi vocantur Probabilioristæ rigidi, nil aut parum differentes a Rigoristis; contra hos

234. *Dico.* **Licet in operando sequi sententiam æque probabilem, minus tutam.**

Prob. Sequens opinionem minus tutam in concursu æqualiter probabilium omnia requisita habet ad licite operandum, et nihil est quod impediat ab operatione.

Prob. I^um. Requisita ad licite operandum sunt, ut quis agat prudenter cum bona fide, et dictamine conscientiæ certo : sed hæc omnia adsunt, quia agit prudenter, cum agat ex gravi ratione; agit cum bona fide, quia libertas ejus est in possessione; agit cum dictamine conscientiæ certo, quia ex principio reflexo potest formari dictamen ultimum certum, et idem adesse sup-

ponitur; ergo. Sic autem formari potest : Licite sequor sententiam minus tutam, quæ mihi apparet notabiliter probabilior : atqui sententia benigna asserens, in operando licere sequi sententiam minus tutam æqualiter probabilem, apparet mihi notabiliter probabilior; ergo.

Prob. II^um. Quæ obstare possent, sunt vel lex, vel ignorantia vincibilis, vel periculum peccandi : sed nihil ex his obstat, quia imprimis non datur lex sequendi ubique tutius, aut suspendendi actionem sine certitudine directa; deinde ignorantia sive veritatis sive obligationis non est vincibilis, sed invincibilis, quia sicut si nullæ adessent rationes utrinque, haberetur ignorantia invincibilis, sic etiam ista habetur, ubi rationes sunt utrinque æquales, cum plane hic non sit majus dubium ac illic, neque etiam major notitia aut intimatio sufficiens; denique non datur periculum peccati, quia nec obligatio illa reflexa adest, nec si adesset lex, obligaret.

Unde moraliter certum videtur hoc etiam dictamen : Quandocumque lex directa mihi non est sufficienter promulgata, nec non obligat (quia sufficiens intimatio et promulgatio legis ad inducendam obligationem certo et essentialiter requiritur) : atqui hæc lex directa, quam existere et non existere æque probabile est, mihi probabilius non est sufficienter intimata, prout cuivis ab experientia notum esse potest; ergo hæc lex directa probabilius me non obligat. Ubi adverte discrimen inter hanc propositionem : *Lex directa probabilius non existit,* quam non asserimus; et inter istam : *Lex directa non est sufficienter intimata,* quæ potest esse vera, quamvis reipsa existat lex, uti patet in casu legis dubiæ, quin et ubi sententia minus tuta est notabiliter probabilior.

235. *Obj. I.* Sequi opinionem *minus tutam* utut probabilem, erat quoad praxin prioribus seculis incognitum, factis Scripturæ et Historiæ Eccl., Patrum assertis et auctorum sententiis adversum; ergo id non licet.

R. — *N. A.* Nam 1° dum Abraham et Isaac Ægyptum ingressi uxores suas, dicendo esse suas sorores, exposuerunt periculo præsentissimo adulterii : dum David, 1 Reg. 21, comedit panes propositionis : dum 1 Machab. 2, præliati sunt Machabæi in die Sabbati, certo elegerunt partem minus tutam, et in *primo* casu etiam minus probabilem, in *secundo* et *tertio* autem tum temporis, ubi observantia legum divinarum alias erat rigidissima, saltem nonnisi probabilem; et tamen *primum* excusatur a peccato ab Aug., L. 22 cont. *Faust.,* c. 33 et 46; duo postrema ab omnibus interpretibus. Item dum anno 362. Julianus Apostata Constantinopoli et Alexandriæ jussisset omnia venum exposita superstitione fœdare et Diis immolare, Constantinopolitani suadente S. Theodoro M. abstinuerunt ab omnibus ejusmodi cibis, Alexandrini vero iisdem vescebantur, quod quamvis minus tutum, et forte minus probabile erat, narratur et defenditur a Theodoreto apud Baron. hoc anno.

2° S. Aug. et Theodoretus modo citati dum facta minus probabilia minusque tuta defenderunt; item SS. Aug. et Hier. dum contradictorias sustinuerunt, saltem æque probabiles minus tutas admisere; et universim SS. Patres jam tutiora, jam minus tuta proponunt, et si eorum rationes attendantur, sæpe probabilitatem non excedunt.

3° Idem dictum supra de D. Thoma et aliis scholarum principibus.

Cæterum quod auctores etiam ante quæstionem Probabilismi in terminis

agitatam faverint benignæ sententiæ, ostendunt P. Dechamps in quæst. facti, et P. Terillus in fundamento totius Theologiæ, apud quos citantur e seculo xiv, Joan. Brug., Thomas ab Argentina, Gregor. Arimin., Robert. Holcot : e seculo xv. Gabriel Biel, Bapt. Tromaratus, Dionys. Carthus., S. Antonin., Panormitanus, Joan. Nider, Joan. Gerson : e seculo xvi. Navarrus, Viguerius, Domin. Soto, Franc. Victoria, Adrianus VI, Joan. Tabiena, quos dein Barthol. de Medina et innumeri alii secuti sunt.

Inst. 1. SS. PP. docent, nos semper sequi debere aut tutiora aut probabiliora, ut ostendit Thyrsus Gonzalez de recto usu opinionis probab. Diss. 13, c. 2; ergo.

R. In iis SS. PP. non semper asserunt obligationem, sed dant consilium et quandoque exaggerative loquuntur. Cæterum de SS. PP. a Thyrso citatis aliqui non sunt curandi, uti S. Clemens, cujus epistola 5 ad suos discipulos non est authentica; Chrysostomus in opere imperf., hom. 44 in Matth., cum hic liber sit vel hæretici, vel corruptus ab hæretico; Lactantius dicitur scholasticus magis, quam Ecclesiasticus a Damaso P., eloquens potius, quam div. Scripturarum peritus a S. Hier., et primos præsertim libros scripsit adhuc catechumenus. Deinde aliorum PP. textus ab eo citatos non invenies, uti sunt S. Bonav. Tom. 2 opusc. de processu Relig. 5, c. 3. S. Bernardin. Sen., Serm. 17 in Dom. 2. Quadrag. Denique facile hos et alios explicabis maxime ex contextu pro nostra sententia.

Inst. 2. Docent SS. PP. animarum regimen esse plenum periculis : semper suadebant, quæ magis videbantur conformia legibus et canonibus : metuebant, etiamsi probabilius judicarent aliquid esse honestum; ergo multo magis metuere nos debemus.

R. Satis periculi est in nostra quoque sententia, ne quis omittat, ad quæ certo obligatur : SS. PP. non semper suasere *tutiora*, ut pluribus infra docebitur : quilibet recte cum Jobo veretur omnia opera sua, et ex amore majoris perfectionis facit tutiora; non ex præcepto, sed consilio. Adde, quod S. Greg. Naz., orat. 39 dicat, *in rebus dubiis debere vincere humanitatem.* Greg. M., L. 7, ep. 2, 23 : *melius esse, in dubiis non districtionem exequi, sed ad benignas potius partes inflecti.* Similia habent Leo, Aug., Theodoret, etc. Vide D. Amort de Act. Hum., Disp. 2, q. 5.

236. *Obj. II.* Ut quis licite possit sequi opinionem aliquam, debet eam posse absolute judicare veram : sed stante æquali probabilitate id non potest; ergo. *Conf.* Honestas vel inhonestas actionum non dependet ab opinione humana; ergo si actio *de se* non sit honesta, non excusatur per judicium probabile.

R. 1°. Qui sequitur æqualiter probabilem tutiorem, vel potest judicare absolute veram, vel non : si prius; ergo etiam minus tutam possum judicare veram et licitam : si posterius; ergo nec potest judicare minus tutam esse prohibitam; eccur ergo contendunt auctores, minus tutam statim omittendam esse?

R. 2°. — *N. M.* quia non datur lex obligans ad judicium incertum : sed judicium directum et absolutum, sive probabile sive probabilius, est incertum; ergo ad hoc non tenemur, maxime cum sola probabilitate opinionis supposita formari possit ex rationibus reflexis judicium ultimo practicum

certum, et quidquid est in judicio probabili absoluto, est eminenter in judicio morali de probabilitate.

R. 3°. — *N. m.* nisi tamen per absolute verum intelligas certo verum; potest autem voluntas tam physice quam moraliter imperare intellectui, ut assentiatur alterutri ex opinionibus æque probabilibus : nam intellectus suapte natura ab opinativis non determinatur; ergo in iis simpliciter subest dominatui physico voluntatis : intellectus ex imperio voluntatis potest prorumpere in hæresin aut temerarium judicium, non obstante etiam probabilioritate oppositi : item potest magis assentiri vel adhærere alicui sententiæ in materia fidei, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium, ut constat ex prop. 19 damn. ab Innoc. XI. Demum sicut voluntas ex duobus bonis æqualibus potest alterutrum eligere prudenter, sic ex imperio voluntatis intellectus prudenter assentiri alterutri sententiæ æqualiter probabili, quia voluntas et ex ejus imperio intellectus æque liber est ad unum ex probabilibus, ac ad unum ex bonis, et perpensis utrinque motivis æqualibus esse possunt rationes ex parte voluntatis, cur assensum imperet intellectui.

Ad Conf. quæ retorquetur in ignorantia invinc.; *D. A.* Honestas vel inhonestas objectiva et materialis distincta ab honestate actus humani. *C.* Formalis et subjectiva actionis et agentis *N.*

Inst. Nemo potest uti opinione quam non habet, quia quivis in iis, quæ ad propriam personam spectant, debet facere conscientiam ex propria scientia; ergo opinionem, qua utitur, debet facere suam per assensum absolutum. Item opinio, cui non assentior ut veræ, non probatur; ergo non est probabilis; ergo non licet eam sequi.

R. *Ad 1. D.* Quam non habet eo modo, quo oportet habere, ut in sua operatione dirigatur *C.* Alio modo *N.* Sufficienter ad operationem mea fit opinio per assensum modalem de ejus probabilitate.

R. *Ad 2. D.* Non probatur formaliter et absolute ac per modum actus affirmantis *C.* Non probatur modaliter et virtualiter ac per modum objecti reflexi, cogniti tanquam probabilis *N.* Plus autem S. Aug. non voluit, cum dixit : *Illud, quod sequuntur, si non probant, quomodo est probabile?*

237. *Obj. III.* Stante æquali probabilitate pro et contra legem, est dubium de licentia : sed hoc stante non licet operari; ergo. Item qui potest prudenter judicare legem dari, eam non ignorat : atqui habens æqualem probabilitatem pro lege, potest sic prudenter judicare; ergo.

R. *Ad 1. D.* Est dubium speculativum et remotum de licentia *C.* Practicum et proximum, nec per judicium reflexum depositum *N.*

R. *Ad 2. D.* Eam non ignorat ignorantia omnimoda. *C.* Moraliter tali et sufficienter eximente ab obligatione servandi legem *N.*

Inst. Certus de lege et dubius de exceptione debet servare legem : atqui in nostra sententia agens plerumque est certus de lege et dubius de exceptione; ergo.

R. — *D. M.* Certus de lege tum actuali et explicita, tum virtuali et implicita, et dubius de exceptione, debet legem servare *C.* Certus de lege actuali et dubius de exceptione, quæ spectat legem virtualem *N.* Primum habetur, dum scio omnes operationes v. g. certo serviles esse omnibus prohibitas die festo, et omnibus diebus festis cognitis auditionem Sacri esse præceptam : dein

vero *per accidens* et ob difficultatem extrinsecam tantum dubito, an ego aut alius non excipiatur ab observatione harum legum. Alter casus est, an, dum eamdem quidem iterum notitiam habeo, dubito tamen prudenter, an hæc actio sit vere servilis, aut hic dies reipsa sit festus; tunc enimvero dubium meum est de existentia legis virtualis.

§ II.

An in concursu opinionum inæqualiter probabilium liceat sequi minus tutam et simul minus probabilem?

238. *Nota I.* Hæc quæstio fere iisdem, queis præcedens, fundamentis nititur. Sane inter opinionem minus tutam, *æqualiter* probabilem, et *minus* probabilem non distinxere plerique aut Rigoristæ aut Probabilistæ veteres; auctores impressos pro sententia media inde ab exordio Theologiæ scholasticæ, duntaxat 13. P. Rassler, 16. P. Anton. Mayr, quamvis egregii Semi-Rigoristarum patroni, invenerunt. Equidem a D. Amort 130 scriptores allegantur Anti-Probabilistæ, sed ex his aliqui sunt dubiæ, alii suspectæ fidei, alii nimium rigidi, etc., ut mirum sit, nonnullos Probabilioristas inter suos etiam auctores computare Rigoristas, quorum fundamenta falsis innixa principiis de ignorantia invincibili ipsimet rejiciunt et damnant.

De D. Thoma vix credibile est, eum stare ex parte Probabilioristarum aut Semi-Rigidorum, cum inde a Medina per 100 ferme annos Probabilismus in scholis Thomistarum fuerit communis, uti vel ex inspecto auctorum catalogo manifestum est; idque antequam ullus e Societate vel theses vel librum desuper edidit; hinc ipse adeo Concina in histor. Probabil., tom. 1, p. 14 ait: *Ingenue fatendum, illos manifeste calumniari, qui Jesuitas Probabilismi inventores esse jactant.* Scotus in 4 dist. 11, q. 6 non agit de probabilitate circa existentiam *legis dubiæ*, sed de majori probabilitate, quod amylum non sit materia apta consecrationis, adeoque sine peccato adhiberi non possit; proin haud apte D. Amort hisce verbis Probabilismum impugnat. Plura in hanc rem vide num. 207.

239. *Nota II.* Opinio magis probabilis seu *probabilior* pro ratione diversæ materiæ agnoscitur: circa *revelata* probabilior est illa, pro qua videtur potius stare revelatio: circa *jus positivum* illa, cui magis favent leges vel consuetudo: circa mentem legislatoris vel *intelligentiam legum* illa, cui magis favent antiqui interpretes, cum hi præ recentioribus fuerint magis propinqui auctoribus legum earumque ab initio interpretes: circa *materias fidei* et *morum* illa, cui favent plus sanctiores quam alii, quia illi magis a Deo illuminantur, et mystica melius discernunt: circa materias *attingentes conscientiam* illa, pro qua stant TT. potius, quam JCti: circa materias *juridicas* illa, in quam potius consentiunt JCti, quam TT., quia cuique in sua arte et professione magis est fidendum; ita La Croix. Cæterum tam probabilitas, quam probabilioritas absoluta præsertim ex duobus capitibus cognoscitur, Ecclesiæ traditione et Doctorum consensione: si enim Ecclesia declarat, aliquam opinionem esse probabilem vel probabiliorem, aut DD. eam ex professo examinantes affirment, eam esse vere ac absolute talem, eam

pro tali habere oportet, cum de hoc majus aut certius judicium haberi nequeat.

Porro multæ opiniones sunt ab Ecclesia declaratæ tanquam vere et absolute probabiles, paucæ velut probabiliores, inter quas duæ potissimum fuerunt speculativæ, altera de infusione virtutum Theologicarum in parvulis per baptismum, altera de immediata conversione aquæ in vinum in calice, quarum hanc Innoc. III, illam Clemens V declaravit probabiliorem, ante Conc. Trid. definitionem. Rursus autem advertendum, quod probabilioritas universim non sit realis, absoluta et objectiva, sed apparens, respectiva et subjectiva : quamvis enim motiva graviora pro oppositis vere in se esse possint; hic tamen excessus ob mentium diversitatem variamque dispositionem vix cognoscitur. Quo fit, ut non solum diversi contradictoria habeant probabiliora, sed etiam unus idemque nunc idem probabile, nunc probabilius putet.

240. *Nota III.* Lis tota vertitur in eo : 1° An licitum sit sequi opinionem, quam operans non quidem absolute judicat esse veram, modo simul habeat judicium modale, quod talis opinio sit vere et comparative probabilis : id quod communis affirmant Probabilistæ? 2° An teneamur sequi opinionem subjective seu respective probabiliorem, h. e. quæ omnibus perpensis operanti videtur esse probabilior : id quod nunc plerique Probabilioristæ cum Thyrso Gonzalez asserunt? Quippe contendunt hi, quod lex directa ei sufficienter sit intimata, cui existentia legis videtur *probabilior,* aut saltem quod efficaciter probari possit, dari in hoc casu legem reflexam, quæ obliget ad partem tutiorem et probabiliorem : id vero negant Probabilistæ; inde contentio magna, et prout viri cordati sentiunt, prope major ac quæ mereatur tantam et ingeniorum et animorum collisionem : nam si de opinione tantum *aliqualiter et probabiliter probabiliore* sit quæstio, parum reputatur pro nihilo, et nisi excessus probabilitatis sit magnus ac manifestus, manet idem moraliter periculum transgrediendi legem; ac prope ridiculum videtur, nefas esse sequi opinionem e. g. triginta gravium auctorum contra totidem alios æque graves; et tamen fas esse eamdem sequi, ut primum accedit unicus nova nec admodum firma ratione instructus. Si de opinione *notabiliter et certo probabiliore* procedit quæstio, vix ullus prudens Theologus opinionem suam affirmabit manifeste et notabiliter probabiliorem, quamdiu oppositam agnoscit *vere* ac *theologice* probabilem, quæ si cessat talis esse, cessat et quæstio.

Nos igitur remotis indecoris crisibus geminæ sententiæ fundamenta ita ponderabimus, ut, quæ ex Scriptura S., SS. Patribus, et *Ratione Theologica* pro aut contra utramque facere videntur, ex ordine ac cum debita moderatione discutiantur, potissimum vero ea, queis Mercorus, Contenson, Berti, Billuart, Concina et nonnulli alii recentiores Probabilismum cum strepitu impugnant, et Probabiliorismum fere cum plausu propugnant.

§ III.

Momenta sententiæ Probabilis et Probabilioris ex S. Scriptura.

241. I. *Dicunt* Probabilioristæ : Deut. 26, 16 mandata Dei debemus custodire *ex toto corde et tota anima* : idipsum exigit lex charitatis, Luc. 10, 27 et Ps. 118, 4 dicitur : *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis,* h. e. quantum unusquisque scit et moraliter potest : atqui id non præstat, qui facit quod probabilius judicat esse contra legem, sicut nemo dicet filium diligere patrem *ex toto corde,* dum facit quod probabilius existimat esse contra voluntatem patris. Matth. 15, debemus audire Christum et non mandata ac doctrinas hominum : Christus autem nec docuit, nec unquam secutus est probabilem minus tutam; ergo Scriptura reprobat usum opinionis probabilis in concursu probabilioris.

Respondent Probabilistæ : 1° His fere argumentis pugnat Sinichius, Wendrochius et alii qua Tutioristæ, qua Rigoristæ : Si probabilioritas, quæ hic defenditur, elidit oppositam probabilitatem tanquam moraliter certa, id ipsum docent Tutioristæ : dum perstat vera probabilitas favens *legi,* Probabilioristæ faventes libertati non diligunt Deum *ex toto corde,* quia agunt cum prudenti formidine legis existentis et obligantis; ergo ipsis etiam hæc solvenda sunt.

2° Textus citati intelligi possunt de duplici obligatione, legem inquirendi, et legem cognitam omni studio observandi : utramque adstruunt Probabilistæ, qui negant licitum esse usum opinionis probabilis, priusquam adhibita fuerit moralis diligentia ad investigandam existentiam legis dubiæ, cujus alias ignorantia foret vincibilis et culpabilis, essetque obligatio sequendi tutiorem; si nihilominus lex manet incerta, utpote cujus certitudinem rationes solum probabiliores, quæ ex gravibus fundamentis solvuntur, non evincunt : quamvis ponant actus, quos putant probabilius contra legem, tamen recte dici possunt observare legem *nimis* et *ex toto corde,* quia parati omnem legem cognitam ut existentem et proxime obligantem implere.

3° Textus citati loquuntur de præcepto certo et de modo implendi legem certam : qui autem sequitur probabilem, facit tantum, quantum scit et potest, ad servanda omnia præcepta reflexe certo cognita, quæ *nimis,* h. e. exacte observat, facturus imprudenter, si absolute crederet se non aliter teneri ad legem dubiam, quam si esset certa. Unde filius, si prudenter judicat suam actionem non repugnare voluntati patris, et quæ occurrunt, rationes oppositas solvit, patrem non offendit, sed vere diligit, quia certam patris offensam declinat.

4° Christus omnino audiendus, et non mandata hominum doctrinæ Christi contraria : de præsenti autem controversia nil definitum a Christo, qui cum omnium rerum notitiam perfectissimam haberet, utique non egit secundum rationes probabiles, sed quæcumque egit, certe licita fuerunt.

242. II. *Dicunt* Probabilioristæ : Eccli. 37, 20 dicitur : *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile* : sed minus probabile, utpote magis appropinquans falso in concursu probabilioris, ne-

quit dici verbum verax et consilium stabile. 1 Thess. 5, 21, 22 : *Omnia probate : quod bonum est, tenete : ab omni specie mali abstinete vos :* sed qui sectatur minus probabilem, non abstinet ab omni specie, h. e. apparentia mali. Eccli. 3, 27 : *Qui amat periculum, in illo peribit :* atqui opinio minus tuta et minus probabilis conjicit in periculum peccandi; ergo est periculosa et sæpe causa interitûs.

Respondent PROBABILISTÆ : 1° Neque PROBABILIORISTÆ habent ante suos actus verbum *verax* et consilium *stabile*, cum veritas et stabilitas desumatur ab objecto sic se habente ut effertur, non a majori vel minori pondere rationum; alias erunt Tutioristæ. Requiritur autem et sufficit verbum, licet non physice, *ethice* tamen *verax* secundum judicium prudens, reflexum, moraliter certum. Communis interpretatio apud Cornel. a Lap. eo tendit, ne quid aggrediamur, nisi post consilium vel ex Scriptura, vel a prudentibus, vel a communi axiomate certo, vel a proprio discursu per rationes non temere excogitatas acceptum.

APOSTOLUS dicit, *omnia probate*, h. e. examinate et discutite; quod agunt Probabilistæ, dum non temere quamvis sententiam cujusvis auctoris, aut ex quacumque ratione sequuntur : *quod bonum est*, dixit, non quod *melius* est; ergo sicut non tenemur ad melius; ita nec ad probabilius : porro legendum est, ab omni *specie mala*, non *mali*, ut patet ex Vulgata et græco textu; hortatur autem fideles, ut abstineant ab omni specie *mali* seu peccati formalis, et ne temere credant pseudo-prophetis, qui propediem instare extremum judicium nuntiant; sed ea solum admittant, quæ Scripturæ et Traditioni consentiunt.

3° Etiam Probabilioristæ, dum præ lege *libertati* favent, amant periculum : si certitudo de honestate objectiva seu absoluta operis in se requiritur; ergo amat periculum et peribit in illo, tum qui sequitur probabilissimum, tum conjux etiam reddens debitum, quando nullitas matrimonii est probabilis : juxta S. ANTONIN., p. 1, tit. 3, c. 10 textus Eccli. 3, intelligendus ad litteram est de homine *duri cordis*, cui prædicitur, quod in novissimo male habiturus sit, quia contemnit periculum æternæ damnationis connexum cum statu peccati mortalis, in quo ob duritiam cordis voluntarie perseverat. Tandem sermo est de periculo peccati formalis et certæ transgressionis contra legem certam *certo* obligantem : vel ut l. c. § 10 docet S. ANTONIN. de dubio proprie dicto, non de formidine conjuncta cum opinione probabili.

243. III. *Dicunt* PROBABILIORISTÆ : 1° Matth. 7, 13. Via, quæ ducit ad vitam, dicitur *angusta* : sed Probabilismus pandit viam *latam*, tum ad varias resolutiones laxas, quarum plurimas BILLUART hic recenset, tum ad multiplex peccatum, a quo probabilitatis prætextus facile excusat. 2° Ignorantia vincibilis legis juxta S. SCRIPTURAM non excusat a peccato operantem secundum illam, uti patet in crucifixoribus CHRISTI, in SAULO ECCLESIAM persequente, etc.: atqui ignorantia PROBABILISTARUM, si contingat ipsos agere contra legem, est vincibilis ac voluntaria, quia ipsis verisimilius est quod agant contra legem; ergo non excusantur a peccato formali. 3° Ipsa nos natura impellit, ut sequamur verisimiliora, et reverentia erga legislatorem exigit, ut, sicut dum major probabilitas stat pro libertate, credimus Deum cedere *libertati*, sic

vicissim, dum major probabilitas stat pro lege, judicemus libertatem adstringi *lege* : sic quippe et legum efficaciæ et fragilitati humanæ consulitur.

Respondent PROBABILISTÆ : 1° Nec via, quam ingrediuntur Probabilioristæ, est valde arcta, et facilis a peccato potest esse excusatio, quia multis, quod vix est probabile, apparet probabilius : nullus SS. PATRUM, aut veterum interpretum explicat textum cit. de *mitiori sententia;* loquitur autem de homine carnali, cui via quam ambulat apparet justa, quia suæ propensioni valde consentanea; idem Hæreticis, Mahumetanis, Idololatris, quorum finis interitus, applicatur. Via illa *arcta* indigitat præcepta divina et evangelica de domandis affectibus, dilectione inimicorum, castitate, etc., quæ satis arctant viam salutis, uti patet in SINENSIBUS, queis idcirco Lex evang. semper visa est difficillima, quamvis ceu sapientem prædicarent. Decisiones, quas refert Billuart, sunt partus Laxismi, non genuini Probabilismi, qui requirit motivum intrinsecum et extrinsecum grave : ad hæc auctores illi tuentur suas sententias ut probabiliores; ergo videntur esse partus Probabilismi. Probabilismus bene intellectus et rite applicatus non est fons *laxitatis,* quamvis illo nonnulli abutantur vel ex defectu intelligentiæ, vel ex malitia, prout abusi sunt multi libris S. AUG. et ipsa S. SCRIPTURA. Si cui vero hoc vel illud scelus videri potest esse licitum probabiliter, cur non etiam probabilius? ergo Probabiliorismus æque patet huic abusui.

2° Qui sequitur probabiliorem faventem *libertati,* relicta probabili favente legi, si contingat ipsum agere contra legem, ejus ignorantia est voluntaria et vincibilis, quia verisimile ipsi erat quod agat contra legem; formaliter ergo peccabit. Per hoc, quod probabile mihi sit legem existere, legem adhuc ignoro; et licet sit probabilius legem existere, hæc tamen probabilioritas est respectiva, tenens se ex parte intellectus, cum interim ipsa res objective sit incerta; proin habetur ignorantia legis invincibilis, qualis non erat illa in allatis exemplis; eorum tamen peccata, quia non ex mera malitia, magis digna fuere misericordia.

3° Natura nos impellit ad verisimiliora, spectando actionem non præcise *secundum se,* sed cum omnibus suis *circumstantiis;* probabilius autem est, permitti a DEO per legem reflexam actionem minus tutam, quando per legem directam probabiliter est licita; ergo operans sequitur verisimilius, nec imprudenter agit, seque conformat regulæ proximæ honestatis, siquidem ad melius et prudentius semper eligendum nulla lege obligemur. Cum *vera probabilitas* requirat adhiberi prius sufficientem diligentiam, ac insuper dictamen ultimum moraliter certum de licentia actionis, per hujusce actionis permissionem nec jus divinum, nec auctoritas legislatoris læditur aut gravatur; si vero Semi-Rigorismus teneret, tanta foret ac tam frequens in taxandis probabilitatibus, et non raro in ipsa rei executione difficultas, ut plurimæ fierent transgressiones legum formales, quæ admisso Probabilismo duntaxat materiales sunt.

244. IV. *Dicunt* PROBABILIORISTÆ : 1° ADAM et EVA peccarunt inducti probabilitate sententiæ, quod lex pœnalis Gen. 2, 17 : *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris,* non obliget in conscientia : item quod lex a jure communi exorbitans, qualis illa fuit rem levissimam sub gravissima pœna prohibens, non extendatur ad personas in ea non expressas, scilicet ad Evam,

quæ, cum lex data fuit Adamo, necdum erat; atque hæ probabilitates haud poterant latere primos parentes omnigena scientia instructos. 2° Saul 1, Reg. 15 formalis ac gravis peccati reum se fecit, quamvis probabiliter putaret se non transgredi præceptum Domini de delendo Amalec, dum vivum servaret Regem Agag ad magnificentiam triumphi, quædam pecora ad immolandum, et nonnulla pretiosa in stipendia militum. 3° Culpatur Roboam 3, Reg. 12, quod spreto seniorum consilio secutus sit consilium juvenum; et tamen istud consilium habuit absque dubio aliquam probabilitatem : non enim erant juvenes tam ætate quam consilio, utpote coætanei Roboami, qui fuit 41 annorum, cum regnare cœpisset; ergo. Sic fere ad litteram Mercorus et Billuart.

Respondent Probabilistæ : 1° Primi parentes omnigena scientia instructi erant; ergo sciebant legem illam *pœnalem* obligare in conscientia, maxime cum fuerit divina; solum autem de humanis movetur dubium inter auctores : et quid demum indignum magis illo primævo statu, quam talis ignorantia? Posse Deum rem levem graviter prohibere, docet lex Mosaica; quod autem hodie id non fiat, in gratiam infirmæ naturæ fit : si tamen fieret, Deus auxiliis gratiæ specialibus naturæ infirmitatem sublevaret. Noverat Adam se transgressione legis fore mortis reum, et id ipsum Adam, vel Deus ipse intimavit Evæ quæ confessa est serpenti Gen. 3, 3 : *De fructu ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis* Deus, *ne comederemus;* mirum ergo, quod Mercorus Adæ et Evæ illam probabilitatem attribuat.

2° Eccur non *probabilius* id putaret Saul, cui totus populus consenserat? Probabile non stat cum certitudine opposita; certum autem fuit 1 Reg. 15, 3. Dei mandatum de Amalec ad internecionem delendo; non ergo locum habuit benigna interpretatio, sicut in legibus Eccl. v. g. de lacticiniorum esu, item ratione prægnantium, senum, etc., cum hæ non ita sint claræ, individuales ac determinatæ ad personam, locum, tempus. Quod simile præceptum Exod. 19 habeatur, etc., 17 per vocem ambiguam *Zaker,* quæ *masculum* æque ac *memoriam* denotat, a Deo exprimatur, nil facit ad probabilitatem, quia oretenus datum est a Samuele, quia punctis hebraicis longissimo post tempore subjectis, per traditionem sensum vocis Saul habuit, et quia masculus fuit Agag, cui Saul pepercit : neque hoc attulit Saul a Samuele objurgatus in sui excusationem, sed voluntatem populi, et ignavum timorem. Potuit facile ac debuit Saul Samuelem adhibere interpretem; id quod in dubio juris requirit Probabilismus; male ergo apud Sixtum Sen. quidam Judæi (non Rabbini, quos cum illis perperam confundit) eum excusant a peccato, cum ipse Saul diceret, *peccavi,* quippe ut populo placerem, ut cupiditati indulgerem, violando præceptum Domini.

3° Male secutus est Roboam consilium juniorum, qui licet ætate maturi et numero plures, tamen responderunt *ut juvenes* 2 Paral. 10, 10, proinde spectatum tam secundum se, quam relate ad consilium seniorum erat improbabile, imo stultum, crudele et noxium Regi : quid enim stolidum magis, quam responso tam duro exasperare populum alias liberum, et penes quem erat facultas sibi Reges eligendi? imminutionem autem *Vectigalium,* quæ sub ultima tempora Salomonis nimis aucta fuerant, jure potuit expetere populus : præsentissimum insuper periculum fuit, ne populus inique vexatus a Roboamo desciscceret, regnumque deferret Jeroboamo, jam pridem

intento omni occasioni struendi sibi regnum : demum *bona fides*, quæ hic gratis supponitur, malum imminens avertere non poterat, sicut eadem relate ad Deum ab omni peccato operantem excusat.

245. V. *Dicunt* Probabilioristæ : 1° Poterat excusari probabilis Ozæ pietas, extendentis manum ad arcam Dei, ne caderet; at percussus a Deo cecidit ipse. 2° Num. 22, 12. Balaam etsi mandatum a Deo accepisset, *noli ire cum eis, neque maledicas populo*, tamen rursus a Rege Moabitarum invitatus non acquievit, donec quamcumque permissionem eundi cum legatis a Deo obtineret; verum ab asina tandem meliora edoctus resipuit : ita Probabilistæ, quia contra obligationem legis probabilius existentis quodcumque sibi dictamen formant, ut suæ cupiditati indulgeant, instruendi et ipsi ab asina Balaami. 3° Juxta Probabilistas licet se conformare aliorum sententiæ probabili, quamvis meam illi oppositam judicem esse probabiliorem; ergo licuit etiam Pilato se conformare judicio populi et Pontificum, itaque se potuit excusare. Hæc Berti et Billuart.

Respondent Probabilistæ : 1° Nec Oza sacerdos erat, nec quia paululum declinaverant boves et arca, periculum lapsus erat : si fuit periculum, sacerdotes advocandi erant; egit ergo, teste S. Scriptura, ex præcipitantia et inconsulto zelo, quod utrumque vera probabilitas recusat : uti vero Oza egit temere, ita fortassis ii etiam, qui ex illius facto Probabilismum impugnant, quod factum æque imputari Probabiliorismo potest.

2° Asina Balaami si non jocum, certe amaritiem sapit : neutrum probatur Probabilistis, cum nec jocus argumento pondus addat, nec acerbitas scriptorem commendet. Præceptum 1^um^ non eundi et maledicendi Israelistis erat clarum et certum, 2^um^ fuit mera permissio a Deo subirato facta; non ergo potuit vera probabilitas stare cum certitudine opposita : præterea malo fine elegit iter Balaam ex avaritia et cupiditate auri ac honorum, quos affectus malignos omnino excludit Probabilismus.

3° Pilatus habuit de Christi innocentia tum *privatam* Matth. 27, 18 et 19, tum *publicam* Luc. 23, 4..... 15..... 22, secundum allegata et probata certissimam *scientiam;* judex etiam juxta Probabilistas debet favere reo et sequi probabiliorem, nec potest condemnare nisi certum sit crimen, nec alterius tribunalis sequi judicium potest, sed suum, si ab inferiori ad superius fiat appellatio : atqui Pilatus fuit judex, crimen in Christo non fuit ostensum, facta ad eum appellatio; ergo.

§ IV.

Momenta sententiæ Probabilis et Probabilioris ex SS. Patribus.

246. I. *Dicunt* Probabilioristæ : S. Greg. Naz., orat. 27 ait : *Atque plerisque secus videtur, inquies; quid vero mea interest, qui rei veritatem magis curo, imo solum curo, hoc enim me vel condemnaverit, vel absolverit.* S. Basil. in Psal. 61 stateram, qua utamur ad discrimen boni et mali, docet liberum arbitrium ratione directum, non opiniones hominum, de quibus scriptum est : *Mendaces filii hominum in stateris;* ergo non licet sequi auctoritatem extrinsecam. S. Chrysost., hom. 13, in 2 ep. ad Cor. ait : *Vulgi opiniones ne*

circumferamus, sed res ipsas expendamus; quomodo enim non absurdum, propter pecunias aliis non credere; sed ipsas numerare et supputare, pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter, præsertim cum habeamus acutissimam trutinam divinarum legum assertionem. Addit Billuart ex hom. 44 in Matth. *oportet circumire populum omnes DD., et inquirere, ubi sincera veritas Christi venumdatur, et ubi corrupta.* Hom. 7, c. 2 in ep. ad Coloss. verbis Pauli : *Ne quis vos decipiat secundum traditionem hominum,* subjungi advertit Chrysostomus : *Hoc autem, ut nemo vos decipiat in probabili sermone;* ergo SS. PP. reprobant Probabilismum.

Respondent Probabilistæ : 1° S. Greg. ait curandam esse veritatem, si certa et aperta est, et quæstio nostra est de casu, quo veritas certo non cognoscitur : loquitur autem de suis *obtrectatoribus,* qui ambitionis eum insimulabant ad insulas Constantinopolitanas, aitque se propriæ conscientiæ fretum testimonio non curare judicia hominum : denique si verba rigide accipias, erit curanda veritas, relicta etiam communissima et probabilissima sententia, id quod favet Rigoristis.

2° Etiam Probabilioristæ requirunt auctoritatem extrinsecam. Probabilioristæ reipsa sequuntur liberum arbitrium ratione, h. e. judicio moraliter certo determinatum; si vero illa ratio debet esse *speculative certa,* hæc neque in Probabiliorismo datur.

3° Textus *prior* S. Chrysostomi stricte sumptus videtur exigere ipsam rei veritatem, et ne probabilius judicium hominum admittere : mens S. Doctoris est, res a nobis agendas, non esse præcise judicio aliorum relinquendas, sed adhibendam a nobis ipsis sufficientem diligentiam, quam et Probabilistæ requirunt. Exemplum quod affert, est de iis, quæ non pendent a judicio hominum, sed ex re ipsa, v. g. an pecunia sit valida, justa, vel non, quæ si debitam materiam non habet, per meum quodcumque judicium non fit bona, sicut actio alia moralis : loqui autem videtur de illo errore *vulgi,* quo divites pauperibus feliciores censentur, quamvis toties æternum *væ* illis Veritas intentaverit.

Alter textus non est Chrysostomi, sed cujusdam Ariani, qui vel auctor, vel certe corruptor erat illius operis imperfecti, cui plures inspersæ hæreses v. g. Spiritum S. esse ministrum Filii, animam baptismo aquæ non sanctificari, etc.; sermo autem est de inquirenda fide, ut patet ex subjunctis : *Et omnium confessiones cognoscere, et veriorem eligere :* sed in fidei inquisitione agitur de aliquo necessario necessitate medii, ubi nec probabile, nec probabilius quidquam juvat. Neque subsistit paritas de vestimento, cujus bonitas a meo judicio etiam probabilissimo non dependet. In *tertio* loco non Paulus subjungit, nec Chrysostomus memorat illa verba, nec legit Vulgata, in *probabili sermone* sed in *sublimitate sermonum;* Chrysostomus allegato utroque textu Pauli ait : *Tunc postea subjungit reprehensionem, et dicit, nemo ergo vos judicet in cibo aut potu.*

247. II. *Dicunt* Probabilioristæ S. Aug., L. 3 cont. Academicos, c. 16, refellit hoc eorum principium : *Cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec errat, nec peccat;* et hom. 11, inter 50 ait : *Ecce dat tibi securitatem procurator : quid sibi prodest, si paterfamilias non acceptet?... securitatem tibi procurator dedit, nihil valet securitas procuratoris;* ergo nihil prodest, erratur et peccatur, si probabilem sequamur. 2° L. 1 de Bapt. cont. Donat.,

c. 3 et 5, illud adstruit axioma; *In his, quæ pertinent ad salutem, tene certum, dimitte incertum.* 3° L. de Doctr. Christ., c. 8, pro discernendis et admittendis *Scripturis Canonicis* statuit, præferendam esse sententiam quæ habet plures et graviores auctoritates; ergo a fortiori in agendis, ubi est periculum majus. 4° Epist. 154 ait : *Si quis putaverit bonum esse, quod malum est, et fecerit hoc putando, utique peccat;* ergo a fortiori, qui fecerit quod putat esse malum.

Respondent Probabilistæ : 1° Differunt Academici a Probabilistis quoad hæc illorum *axiomata,* non dari veritatem apertam, sed in puteo latere; omnia in hoc mundo esse incerta et dubia; quod verisimile apparet in actione teneri posse, at sine mentis assensu : nam Probabilistis datur *veritas* naturalis et supernaturalis, *certitudo* evidens in naturalibus et infallibilis in rebus fidei, datur *assensus* et adhæsio mentis ad multa vel ceu vera, vel ceu probabilia, probabiliora, probabilissima; ac demum non sufficit ipsis quæcumque veri *apparentia* et vaga probabilitas, sed vera, certa et theologica requiritur, non quidem ut regula, sed ut suppositum quo nititur dictamen ultimum moraliter certum. Differunt quoad *sequelas,* quæ sunt, non esse discrimen inter honestum et inhonestum, et quidlibet posse esse honestum; nihil posse esse improbabile, cum nulla detur certitudo; licere cum dubio practico, et ex quavis veri apparentia agere; quæ omnia negant Probabilistæ. Differunt quoad *systema* Academicorum, quod in eo erat, nos non debere esse sollicitos in veritate indaganda, quæ inveniri non potest, cum omnia sint incerta, sed ubi vel minima adsit species veri aut honesti, id licere; Probabilistæ autem requirunt absolute diligentem inquisitionem veritatis, et hac non detecta, inquisitionem rationum et auctorum gravium, simulque immunitatem ab omni opposita certitudine; nullo igitur jure Probabilismus Academicus cum Scholastico comparatur. In hom. 11, cit. demonstrat Augustinus impiis non resipiscentibus æternas a Deo pœnas decretas esse, quæ cum de fide certæ sint, non utique illa vox procuratoris : *Vive, quomodo vis, dominus te non perdet,* ab iis securitatem præstare valet.

2° L. 1 cont. Donat. affert casum de *Baptismo* et hom. 41, inter 50, alium de *Pœnitentia;* atque in utroque tenet axioma : *tene certum,* h. e. baptizare potius in Ecclesia Catholica, quam apud Donatistas, et noli differre pœnitentiam; *dimitte incertum,* quia securus non est a peccato, qui a Donatistis baptismum suscipit, neque securus vadit, qui suam pœnitentiam ad extremum differt; agitur itaque de necessariis necessitate medii ad salutem, quæ cum potius *rem ipsam,* scilicet Sacramenti necessitatem respiciant, nec probabilissimum sufficit, sed tutum requiritur. In nostra materia non tenet, quia probabilius non est certum, utpote adjunctam habens formidinem; et licet certum sit eum, qui sequitur probabiliorem, non peccare, incertum tamen est dari obligationem sequendi; sicut licet sequens tutiorem non peccet, tamen sententia inducens obligationem non est tutior. Sane Aug. si ubique præscripsisset sequi certum et tutius, licet oppositum sit probabilius aut probabilissimum, Tutiorista fuisset rigidissimus; igitur regulam duntaxat posuit pro iis, quæ pertinent ad salutem, ceu media *absolute* necessaria, maxime cum sententia Catholicorum tam certa erat, ut Donatistarum sententiæ plane nulla esset probabilitas.

3° S. Aug. ipse in aliis materiis hoc principium non tenet, cum dicat,

quod a Deo inspiratis quidem semper reverentiam habeat, credatque, sed non aliis, nisi ratione persuadeatur : agit hic de probanda Traditione circa libros canonicos, ubi Patres et Ecclesiæ non se habent instar *auctorum*, sed instar *testium;* sicque bene ait, debere credi Traditionem, ubi testes conspirant : si secus intelligas; ergo majorem auctoritatem sequi oportebit, non attentis rationibus intrinsecis, quod nec ipsi Probabilioristæ admittunt.

4° Probabilistæ non putant esse malum, dum partem, quam ob graves rationes eligunt, sequuntur : nam judicio vel absoluto vel modali adhærent ei quod sequuntur, et judicio moraliter certo sese ultimo determinant, non obstante majori probabilitate quam facile solvunt; neque *probabilius* judicant verum, sed id, quod sequuntur, verum dicunt.

248. III. *Dicunt* Probabilioristæ : S. Bern., L. de præc. et disp., c. 14, n° 35 ait : *Ut interior oculus vere sit simplex, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, et in electione veritatem.* Ibid., n° 40 : *Sive itaque malum putes bonum quod forte agis, sive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum est.* S. Leo in ep. ad Rust. docet, *ut in his, quæ vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelii contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum.* S. Bonav., Tom. 2, opusc. de progr. Relig. processu 5, c. 12 : *Dubia interpretatio præcepti,* ait, *est periculosa, sicut pons semi-putridus : voluntas bona plana via, regia et secura debet incedere, relictis dubietatum diverticulis, quasi suspectis latronum semitis.* Alex. Alensis, S. Bonaventuræ magister, in Summa p. 2, p. 112 de Ign. cas. 8 : *Quæritur,* inquit, *de illo qui dubitat de aliquo contractu; utrum sit Simoniacus, necne, ex eo quod quidam auctores dicunt esse Simoniacum, et quidam negant; quid ergo sit facturus, cum ignoret? Respondetur ei, abstinendum esse ab hoc contractu, ne se committat discrimini; melius est enim, ut incidat in damnum temporale, quam spirituale :* atqui hæc omnia pugnant cum sententia probabili; ergo.

Respondent Probabilistæ : 1° Textus prior probat adversus Probabilioristas : nam qui sequitur probabilius, si falsitas subsit, non habet oculum *simplicem* ac *veritatem :* qui sequitur probabilem, non credit id, quod sequitur, esse falsum, et alterum verum; scivit namque rationes probabiliores, et cum falsa sæpe sint probabiliora veris, judicat simpliciter id, quod sequitur, verum esse : addit Billuart, *in quantum potest,* sed non probat : si textus uterque, ut jacet, sumitur, probat errorem etiam invincibilem non excusare.

2° S. Lep stat pro nostra sententia, in qua ostenditur, quod lex speculative dubia practice sit nulla; neque verus Probabilista ullus sequitur aliquid contrarium Scripturæ; SS. Patribus, aut Traditioni, quæ certitudinem quamdam faciunt : potest sententia duntaxat probabilis habere pro se tum SS. Patres, tum S. Scripturam, etsi non clarissimam, et nihilominus altera ex aliis rationibus esse probabilior, cujus etiam argumenta ex Scriptura et Patribus desumpta facile illa solvit.

3° Distinguitur dubium ab opinione, ibidemque loquitur S. Bonav. de præcepto claro, contra quod affertur interpretatio dubia, quæ legem de possessione non deturbat; patet ex contextu quem omisit Billuart, ubi dicitur, quod, sicut secularis damnatur ob fornicationem, sic Professus ob religionem, si sciverit, quod in regula præcipitur, quæ regula est certa : affert exemplum Evæ, cui præceptum erat clarum, et interpretatio serpentis dubia.

4° Alensis loquitur de dubio *practico*, prout contextus probat, quem studio videtur omisisse Billuart : *Hoc est, in malum minus;* ubi vero tale dubium est, versatur quasi in statu perplexo, ubi minus malum eligendum est. Eodem modo explicandus est Scotus nimirum de *practice* dubitante, ac negligente ea quæ ad salutem pertinent.

249. IV. *Dicunt* Probabilioristæ : S. Thomas Quodl. 8, a. 13, item 9, a. 15 ad quæstionem : an peccatum sit habere plures præbendas, non conjunctas cum cura animarum? varia ponit principia, quæ Probabilismo neutiquam favent : nimirum hanc quæstionem ambiguam esse, spectando jus sive naturale sive positivum, multa tolerari quæ dum ad judicium ducuntur reprobantur, illud semper esse malum quod agitur contra legem, neque excusari per hoc, quod est secundum conscientiam, peccare illum qui plures habet præbendas, si contra opinionem magistrorum communem agit, quia agit contra legem Dei, etc. S. Antonin., p. 1, tit. 3, c. 10, § 10 docet, in dubio peccati mortalis, sublato dubio, adhærendum esse opinioni alicujus Doctoris ex rationibus, quæ sint *magis probabiles*, quam pro parte opposita... item in dubio formandam esse sibi conscientiam et credulitatem de eo, quod credit tanquam de *probabiliori* parte ; ergo.

Respondent Probabilistæ : 1° S. Thomam stare pro nostra sententia, liquet ex alibi dictis : multa in cit. quodl. sat clara sunt, quæ Probabilismo non officiunt, aliqua vero obscuriora, et neque hæc ad mentem D. Thomæ rite intellecta Probabilistis adversantur : docet autem, quod pluralitas beneficiorum, licet ex natura sua difformitatem quamdam involvat, tamen possit honestari per certas rationes, ut sunt, necessitas vel utilitas Ecclesiæ, quæ ubi adsunt, opus non est et dispensatione quæ ad jus naturæ non pertinet : circa jus positivum fere idem decidit ita ut, nisi accedant rationes, ea beneficiorum simultas fieri minime possit, quam ibi comparat cum percussione et occisione hominis, quæ *per se* illicita, duntaxat in malefactore fit licita : cæterum intelligi debet, ut ait S. Antonin., *de his, ubi manifeste patet ex* Scriptura, *vel* Ecclesiæ *determinatione, quod sit contra legem, et non de illis, ubi non apparet, alias sibi contradiceret in eodem libro.* Loquitur ibidem de dubio *practico*, quo quis putat, ex eo quod intrinsecam rationem oppositam non habeat, se contra communem magistrorum sententiam retinere eas præbendas posse; non de *speculativo*, quod etiam in probabiliore sententia esse potest quoad dictamen saltem directum, licet quoad reflexum habeatur certitudo adhæsionis, non infallibilitatis, quia hanc qui habet, non inducitur in dubitationem, de qua ibidem sermo est D. Thomæ. Ad dubium *practicum* non requiruntur principia reflexa, sed sufficit non adesse judicium certum sive ex directis, sive ex reflexis rationibus. Cætera, que ex D. Thoma affert Billuart, nihil evincunt, quia non spectant ad operantem, sed ad sententiam *in se* spectatam.

2° S. Antonin. requirit rationes *magis probabiles* reflexas vel directas : non enim exprimit probabilius directum, statimque addit : *talis enim non operatur in dubio peccati mortalis, sed secundum opinionem probabilem;* et regula 7ª (ponit autem hic 4ªm) declarat, quod, dum adest diversitas opinionum, possimus sequi partem benigniorem secundum ἐπιείκειαν : dicit ibidem, libere sequi nos posse quamcumque opinionem, si modo *hæc tria*

habeat, ut non sit contra Scripturam et definitionem Ecclesiæ, ut eligat aliquam partem et non maneat dubius, ut formet sibi conscientiam, sive dictamen ultimum certum, deinde τὸ *probabilius* non est sumendum stricte, quia SS. PP. sæpe exprimunt positivum per comparativum, v. g. *video meliora, et deteriora sequor;* nec ante exortam hanc de probabili et probabiliori sententia controversiam ita vocibus inhærebant. In contextu, quem fere mutilavit Billuart, requirit *notabiles* Doctores, non vero notabiliores; ergo sicut non requirit opinionem extrinsece, ita nec intrinsece probabiliorem, sed præcise vult, ut non sit contra expressam Scripturam vel definitionem Ecclesiæ.

Ibidem affert casum de confessario, quem dicit *sequi posse sententiam sui pœnitentis fundatam in consilio peritorum (non peritiorum), et de quibus ex vita probabile est (non dicit probabilius) quod non consulant, nisi bene.* Loco cit. ait : *Eligere viam tutiorem, consilii est, non præcepti;* agit autem de materia præcepti : Ad quæstionem de *Montibus Pietatis* suo tempore agitatam respondit : *Quod autem probantes esse illicitum, asserant esse tutius sequendum, hoc verum est de honesto et meriti majoritate;* non ergo de præcepto.

Demum ibidem dicit : *Ex responsis, quæ videntur data ab* Alberto M., *habetur, quod frater simplex, aut quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo Doctoris magni opinionem sequatur;* hæc assertio habet duplicem auctoritatem Alberti M., et S. Antonini : nec solum loquitur de illitterato, sed de quovis homine, et per Doctorem magnum juxta Joannem Nider coævum S. Antonino non intelligitur Doctor Ecclesiæ, sed alius peritus; falsum etiam est, quod fiat homini, qui consulit Doctorem, per hoc *probabilior,* quia pari jure dicam quod fiat moraliter certa, sicut de materia *fidei* dictum est, ubi judicium requiritur certum, sed pro rudibus sufficit certitudo respectiva.

250. *Observa.* SS. Patribus Billuart subnectit antiquos TT. plures, quorum sententias non repugnare Probabilismo disces tum ex Probabilismo geometrice demonstrato an. 1747 a Minorita Italo, tum ex appendice in Theol. Moral. P. La Croix a P. Zacharia S. J. an. 1753. Romæ editis. Anton. Corduba circa ortum Probabilismi scripsit, ut ait Billuart, tutiorem esse tenendam, et in hoc DD. omnes consentiunt; verum hoc citatur ex *Ethica Amoris* Romæ, in Gallia et ubique rejecta, quam scripsit Henricus a S. Ignatio aperte Jansenianus : in hoc autem consentiunt omnes DD. non quod debeamus tutiorem vel probabiliorem sequi, sed quod sequens probabiliorem, maxime si doctus non sit, uti Corduba prob. 4ª dicit, excusetur per ignorantiam invincibilem. Vasquez de S. Thoma et Henrico dicit, quod videantur consentire Probabilistis, de Cajetano et Armilia, quod sint Tutioristæ, de Navarro et Soto, quod loquantur solum de Probabiliorismo tenendo in causa *judicis, medici,* etc., S. Antonin., Cordub., Adrian., Conrad., Scotum, Majorem et plures alios allegat ceu Probabilioristas, quod tamen negat Suarez. Falsum est, quod Vasquez unum Medinam citet pro sententia probabili, cum T. 1, in 1, 2, disp. 62, c. 4, n. 14 dicat : *Veram igitur existimo sententiam, quam sequitur* Medina, *quæque jam in scholis et ante communis fuit;* cum ergo annis 20, post Medinam ita scribens dicat jam tum et ante communem fuisse

sententiam Medinæ, necesse non erat plures auctores addere. Sane si Probabiliorismus fuisset antea communis, plures se Probabilismo opposuissent, neque tot viri diversissimorum ingeniorum in uno fere momento conspirassent in idem principium ratione Probabilismi.

§ V.

Momenta sententiæ Probabilis et Probabilioris ex Ratione Theologica.

251. I. *Dicunt* Probabilioristæ : 1° Opinio non manet probabilis, si concurrat cum probabiliore : opinio probabilis est, quæ nititur solido fundamento, et ad assensum ab homine gravi obtinendum apto : atqui talis non est minus probabilis, quia ad hanc requiritur, ut ejus fundamenta non modo non superentur a contrariis, sed et contrariorum vim elidant, quod probabiliori, non vero minus probabili convenit. 2° Ex minus probabili operans judicat suam actionem esse malam : nam actionem esse malam judicat, qui judicat suam sententiam falsam : sed qui oppositam videt probabiliorem, suam judicat falsam, cum probabiliorem judicet veram; ergo. 3° Sententia Probabilistarum repugnat in terminis, quia repugnat approbari a mente opinionem quam revera improbat : sed qui dicit opinionem esse minus probabilem, eam revera improbat et rejicit, cum mens ei non possit acquiescere; ergo. Ita Tournely.

Respondent Probabilistæ : 1° Vera probabilitas consistit in eo, quod pro se habeat motiva *gravia,* quod contra se nihil *certi* habeat, quod argumenta contraria *probabiliter* solvat, quæ conveniunt etiam minus probabili in concursu probabilioris. Sententia licet probabilior essentialiter incerta est, ut patet ex definitione Probabilis; ergo non elidit probabilitatem sententiæ probabilis oppositæ, cum hæc habeat rationem gravem : alioquin opiniones probabilioribus oppositæ forent improbabiles, et assensus illis præstitus temerarius, quod dici non potest, quia SS. PP. Aug. et Hier., Scholarum magistri et Scholæ celebres assentiuntur, et assensi fuerant opinionibus, quarum oppositæ defendebantur ab aliis tanquam *probabiliores;* imo neque D. Thomas, Bonav., Scotus et alii Scholarum principes, neque integræ jam Scholæ possent dicere suam sententiam probabiliorem, aliam vero adhuc probabilem; uti v. g. teste Ilsung communissima docet, advocatum posse patrocinari causæ minus probabili contra probabiliorem, etc.

2° Nec minus, nec magis probabile connectitur absolute cum falsitate, sed utrumque cum veritate saltem apparenter, cum habeat speciem veritatis aptam movere ad assensum prudentem ob motivum grave; quamvis ergo major sit connexio apparens cum veritate in magis, quam in minus probabili, tamen minus probabile non potest dici connexum cum falsitate; hinc quam male confundatur minus probabile cum falso aut magis falso, patet ex hoc syllogismo : Omne minus probabile est magis falsum et minus verum, probabilius autem et minus falsum et magis verum : sed juxta omnes TT. et Ph. *plura falsa sunt probabiliora veris;* ergo plura falsa sunt magis vera, et multa vera sunt magis falsa; ergo falsum est, omne probabilius esse magis verum, et minus probabile esse magis falsum minusque verum. Præterea Probabilistæ dum opinantur adhærendo suæ parti, partem oppositam non

judicant esse veram, sed dissolutis ejus argumentis falsam, et suam esse veram judicant. Si qui admittunt, opinionem judicio directo probabilius posse judicari falsam, ii negant, quod judicium hoc *speculativum* de falsitate opinionis corrumpat actionem, et quod operans proprie agat contra suam conscientiam, si nihilominus habeat judicium *reflexum* certum de honestate practica suæ actionis, et permissione legis consequentis.

3° Si repugnat ibi, ubi datur sententia manifeste ac notabiliter probabilior, stare veram probabilitatem oppositam, evertitur status quæstionis. Etsi vero mens dicat suam sententiam minus verosimilem, non tamen dicit *falsam*, ut patet ex dictis. Non etiam talis admitteret ipsum peccatum sibi licitum esse vi hujus syllogismi : Hanc actionem ponere est peccatum : sed mihi licitum est hanc actionem ponere; ergo mihi licitum est peccatum : nam est vitiosus, cum τὸ *hanc actionem ponere*, in *Maj.* sumatur ceu objectum judicii *directi*, et in *min.* ceu objectum judicii *reflexi*. Quin et Probabilismus non minus fugit transgressionem legis, quam Probabiliorismus, cum quo pariter stat probabilis formido legis exstantis, quique moraliter plus faceret ad evitandam transgressionem, si tutius eligeretur.

252. II. *Dicunt* Probabilioristæ : 1° Principia, queis nititur Probabilismus, non sunt certa, neque ab omni prudenti dubio libera, nempe hæc : omne judicium probabile, hoc ipso quod sit probabile, est prudens : et lex non obligat, nisi sit satis manifestata : atqui si non sint certa, non possunt esse regula morum et principia, unde deducantur dictamina practica; ergo. 2° Vel ipsa nostra mens et conscientia testatur nos ultro et facile amplecti hanc regulam : cum opiniones probabiles concurrunt, eligenda est tutior si est probabilior; e contra si nullo præjudicio præoccupati simus, testatur nos hærere et abhorrere ab ista : cum opiniones probabiles concurrunt, licet amplecti minus tutam et minus probabilem. Ita P. Daniel.

Respondent Probabilistæ : 1° *Generatim* : Si est obligatio sequendi probabiliorem; ergo illa habetur a lege, vel humana, vel divina, vel naturali : nullam vero saltem formalem assignare possunt Probabilioristæ; ergo non datur obligatio. Si legem naturalem virtualem et deductam dari de sectando Probabiliorismo asserant; ergo illius obligatio oriri potest, vel quia *intellectus* per se et absolute determinatur ad assensum parti probabiliori præstandum, quod falsum esse constat ex num. 264 : vel quia *voluntas* imprudenter ageret, amplectendo minus probabilem præsente probabiliori opinione, quod itidem falsum est ex num. 267 : vel quia *excessus probabilitatis* exigeret assensum probabiliori præstandum : sed 1° paucæ sunt opiniones manifeste et notabiliter probabiliores, et de quarum excessu certo constat : 2° probabilioritas universim est tantum *respectiva* et apparens, non autem realis et *absoluta;* unde et quæ olim habebantur probabiliora, nunc subinde sunt improbabilia, qualis fuit sententia olim communissima, docens, solemnitatem votorum religiosorum esse juris divini, non ecclesiastici, et de essentia status religiosi, quæ nunc certo falsa est ex Bulla Greg. XIII. *Ascendente Domino* : 3° quia etiam opinio probabilior est assensus incertus et fallibilis, ac præterea multa falsa sunt probabiliora veris : 3° denique quia hæc exigentia undaretur vel in lege aliqua, vel in ratione prudentiæ, vel alia obligatione; unde recurrent eædem denuo rationes in contrarium.

2° *Speciatim* : Cum P. Daniel sit Probabiliorista mollior, edicat quænam principia certa habeat, cur in æque probabilibus eligere audeat minus tutam, neque ipsius mens abhorreat ab ea propositione : In æque probabilibus licet sequi minus tutam, quamvis opposita sit tutior? plane idem nobis hic respondere licebit. Porro moraliter certum est utrumque principium : 1^um^ enim, nisi statum quæstionis subvertere liceat, recte affirmat etiam minus probabile manere in concursu probabilioris *vere* et *solide*, probabile, adeoque prudens etiam, ut ipsa definitio et rationes nostræ manifeste probant : 2^um^ etiam omnino tenet, quia prudenter dubitari non potest libertatem nostram esse in possessione, et præire quoad vim obligandi omnem legem; item nequit dubitari, quod ex certa possessione dejici non possit etiam per probabilius argumentum, si modo ad moralem certitudinem illud non accedat et limites probabilitatis non egrediatur, prout argumentis non contemnendis et responsione plus quam probabili ostensum. Denique quod illum mentis nostræ sensum et conscientiam attinet, fateor id nos forte prima fronte experiri, qui et securitati omnimodæ saluti studemus, et ad perfectionem gratiæ Dei instinctu vocamur. Si vero fundamenta utriusque sententiæ, quæ utpote multum *reflexa* non statim occurrunt, recte perspiciamus, si aucta plurimum ex immoderato rigore pericula salutis cogitemus, absque præjudiciis etiam et cupiditatis impulsu rectæ prudentiæ lumen sequemur, et ex iisdem principiis, quibus Tutiorismum aversamur, benigniorem sententiam amplectemur.

253. III. *Dicunt* Probabilioristæ : 1° Major probabilitas est sufficiens *promulgatio* legis, qua major communiter haberi non potest; qui ergo solum probabiliter judicat legem non existere, is per ignorantiam invincibilem non excusatur si lex reipsa existit, cum legis existentia ei manifeste verisimilior proponatur. Ad hæc lex naturæ posita a Deo fuit in statu *naturæ integræ*, ubi necdum tanta erat difficultas eam cognoscendi; in statu autem naturæ lapsæ amantibus se Deus dat uberes gratias illam difficultatem superandi, quæ tamen si sit nimia, hoc ipso non obligat. 2° Qui novit opinionem tutiorem et probabiliorem, agnoscit eam potius eligendam, cum ex eo quod agnoscat motiva graviora, judicare debeat eam partem præhabendam; ergo non habet fundamentum sufficiens ad eligendam minus probabilem. 3° Imprudentis est videre meliora et probare, sed deteriora sequi : qui vero in concursu inæqualiter probabilium eligit minus probabilem, ita agit; ergo. Item quamvis liceat *minus perfectum* eligere relicto magis perfecto, quia minus perfectum certo constat esse licitum, id eligere non licet relicto probabiliore.

Respondent Probabilistæ : 1° Id ipsum in quæstione est, an major probabilitas sit sufficiens *promulgatio* legis, id quod plerique DD. negant. Equidem ad sapientiam Dei pertinet, ut leges plerique innotescant secundum rationem explicitam et generalem, non item secundum omnes rationes, circumstantias et casus particulares fere innumeros, pro quibus omnibus determinare licitum vel illicitum, superat humanam fragilitatem : porro respublica humana optime foret constituta, nec Deus formaliter offenderetur, si modo servarentur leges certæ, et Dei sapientia plus non exigit, quam ut plerisque innotescant prima juris naturalis principia, et observentur leges

quas proxime vult obligare, nimirum illæ de quarum existentia prudenter dubitare non possumus. Neque verum est, quod ordinarie haberi nequeat major notitia legum quam probabilior, cum plurimæ leges ex lumine rationis, ex fide, ex jure positivo nobis *moraliter certo* innotescant; raro autem aut vix contingit, ut sententia inter auctores controversa sit manifeste ac notabiliter probabilior : hinc P. Mayer, quamvis semi-rigorista præcipuus, fatetur se in universa Theologia vixdum quatuor ejusmodi sententias reperire : dantur vero vel apud Dianam 3000 quæstiones inter doctos controversæ, quas inter certo plurimæ sunt *comparative* probabiles.

Sæpissime autem habetur notitia solum æqualiter, aut quasi æqualiter probabilis, quæ juxta Probabilioristas rigidiores ad obligationem proximam non sufficit; itaque Probabilismus non inducit ad peccata materialia, minus ad formalia : sed sicut ignorantia invincibilis stricte dicta, ita et minus stricte dicta, h. e. dubium invincibile a peccato formali excusat, dubium vero cujus vincendi non datur obligatio, est invincibile, sicut illud dicitur moraliter vincibile quod potest et debet vinci; ergo. Quantumvis in statu *naturæ integræ* legem naturæ Deus tulerit, eam tamen nunquam proxime obligare voluit, nisi morali diligentia sufficienter cognitam : hæc autem difficultas eam cognoscendi, in statu naturæ lapsæ per gratiam ordinariam non tollitur, extraordinaria non est omnibus parata, et præparatio ad illam valde ardua est.

2° Stantibus etiam motivis gravioribus directis et speculativis, possunt accedere motiva reflexa et practica, ob quæ liceat minus probabile præferre probabiliori.

3° Minus probabile dici nequit *deterius,* intelligendo per illud positive malum aut imprudens, sed intelligendo minus bonum et prudens, quamvis semper positive bonum et prudens : jam vero non est obligatio demonstrabilis eligendi semper *prudentius* et *prudentissimum.* Denique si qua a nobis paritas ponitur inter minus perfectum et minus probabile non ponitur quoad certitudinem *directam* de honestate operis, sed quoad libertatem eligendi et prudenter quidem; certum quippe est, quod vere probabile sit prudens et licitum.

254. IV. *Dicunt* Probabilioristæ : 1° Libertas satis restringitur hoc ipso, quod motiva *graviora* suadeant eam restringi : atqui hoc suadet probabilior; ergo. Item si voluntas libere posset eligere minus probabilem, et uti principio reflexo, eo quod non satis constet restringi libertatem, ratio eligendi fundaretur in libitu voluntatis, quod dici nequit. 2° Ex obligatione sequendi probabiliorem, non sequitur *nimia difficultas,* imo seligere probabilem theologice præ tenuiter probabili, æque difficile est, cum in praxi nullum detur sufficiens criterium veræ probabilitatis a spuria. Neque requiritur, ut quis sequatur absolute probabilius, sed quod post sufficientem diligentiam operanti videtur probabilius. 3° Judex, medicus, professor præsertim Theologiæ debent sequi probabiliora, quin tamen illa difficultas obstet; ergo.

Respondent Probabilistæ : 1° Motiva *graviora* adeo non restringunt libertatem, quia præter possessionem libertatis datur pro ea tum grave motivum opinionis probabilis, tum principium reflexum, quod illa major apparentia directa et speculativa non sufficiat, ut in praxi obligetur libertas; præterea ex voluntatis in intellectum imperio patet, non esse obligationem judi-

candi secundum motiva quæ apparent *graviora*. Electio etiam minus probabilis ultimato resolvitur in voluntatem prudenter agentem ratione motivi directi ex parte intellectus, et reflexi ex parte voluntatis; quin, si postremum etiam absit, recte sumitur pro principio resolutivo, quod libertas non restringatur, ubi de restrictione non satis constat, quia non est imponenda obligatio sine certa ratione, ut ait D. THOM. quodl. 9, a. 15 addens : *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.*

2° *Nimia difficultas* non est tam ratio nostra quam signum, ex quo colligimus non dari legem obligantem ad probabilius; si autem in cognoscenda vera probabilitate sit difficultas gravis, eccur onus illud Probabilioristæ aggravant magis? facilius vera probabilitas, quam certus et notabilis illius excessus detegi potest : nam licet multæ opiniones hodie ob novas rationes sint antiquatæ, multæ improbabiles factæ per definitiones Pontificum; tamen in praxi illam scies vere adhuc probabilem, quæ docetur ab integris scholis, vel auctoribus illius ætatis omni exceptione majoribus; item quæ continetur in aliqua SUMMA per diuturnam et communem approbationem recepta, quin constet eam esse antiquatam : imo ea saltem regulariter, quæ in publica academia a viro docto traditur, nisi prudens ratio contra illam occurrat.

3° Disparitas est universim, quia hæc difficultas, utpote hominibus doctis imposita, facilius vinci potest quam illa, quæ omnibus etiam rudibus dictatur; speciatim vero de *judice :* is enim sæpe potest suadere compositionem partibus, potest uti principio, *melior est conditio possidentis,* judicat de alio, non autem de se ipso, in quo non est tanta difficultas. Ad hæc in *criminalibus* etiam judices non tenentur sequi probabiliorem, juxta quam nullum condemnare possunt, sed semper reo favere debent : in *civilibus* quidem tenentur sequi probabiliorem, quia respublica vel partes litigantes ineunt cum judice hoc quasi pactum, ut sententia feratur juxta merita causæ, et si veritas non appareat, partem magis probatam eligat; ast contra nec ratione confitentis, nec ratione confessionis lex ejusmodi vel ab Ecclesia vel a Christo statuta est. De *medico :* is in morbis ordinariis, si habet notitiam, facile scit remedia probabiliora : si non habet experientiam propriam, facilius ejusmodi notitiam reperiet ex librorum testimonio, quia notitia hæc, utpote ab experientiis nata, etiam per aliorum experientiam haberi potest. In *extraordinariis* iisque rarioribus satisfacit utique, si adhibeat media quæ sibi probabiliora videntur, cum ab eo non exigatur, ut notabiliter probabiliora, quæ raro medici determinare possunt, adhibeat. De *professore :* is contentus esse debet, si post competentem diligentiam inveniat sententiam aliquando probabiliorem, cum viri doctissimi ordinarie non audeant suas tanquam notabiliter et clare probabiliores proponere, imo quo plus materiis præsertim moralibus student, eo plus dubitant.

255. V. *Dicunt* PROBABILIORISTÆ : Probabilismus fovet *laxitates* morum et fidei corruptivas : 1° Quia vix occurrit casus, circa quem non sint duæ opiniones contradictoriæ et probabiles : unde vix ullis legibus adstringemur, et pro lubitu suos quisque mores componet, præsertim cum non requirat rationem solidam, quæ sit talis in se et coram DEO; sed quæ talis *appareat* quibusdam viris, quos ipsi doctos censent : 2° Quia ad veram probabilitatem ipsis

sufficit, eam defendi a tribus aut quatuor auctoribus, quos supponunt doctos, et de quibus *præsumunt*, quod eam opinionem non sequantur sine ratione, uti CARD. de Aguirre fatetur his verbis : *in probabilismo velut in pulvino molliter quiescebam :* 3° Quia si talis probabilitas sufficit ad honestatem actionis, poterit quis tuto permanere in sua *secta*, quam probabilem putat. Ita Billuart.

Respondent PROBABILISTÆ : 1° Neque pro sententiis laxis stat *vera* probabilitas, neque hæc est *mere* apparens, quod utrumque falso supponit Billuart; auctores vero eosdem requirimus, quos Probabilioristæ : vero Probabilismo non sufficit quævis auctoritas, sed rationes is etiam considerat et probitatem Doctorum, quos inter illis plus defert qui sanctiores et a DEO præ aliis illustrati fuere. Id potius laxum videtur, quemlibet relinquere suo cerebro sæpe haud satis expurgato, et nescio quos excessus probabilitatis sibi fingere, quamvis alii doctrina et numero ad minimum pares cum integris scholis reclament. Profecto Semi-Rigorismus haud satis eliminat *laxitatem* opinionum : e. g. negat Thyrsus Gonz., in confessione exponendum esse numerum objectorum etiam totalium in quæ quis una voluntate tendit, etsi communior affirmet, ac tempore Di Castillo unanimis fuerit. Docet Muniessa, non esse peccatum mortale in statu peccati mortalis distribuere SS. Eucharistiam, et tamen hanc esse sententiam paucorum ac nullatenus admittendam, ait Castro Palao; et sic de aliis.

2° Falsum est Probabilismum reponi in tribus aut quatuor auctoribus, quos ipsi doctos putant, et in *præsumptione rationum* : quippe docti examinare ipsi debent et auctoritatem et rationes, quamvis indocti et rudes sententiæ Doctoris vel Parochi acquiescere debeant, id quod non tenet apud Probabilioristas, quia sicut rudes deberent semper eligere probabilius, ita etiam semper inquirere Parochum doctiorem et pientiorem. Auctoritatem CARD. de Aguirre satis declarant P. Mansi et P. de Solis; etiam pro sententia probabili stant viri sancti, FRANC. SALES., et CAROL. BORROM., qui ep. 70. Parochis præcipue commendavit librum P. Reginaldi S. J. *de prudentia Confessarii*, in quo PROBABILISMUS docebatur; item P. Segneri, Franc. de Hieronymo aliique proximi canonizationi.

3° Cum, ubi certum obstat, enervetur probabilitas, infideli vera de sua secta nequit esse probabilitas, quia fides certa opponitur; imo si fides probabilior est, nequit illius sententia esse *subjective* probabilis, quia hoc ipso tenetur ulterius inquirere; et certus quilibet est, in eligenda religione non dari probabilitatem, sed debere principium certum elucere : si manet in sua infidelitate, ut sit securus, deberet sibi facere dictamen practicum certum; id vero non potest, quia non agitur de actionis honestate et licentia, sed de religione quæ est medium necessarium ad salutem, nec a meo judicio dependet; atque hoc ipsum pugnat adversus P. Billuart. Cæterum hic ipse f. 566 et 569 optimas pro nostra thesi probationes et objectionum solutiones suppeditat. Plura huc spectantia dispersim reperies in superioribus.

256. *Observa I.* Probabilioristarum hæ sunt *obligationes* : 1° Inquirere debent in sententiam probabiliorem magna cum diligentia : sententia debet illis esse probabilior ex propria peritia : idque sine præjudicio et affectu; quæ sane obligatio cum tantum diligentiæ, doctrinæ et liberi animi requirat

in Probabilioristis, omnino difficilis est. 2° Cum hæc obligatio sit *universalis*, maxime quidem ad doctos pertinet : ad indoctos vero etiam; rudes autem per seipsos nequeunt dignoscere manifestam ac notabilem illam probabilioritatem, proin ex aliorum judicio amplecti illam debent : facile autem eveniet casus, quo rudis audiat a suo confessario hoc esse illicitum, ab alio confessario esse licitum, quid tum rudis? potest uterque confessarius esse pietatis ac doctrinæ omnino æqualis; in hoc ergo casu miser ob perplexitatem conscientiæ neutram opinionem eligere potest, sed Tutiorismum sequi debet, quia nulla ipsi esset probabilior; atque hoc modo rusticus feret sententiam circa sententiam pro gravissimarum scholarum diversitate diversimode decisam.

3° Christiani fideles nequeunt inquirere in *excessum* probabilitatis; semper ergo tenentur eligere confessarium, qui omnes alios doctrina et pietate antecellat, qui velit et possit omnia præstare ad quæ probabilius tenetur; quanta difficultas? si pœnitens est *rudis*, nequit confessarius Probabiliorista permittere, ut sequatur minus tutam solum probabilem : si pœnitens est *doctus*, forsan uti confessarius probabiliorem, ita pœnitens probabilem tenet : quid tum confessarius? vel debet pœnitens suam sententiam deponere, ita ut nolit eam amplius tenere, idque exigente confessario Probabiliorista : vel Probabiliorismus non potest esse regula pro dirigendis sive propriis, sive alienis conscientiis; hinc

257. *Observa II.* Quoad directionem conscientiarum *uniformitas, certitudo et praxis* videtur deficere in Probabiliorismo : nam 1° pro diversitate ingenii diversa est sententia, et quæ ab hoc probabilior, ab aliis habetur duntaxat probabilis; quin adeo unus idemque confessarius (varia enim pro temporum varietate et habitu sive conditione mentis et corporis judicia hominum sunt) mutabit suam opinionem, ac proin eosdem pœnitentes nunc obligare nunc deobligare tenebitur : nempe agitur hic de majori probabilitate *subjectiva* et pro æstimatione varia; hinc monet Gerson, quod non ita debeamus fidere scientiæ nostræ, ut non cognoscamus illius infirmitatem; ergo unica regula potest esse vel Tutiorismus favens legi, vel Probabilismus favens libertati.

2° Haud facile discerni potest quænam sit probabilior, cum ad hoc ponderari debeant rationes, numerari auctoritates, et institui judicium inter integras scholas, quod vel doctis difficillimum, indoctis moraliter impossibile est. Incertum etiam est quænam sit probabilior : vel enim cognoscetur ex ratione, vel ex auctoritate : at tunc; ergo vel prout rationes inveniuntur apud auctores : sed horum quidam has, alii alias afferunt, aliorum rationes solvunt et rejiciunt; vel prout nobis apparent : sic autem probabilioritas devolvitur ad proprium judicium, cui, ut monent DD., SS. PP., et Ascetæ, *nimium ne fidas* : sæpe enim laborat præjudicio, sæpe agitur passione, aliove affectu sinistro : hujus v. g. sententiæ patroni non possunt consuli, quia multorum scripta vel non sunt edita, vel non sunt ad manum : deberet accurate examinari, utrum ii auctores ipsam illam quæstionem debita cum diligentia tractarint; an *incidenter* et *oscitanter* : in Summulis, ubi duntaxat reperiuntur auctores, sæpe unius tantum scholæ auctores recensentur; aliis prætermissis, etc.; ergo dubia est probabilioritas, nec fundare regulam certam potest.

3° Denique *praxis* videtur obstare : nam judices multis sæpe annis detinentur in decidenda lite : sed in confessione vel *statim* dicitur sententia, sicque statim decidendum quænam ratio alteri præponderet, et quænam pars in probabilitate excedat; vel *non statim* fertur sententia, sicque pœnitentes sæpissime dimittendi essent sine absolutione, iis abstinendum a mensa Eucharistica, etc. : primum confessario, alterum pœnitenti difficillimum est, et ipsa illa consultatio timoratis *scrupulorum*, liberioribus vero *laxitatum* foret occasio; ergo hæc sententia in praxi tanta cum difficultate conjuncta nequit esse regula, cum CHRISTI jugum suave et onus leve sit. Ita arguunt Probabilistæ.

ARTICULUS V.

DE PROBABILISMO.

§ I.

Præcognita de opinione Probabili.

258. *Nota.* Diversissimas notiones *Probabilis* discernere cumprimis oportet Theologum, ut genuina PROBABILISMI SCHOLASTICI idea eruatur; dein fundamenta hujus sententiæ præcipua, nec non obligationes ejusdem statuendæ; præcipue vero disquirendum, sitne unquam reprobatus ac prohibitus a Sede Apostolica genuinus PROBABILISMUS; porro ubi et quibusnam Probabilismi usus non sit licitus; ac demum an ejusdem usus etiam sit licitus relate ad opinionem minus probabilem alienam, decidendum est; de singulis agemus per distinctos §§; hic vero de Probabili generatim.

259. I. Probabile sumitur tripliciter : 1° In sensu *Academicorum*, quod inferat actionem sine consensu, eo quod nulla dari possit scientia, et ubique periculum sit errandi; hos expugnavit S. AUG. 2° In sensu *Philosophorum*, quod ut plurimum accidit, et qualemcumque veritatis speciem præ se fert; cum hoc fere incidit *Oratorium*, de quo TULLIUS : *nihil tam improbabile, quod non ab oratore probabiliter proponi possit :* 3° In sensu *Theologorum*, quod fundatur in motivo respective et absolute gravi; atque de hoc nobis duntaxat sermo est. Itaque opinio probabilis est assensus fallibilis quidem et incertus, nixus tamen motivo absolute et respective gravi. Dicitur *assensus*, per quod differt a dubio quod suspendit assensum intellectus : *fallibilis*, respective ad objectum quod non est evidens aut evidenter cognitum, et ad motivum quod non fundatur in auctoritate divina vel humana certo cognita : *incertus* relate ad subjectum, quia adhæsio intellectus rei probabiliter cognitæ non est certa seu firma : *nixus motivo*, nam si ex præcipitantia, affectu aut præjudicio quis fertur in aliquid, erit potius motio voluntatis, quam lumen intellectus : motivo *gravi*, quod etiam apud timoratos meretur assensum : *absolute* gravi, quod post maturum quoque examen et sedulam discussionem adhuc meretur assensum : et *respective* gravi, quod rationibus sententiæ oppositæ comparatum suam vim et robur non amittit.

Equidem non requiritur, ut sententia opposita tibi sit probabilis; requiritur tamen 1. ut non sit *certa*, h. e. nixa principio certo, vel S. Scriptura,

Traditione, definitione Ecclesiæ aut Pontificis, communi persuasione SS. PP., lege clara civili vel ecclesiastica : hæc enim certitudo tuum motivum enervat et elidit : 2. ut sententiæ oppositæ rationes non quidem certo, at probabiliter et prudenter possint dissolvi.

260. II. Opinio ratione *motivi* est vel *intrincese* probabilis, quæ nititur ratione gravi cum ipso objecto connexa et desumpta ex ipsa natura rei, licet non sit convincens illa ratio : vel *extrinsece* probabilis, quæ nititur auctoritate quam TT. et Canonistæ faciunt; Scriptura autem sacra ob infallibilem connexionem cum natura rei ad motiva intrinseca reducitur. Auctoritas extrinseca non debet ratione destitui, quia auctores ideo merentur fidem, eo quod afferant vel supponantur afferre rationes graves; non vero requiritur communis consensus auctorum, sed multi per se loquendo faciunt probabile, plures probabilius; dixi, *per se,* quia in auctoribus non tam numerus, quam eorum qualitates æstimantur, sicut in Capitulo non semper ad majorem numerum, sed ad partem saniorem attenditur, et juxta S. Aug., L. 2 *de doctr. Christ.,* graviores auctores æquivalere possunt pluribus non ita gravibus : sunt autem illorum dotes, *fides catholica,* quia alienus a fide non movetur ab evidentia credibilitatis nostræ Religionis, sed vel ex malitia, vel ex errore; *doctrina,* ne possit fieri exceptio imperitiæ contra ipsum : *prudentia,* quæ temeritatem excludit et socordiam in rebus diligenter examinandis : *probitas,* ne suspicio fraudis ac deceptionis in illum cadat; his tamen ornatus potest in quadam particulari sententia pati exceptionem : 1° si alicubi omnino *improbabilem* vel *damnatam* sequatur : 2° si forte sit Summista, et non afferat rationes *suas,* sed aliorum exscribat motiva; talis non est omni exceptione major, quia potest esse prudens suspicio, an aliorum sententias rite intellexerit et pensaverit. Subin partium, novitatis vel antiquitatis studio nimium sunt addicti, subin bonus dormitat Homerus, subin accidit, ut plures auctores unum quemdam ut *grus gruem* sequantur.

Universaliter loquendo unus auctor nequit facere sententiam probabilem, uti constat ex prop. 27ª ab Alex. VII damnata : *Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apost. tanquam improbabilem* : dixi, *universaliter loquendo,* quia contingere potest ut unus auctor afferat rationes tam graves, ut sententia aliqua ab aliis rejecta, quia non satis fuit cognita et pensata, novarum iterum rationum accessione vere probabilis fiat. Axioma illud : *Tantum valet auctor, quantum ejus ratio,* potissimum locum habet apud Philosophos et JCtos, quia non ita laborant in detegendis notis, aut moribus vel pietate auctorum, modo allata ratio subsistat; in moralibus autem debet posse præsumi, quod auctor ita scripserit, sicut coram Deo existimavit.

261. III. Probabile dividitur : 1° Ratione *gradus* in probabile, probabilius et probabilissimum; probabile in *magis* et *minus* probabile; hoc vel est minus negative probabile, et dicitur *improbabile,* sicut minus negative prudens dicitur imprudens; illud indicat opinionem quæ nititur motivo gravi : gradus probabilitatis ipsa Ecclesia admittit, declarans in Conc. Vienn. *certum gradum probabilitatis,* circa illam quæstionem, an parvulis in baptismo infundantur habitus fidei, spei et charitatis, tum temporis necdum definitam.

Porro in *absolute* probabile, h. e. relate ad omnes ac plerorumque prudentum judicia, et *respective* probabile, h. e. respectu alicujus certæ dispositionis intellectus : probabilitas respectu rudium est auctoritas vel Parochi, vel Directoris conscientiæ. 2° Ratione *objecti* in *speculative* probabile, quod nititur motivo gravi, sed in praxin deduci nequit : et in *practice* probabile, quod spectatis omnibus circumstantiis probabile habetur; sic cerevisiam tenuem esse materiam validam baptismi, item valere formam illam, *absolvo te,* omittendo, *a peccatis tuis,* est speculative probabile, quod tamen in praxi non tenet extra casum necessitatis.

Male a Jansenistis præcedenti seculo traducta est hæc divisio, cum *speculative* non statuatur quid in praxi aut consideratis omnibus circumstantiis alicujus actionis fieri debeat; quæstiones autem ejusmodi *speculativæ* recte traduntur, ut sciatur quid faciendum in casu necessitatis.

262. IV. Probabile ratione *modi,* aliud est probabile *certo,* cujus probabilitas certo innotescit, aliud *dubie* probabile, de cujus probabilitate dubitatur, aliud *tenuiter* probabile, et hic terminus non imminuit, sed tollit probabilitatem, quia solum in apparenti verisimilitudine fundatur. *Certo* probabile habetur : 1° si alii dicunt quid probabile, alii idem probabilius dicunt : 2° si sint diversæ auctoritates, quarum una negat quod altera affirmat, in hoc tamen, quamvis alias diversæ, conveniunt. *Probabiliter, dubie,* ac *tenuiter* probabile non potest pro dictamine practico servire, quia inde non potest formari syllogismus, cujus præmissæ sunt certæ.

263. *Observa.* Multæ olim probabiles hodie sunt improbabiles : amittere autem possunt suam probabilitatem : 1° Per inventas novas rationes intrinsecas antea incognitas. 2° Ob communem auctorum nunc consentientium. 3° Ob damnationem Pontificum. Omnis ergo damnata a Pontifice amittit probabilitatem saltem *practicam,* licet sit desumpta ex aliquo S. Patre, cum PP. singuli eam infallibilitatem non habeant quam habet Papa; et nonnisi communis SS. Patrum consensus est locus theologicus. Vide prop. 30, ab Alex. VIII damnatam.

Probabilitas haberi potest utrinque ex motivis vel *æqualibus*, desumptis ex iisdem locis, v. g. ex S. Scriptura : vel *inæqualibus,* quæ ex diversis locis eruuntur, v. g. auctoritas diversarum scholarum fundata in diversis motivis intrinsecis. Unum motivum aliud sententiæ oppositæ motivum elidere potest vel *perfecte,* si omnem vim movendi tollat, vel *imperfecte*, si quidem vim movendi imminuat, non tamen penitus enervet. *Notabiliter* probabilius, quando habetur major excessus probabilitatis, vel est ita probabilius, ut pro opposita parte nulla sit prudens ratio, v. g. hanc hostiam esse rite consecratam, hunc, quem colo patrem, meum esse genitorem; et hoc est *speculative* probabile, at *moraliter* certum : vel ita est notabiliter probabilius, ut pro opposita parte sit etiam motivum grave, et de hoc sermo est ac fuit hactenus.

Motiva *æqualia* se invicem elidunt, redduntque intellectum immotum, sicut duo pondera bilancem, et testes ejusdem fidei, quorum neuter movet, si uterque sit de visu, *cap.* 9, *de Probat.;* potest ergo intellectus a voluntate physice quidem determinari, non tamen prudenter determinabitur. Secus

inæqualia, qualia plerumque sunt, quæ habent vim movendi disparatam et se invicem, hoc in ista, illud in altera linea excedunt. *Notabiliter* major probabilitas probabilem minorem oppositam non destruit, quia illa non est certa, et hæc esset saltem negative improbabilis, ita ut tenens ejusmodi probabilem temere ageret, etc. Sententia, quæ asseritur ut *certa*, per argumenta tantum probabilia potest impugnari; quæ ut *probabilior*, non potest oppugnari per argumenta probabilia, quia utrumque potest simul stare, et probabilius non elidit probabile : ut si quis intus judicet, B. V. esse cum labe conceptam (1), hic debet suam opinionem censere probabiliorem, et oppositam ratione cultus publici tenere probabilem; sententia demum *probabilis* per argumenta certa oppugnari debet.

§ II.

An duæ partes contradictoriæ possint simul probabiles apparere intellectui, isque prudenter assentiri probabili in concursu probabilis vel probabilioris?

264. *Nota I.* Quæstio hic est de simultanea probabilitate, non veritate, e. g. probabile est exprimendas esse in confessione circumstantias intra eamdem speciem aggravantes, et probabile etiam est non esse exprimendas, ubi non habetur contradictio, quia modus non negatur. Intellectus determinari potest ad assensum vel ab *objecti evidentia*, de qua hic non agitur : vel a *voluntate* in obscuris, directe vel indirecte, vel *physice*, ubi simpliciter consideratur potestas voluntatis, vel *moraliter* sive prudenter, si fiat cum ratione. Si motiva sunt *æqualia*, vel *nulla*, v. g. an stellæ sint pares vel impares, nequit voluntas determinare intellectum ad unum præ altero, quia se mutuo elidunt : si sunt *dissimilia*, et utraque pars solum probabilis, potest sicut ex duobus bonis æqualibus hoc vel illud eligere, ita physice saltem ad hanc sententiam præ illa determinare intellectum qui non determinatur ab objecto. Idipsum potest voluntas in concursu probabilioris : nam nihil obstat ex parte *voluntatis*, quæ in obscuris subditum sibi habet intellectum, et sæpe eligit minus bonum præ majori, v. g. delectabile præ honesto; ergo etiam potest eligere minus præ magis probabili : nihil ex parte *intellectus*, cum non habeatur certitudo, probabilitas non elidatur, et per minus probabile intellectus æque possit invenire veritatem : neque ex parte *objecti*, quod non cognoscitur evidenter.

265. *Nota II.* Prudentia est habitus secundum rectam rationem electivus; eligere ergo secundum rectam rationem, est prudenter agere secundum virtutem. Actus prudentiæ sunt *consilium*, sive eubulia, quæ ex communibus rationibus suadet : *judicium*, seu synderesis, quæ ex altioribus et specialibus rationibus judicat actionem aliquam esse ponendam vel omittendam, sicque dicitur virtus intellectualis : *præceptum*, secundum quod, utpote ad voluntatem spectans, dicitur virtus moralis. Quælibet virtus habet actus *elicitos*, qui cum immediate procedant ab ipso habitu, semper certi sunt ac scientifici : et *imperatos*, qui cum mediante voluntatis imperio proveniant,

(1) Nunc est *de fide*.

sunt incerti ac fallibiles, v. g. in judice volitio elicita procedendi secundum allegata et probata, est certo bona ac virtuosa : si dein secundum allegata et probata procedens, condemnat reum, potest falli, quia reus potest esse innocens. Equidem omnis virtus habet *medium rationis*, quod per rationem determinatur, e. g. temperantia, quantum cibi sumendum sit ; justitia tamen commutativa, v. g. in mutuo, habet *medium rei*, quod sit in ipsa re, atque hoc est indivisibile, prout D. Thomas et TT. omnes admittunt. Quod prudentia medium rationis divisibile habeat, inde est, quia aliqui sunt magis dispositi, per *medium rationis* rem inveniendi, vel quia ingenio, vel quia longiori experientia præstant ; sicut ergo in omni virtute ratione medii potest haberi actus virtuosus, virtuosior et virtuosissimus : ita potest etiam haberi actus *prudens, prudentior* et *prudentissimus*. Sicut qui solvit pretium infimum juste agit ; qui medium, justius ; qui summum, maxime ab injustitia remotus est : sic a pari de illo medio rei argumentamur ad *medium rationis*, vi cujus actus aliquis virtutis speciem retinet, quantumvis medium illud non attingat proxime.

266. *Dico I.* **Idem intellectus potest habere partem utramque contradictionis, tanquam probabilem.**

Prob. 1° Intellectus ex neutra parte potest habere principium certum : potest autem cognoscere, quod pro utraque parte stet auctoritas et ratio gravis ; ergo utrumque potest habere probabile. 2° S. Aug. utramque illam sententiam de quotidiana communione ita exponit : *Licet quotidie communicare, quia quotidie peccamus : non licet quotidie communicare, ut sic melius nos præparemus ad S. Communionem :* utraque est probabilis ; ergo teste Aug. utraque pars contradictionis potest eidem intellectui apparere probabilis. 3° Idem homo potest esse amabilis ratione justitiæ, et odibilis ratione libidinis ; ergo a pari. 4° Possum sententiam aliquam *directe* asserere, et simul cogitare *reflexe*, oppositam esse probabilem, v. g. in illa sententia de immaculato conceptu Virginis ; ergo habetur hic simultas probabilitatis, non probabilitas simultatis, seu simultaneæ veritatis.

267. *Dico II.* **Intellectus potest prudenter assentiri opinioni probabili, quantumvis opposita sit etiam probabilis vel probabilior.**

Prob. 1um. Qui agit ex motivo gravi, agit prudenter, quia agit secundum rectam rationem quam vir sapiens determinat, et quæ virum sapientem determinare potest : atqui talis agit ex motivo gravi, quod virum prudenter movere potest ad assensum ; ergo prudenter. *min.* constat ex dictis n. 263 et 264 : nimirum habetur motivum grave : unum non elidit aliud : dantur in omnibus disciplinis sententiæ æquiponderantes, de quibus DD. dicunt : *Elige, quod vis* : præter rationes directas possunt movere intellectum rationes vel generales ex *eubulia*, honestas, jucunditas, utilitas vel speciales ex *synderesi*, v. g. si sit hæc sententia propria scholæ meæ, si superior suadeat : quia magis consulitur libertati conscientiæ : servatur jugi Christi suavitas : tolluntur scrupuli : ratione mei et proximi declino multa incommoda : est magis ad captum : magis allicit homines ad bona opera : quia sine necessitate non debet suscipi onus tam grave, et proximo imponi, etc.

Prob. 2um. Medium rationis in prudentia habet suam latitudinem, et potest esse actus prudentiæ, licet non sit prudentissimus ; ergo agit prudenter,

quia ex motivo absolute et respective gravi, quia probabiliter solvit argumenta opposita, etc. *Conf.* 1° Qui solvit pretium summum, agit justissime et qui infimum solvit, adhuc juste agit; ergo a pari. 2° Hæc illatio : Sententia ista est probabilior; ergo opposita non potest esse probabilis : nec tenet *vi formæ,* quia alias omne comparativum destrueret positivum, quod est falsum, siquidem nobilius non evertat id quod est nobile : nec *vi materiæ,* nam qui nubit virgini, bene facit, qui non nubit, melius facit; idemque valet argumentum de omnibus consiliis Evangelicis ; ergo.

§ III.

Quæ sint obligationes et fundamenta præcipua Probabilistarum?

268. *Dico I.* **Obligationes** eorum, qui sectantur Probabilismum, sunt : 1° Inquirere debent in rei veritatem diligentia proportionata, ut opinio sit certo, solide et practice probabilis; proin requiritur sufficiens doctrina, qua possit rite discerni inter rem et rem, inter rationem prudentem et leviorem. 2° Absit negligentia respectu doctorum; rudes vero eligant viros doctos et pios; hæc tamen obligatio videtur esse major apud Tutioristas et Probabilioristas, ut dictum num. 224 et 256. 3° Exulent præjudicia, ne, quod leve est, reputetur grave : absit zelus immoderatus, et ne sint laxiores, dum alios volunt convertere. 4° Cedat procul motivum humanum, v. g. alteri placendi : ex ratione, non ex commodo agere convenit. 5° Non eligant, sed evitent auctoritates non authenticas, et considerent num forte suæ probabilitati obstet quid certum : attendant num unica forte ratio sit in quadam paritate, quia in materia legum non ita tenent paritates, cum ex paritate unius legis ad alteram non possit fieri argumentum. Porro perspiciant an non tota ratio sit mera subtilitas, et quidem talis, quæ juxta sensum communem non ita obtinet; tum enimvero ejusmodi sententia tanquam suspecta de vera probabilitate esset habenda. Denique consensus communis facit probabilem interdum probabiliorem. Hanc, nempe probabiliorem, tenetur exponere is, a quo consilium petitur, ne loquatur contra veritatem.

269. *Dico II.* **Præcipua fundamenta** Probabilismi sunt sequentia :

I. *Dicunt* Probabilistæ : Neque jus naturæ, aut recta ratio, neque jus positivum aperte dictant, legem *dubiam,* qualis est lex etiam *probabilius* existens, si graves pro parte opposita stent rationes, proxime obligare; incredibile etiam est, tot ac tantos omnium ætatum et ordinum viros doctissimos æque ac pientissimos per sesquiseculum et ultra, etiam post ingens studium et accuratissimum examen, hanc legem naturæ universalem ad omnes homines se extendentem non cognovisse. Si vero Probabilismus repugnat juri divino, ut quid impune docetur per tot secula in monasteriis, libris, academiis, ac etiamnum Romæ, sciente et tacente R. Pontifice, supremo capite Ecclesiæ quæ columna est veritatis?

Respondent Probabilioristæ : Quam legem nosse non volunt Probabilistæ, norunt DD. alii, numero saltem pares, probitate ac conditione etiam majores. Constat vero aliunde, Probabilistas circa objecta moralia non fuisse

præditos recto judicio, quia plures illorum propositiones, quin et apologiæ Probabilismi damnatæ fuerunt. Natura nos ipsa impellit ad verisimiliora; Deus autem potuit hanc legem condere; ergo sicut talem condidit circa alia media salutis, ita quoque circa licentiam actionis; hinc SS. PP. passim docent, *quemlibet debere indagare veritatem, omnia studiose inquirere, videre, quid legi divinæ magis conveniat, arbitrium regere ratione, non rationem arbitrio, non quamlibet consuetudinem esse recipiendam, nec quamlibet auctoritatem esse tutam regulam operandi, sed etiam in probabili sermone timendam esse deceptionem, neminem reliquendum in ignorantia, eo quod error in judicando justo inducat periculum damnationis.* Quod Roma, Pontifex, Ecclesia taceant, adeoque saltem implicite approbent Probabilismum, haud satis verum est, cum is videatur ab Alex. VII et Innoc. XI, fere in terminis confixus, imo, recentius per litteras encyclicas Bened. XIV, ac moderni etiam Pontificis judicio reprobatus.

270. II. *Dicunt* Probabilistæ : Lex sive antecedens, sive consequens non obligat *proxime,* nisi sufficienter *intimata,* maxime si obligatio sit universalis et admodum difficilis, sine ratione valde efficaci non imponenda : sed quamdiu sententia minus tuta manet vere probabilis, non est sufficienter intimata lex obligans ad tutiora et probabiliora, quia de ejus existentia adhuc dubitari prudenter potest, et legitima intimatio præcipue colligitur ex communi sensu DD., qui ex hactenus dictis multo magis favet Probabilistis; ergo lex non existit proxime obligans ad tutiora et probabiliora : nam obligatio faciendi supponit obligationem sciendi, eaque, quia proportiones et gradus probabilitatis utrinque conferri exacte deberent, uti frequentissima foret, sic et difficillima.

Respondent Probabilioristæ : Lex illa sufficienter est *intimata,* quam a Deo latam esse, notabiliter et manifeste probabilius est : alias si hæc notitia non sufficeret, impune violari possent leges plurimæ reipsa existentes, adeoque committi peccata formalia. Illa certe ignorantia non est invincibilis, cui notitia manifeste verisimilior opponitur, vinci ergo potest ac debet, quia de gravi obligatione et formali offensa Dei agitur. Quidni pari jure prætendas ignorantiam aut dubium invincibile legis, quando sententia favens legi est unice probabilis? Non ergo semper requiritur moralis certitudo, sed sufficit major probabilitas de existentia legis, quam S. Thomas vocat *certitudinem probabilitatis,* et S. Antonin., *certitudinem civilem* vel ethicam, adeoque reipsa moralem quamdam certitudinem; atque hunc fuisse sensum communem DD. illius temporis, testatur Terillus.

271. III. *Dicunt* Probabilistæ : Hæc obligatio esset *noxia* potius quam *utilis,* quia cum mille anxietatibus, perplexitatibus et periculis conjuncta : non autem videtur, quod spectata hominum imbecillitate suavis Dei providentia, ob sui honorem, ac bonum quoddam spirituale hominis forsan eventurum ex observatione legis dubiæ, hominem velit subjicere tantis incommodis et tot periculis formalis ac gravis offensæ Dei, quæ illa obligatio per se et ex natura sua inferret; ergo cum aliunde non satis constet, hanc obligationem legis aut naturalis aut divinæ existere, merito præsumitur quod Deus eam non tulerit.

Respondent PROBABILIORISTÆ : Obligatio sequendi probabiliora non est admodum difficilis, et nequaquam noxia : nam 1° Necesse non est scire, an hæc vel illa opinio sit *absolute* et *in se*, sed an sit *comparative* probabilior; si adhibita sufficienti diligentia in indaganda veritate manifeste advertas, te multo magis trahi ad assensum opinionis tutioris, jam cessat difficultas in agnoscenda majori probabilitate : si vero id non advertas, datur moraliter æqualis probabilitas, et sic licet sequi minus tutam : demum ad taxandos gradus probabilitatis non requiritur omnia inter se fundamenta utriusque opinionis comparare, sed ea tantum, quæ per moralem diligentiam circumstantiis proportionatam hic et nunc operanti occurrunt. Nonne semper et accurate examinare, an opinio sit certo probabilis, induceret in infinitas anxietates?

2° Potius licentia sententiæ probabilis *noxia* est, sicut origo laxitatum, ita morum corruptela, quia cum naturæ vitio ad laxiora propendeant homines, vix erit opinio stans pro libertate, pro qua non excogitent rationes probabiles, itaque omnia vitia sub prætextu probabilitatis sibi fingant esse licita; hinc BASIL. in Ecclesiæ corruptos mores refert illud Judic. 17, 6 : *Unusquisque, quod sibi rectum videbatur, illud faciebat.* Ad hæc si licite agit, qui minus probabiliter; ergo a DEO frustra petitur notitia legum, frustra TT. disquirunt veritatem opinionum, imo dissensio inter DD. esset bona, et facile quivis regendis conscientiis præfici posset; igitur percommoda et salubris est obligatio tutiora et probabiliora sequendi, contra quam si quando peccatur, id fit *per accidens*, neque ex difficultate obligationis infertur, cum aliunde notum sit dari leges valde difficiles.

272. IV. *Dicunt* PROBABILISTÆ : Opinio minus tuta et minus probabilis, quamdiu est theologice probabilis, manet simpliciter tuta, ut constat ex doctrina D. Thomæ et S. Bonav., quam plures summi Pontifices vocant *benedictam, divinam, certam doctrinæ Christianæ regulam*, quæ publice doceri ac in praxi teneri possit, quamvis in moralibus sæpe doceant propositiones contradictorias, quæ certo ambæ non sunt æqualiter probabiles, minus probabiliores; ergo non reprobat Ecclesia Probabilismum, adeoque hic non est fons omnium laxitatum, sed tuta in praxi norma honesti esse potest; ergo qui sequitur sententiam vere probabilem, agit *prudenter, inculpabiliter, utiliter.*

Respondent PROBABILIORISTÆ : Sententia tutior, simulque notabiliter ac manifeste probabilior sic elidit vim motivorum sententiæ minus probabilis, ut hæc non amplius maneat comparative, certo et practice probabilis, sed fiat *tenuiter* probabilis : nam quantum illa accedit ad veritatem, tantum hæc recedit, adeoque manifeste et notabiliter deficit a veritate et probabilitate; nequit ergo esse *certo* probabilis, sicut non est certo affirmabilis. Pontifices doctrinam SS. Thomæ et Bonaventuræ laudarunt; sed non ea auctoritate approbarunt, ac si utraque esset a quocumque errore immunis : id voluere PONTIFICES, quod in eorum libris nihil contineatur fidei ac morum doctrinæ aperte contrarium, proin cuivis licere sequi sententiam D. Thomæ aut S. Bonaventuræ, si spectatis omnibus videatur probabilior. Cæterum Probabilismus repugnat spiritui SS. Patrum, Rom. Pontificum, Emin. Cardinalium et Episcoporum, qui nunquam juxta minus probabilem aut dispensant, aut respondent; ergo qui sequitur probabilem, non agit *prudenter*, quia se

exponit periculo peccandi : non *inculpabiliter*, quia cum dubio aut ignorantia facile vincibili operatur : non denique *utiliter*, quia anxietates et perplexitates non evitat, nec pacem animi aut conscientiæ tranquillitatem consequitur, qui sequitur minus probabile et minus tutum in conscientia.

Qua vero ratione his Probabilioristarum responsis satisfaciant Probabilistæ disces ex dictis § 5, art. prior. et ex dicendis num. 273, etc.

§ IV.

Utrum Probabilismus unquam fuerit ab Ecclesia reprobatus?

273. *Dico.* **Probabilismus nunquam fuit ab Ecclesia vel a Sede Apostolica reprobatus aut prohibitus.**

Prob. I. Nulla talis censura adversus Probabilismum afferri potest, imo plures summi Pontifices in suis decisionibus, et recentius quidem secuti sunt probabilem ; ergo. *Antec.* patet ex num. 220, etc. ; hic vero unus instar omnium esto Bened. XIV, in suo opere de Syn. Diœces., quod opus in nova editione pluribus capitibus auctum prodiit, et liber 7^us^ etiam ampliatus, atque in plures divisus : ibidem ad quæstionem, an sacrum viaticum dari debeat ægroto eodem jam die, dum erat sanus, Angelico pane refecto? his verbis respondet Pontifex : *In tanta opinionum varietate integrum sit parocho, eam sententiam amplecti quam voluerit, neque fas erit Episcopo, animadvertere in talem parochum* ; ergo Pontifex indulget usum alterutrius sententiæ, utut opposita sit *minus* probabilis. De *ministro Matrimonii*, an is sit Sacerdos, an vero personæ contrahentes, dicit L. 8, c. 13 : *Utriusque opinionis solidiora argumenta præmisimus non animo aliquem inducendi ad ullam, sed ut Episcopis persuadeamus, ne quid illi decidere ausint* : hæc verba evertunt illud principium Anti-Probabilistarum, quod una probabilitas ab altera elidatur, quia ibi Pontifex utrumque vocat probabilem ; interim nobis sufficiant ista, quorum primum in *practicis*, alterum in *speculativis* judicium a summo Pontifice latum declarat, Probabilismum neutiquam a Sede Apostolica proscriptum fuisse.

Prob. II. Si talis censura daretur, haberetur maxime in illa Prop. 3^a^ damn. ab Innoc. XI : *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus* : verum hæc censura ad Laxismum et neutiquam ad Probabilismum pertinet : nam

1° Propositio damnata generatim enuntiat de *omni probabilitate*, tam speculativa, quam practica, cum sententia, quam sequi liceat, *practice probabilis* esse debeat ita, ut speculativa nullatenus sufficiat.

2° De *tenui probabilitate*, quæ nititur motivo tantum levi saltem comparative, eo quod per motiva contraria enervetur ; vera autem probabilitas niti debeat motivo *absolute* et *comparative* gravi : ad hæc *tenuis* probabilitas est dubia probabilitas, quæ tamen *certa* esse debet.

3° De probabilitate sive *intrinseca*, sive *extrinseca*, disjunctive, cum Probabilismus utramque postulet *copulative*, quia extrinseca quidem probabilitas sufficit respectu rudium, non item respectu doctorum, qui tenentur majo-

rem diligentiam adhibere, scrutari libros, ponderare momenta rationum, etc.; et potest quis habere probabilitatem intrinsecam, sed talem, quæ repugnet sententiæ communi; ea autem fretus qui operatur, a *temeritate* excusari non potest.

4° Propositio damnata est *nimis generalis*, nullum faciens discrimen inter probabilitatem, quæ immediate versatur circa licentiam actionis, et circa aliud objectum e. g. *valorem Sacramenti, jus tertii, salubritatem medicinæ*, ad quæ Probabilismus se non extendit; ergo is nunquam fuit prohibitus aut reprobatus, id quod patebit magis ex solutione objectionum.

274. *Obj.* I. Lucius III, Clemens III, Honorius III et Clemens V, celebrem regulam statuerunt, in dubio tutiorem partem esse eligendam, et testatur Fagnanus in cap. *Ne innitaris*, hanc regulam tenuisse Ecclesiam Romanam tum etiam, cum magis grassaretur Probabilismus.

Conf. Pontifices damnarunt plures propositiones a Probabilistis assertas, quæ mores corrumpebant, et pestiferi fructus erant Probabilismi; ergo hic jam pridem reprobatus fuit.

R. Quomodo hæc regula sit intelligenda, abunde declaratum num. 221, etc.; videtur autem non tam statuere Probabiliorismum, quam Tutiorismum. Equidem Pontifices, Concilia et Congregationes, quando proposita sibi dubia resolvunt, sequuntur *magis* probabilem, quia agunt tanquam Doctores et Judices in materia fidei; et tamen in aliis casibus v. g. dispensationis, non raro amplectuntur etiam *minus* probabilem, uti Adrianus VI, qui teste Soto contra propriam opinionem dispensavit in Matrimonio ob unius Cajetani auctoritatem. Utrum vero sanum judicium quærendum sit apud Fagnanum, ex eo judicabis, quod Fabri Dial. 11 scribat, se apud illum invenisse supra 200, locos in hac materia perperam allegatos.

Ad Conf. R. Propositiones damnatæ erant *laxæ*, quia ratione solida et gravi auctoritate destitutæ: jam erant a plerisque Probabilistis rejectæ ante damnationem, prout sub finem seculi prioris ostendit P. Pollænder; vel potius erant probabiliores, quia, quod defenditur ut thesis, defenditur ut probabilius, nisi addatur: non minus damnatæ sunt multæ propositiones antiquorum, quorum auctoritate nitebantur Probabilioristæ: ipsi etiam SS. Patres nonnunquam cespitarunt in vastissima morum doctrina, imo Jacobus de Marchia canonizatus nihilominus fuit, licet contra communiorem PP. Dominicanorum docuerit sanguinem Christi in terris relictum non esse colendum *latria*, quia scilicet hæc opinio tunc habita fuit probabilis; quamvis ergo Probabilistæ circa unum alteramve materiam particularem erraverint, non ideo circa *generalem* materiam de Probabilismo errasse dicendi sunt. Demum an major sit corruptela morum in Germania, ubi plurimum viget Probabilismus, an in aliis provinciis, ubi rigidior est morum doctrina, quivis sapiens et rerum peritus facile definiet.

Inst. 1. Præcipuæ Probabilismi *apologiæ* a pluribus Episcopis maxime Gallis, et a Sede etiam Apostolica damnatæ sunt: sic Alex. VII damnavit apologiam Honorati Fabri, librum Caramuelis, quæst. de Moya.: Idem an. 1665, proscripsit 28 propositiones, et an. 1666, alias 45, innixas probabilitati, in suo ad has damnatas proloquio scribens, quod *mos irrepserit repugnans simplicitati Apostolicæ*; ergo.

R. *D.* Damnatæ sunt *apologiæ* Probabilismi veri ac genuini, atque ob hujus defensionem *N.* Probabilismi laxioris, idque ob errores alios inibi contentos *C.* Sicut ob alios errores damnati Anti-Probabilistæ, Baius, Jansen., Quesnel., Arnald., Sinich. et Ludov. Montaltius, seu Blasius Paschalis, qui omnium maxime detonuit in Probabilismum in suis litteris Provincialibus, quæ proscriptæ sunt ab ALEX. VII, jubente Galliarum Rege laceratæ et exustæ, ab Inquisitione Hisp. declaratæ ceu refertæ calumniis. Falsum est, *Apologiam Casuistarum* esse librum Patris Fabri, qui est Piroti, a Superioribus S. J. nunquam ut talis agnitus, prout testatum fecere publico. Liber Caramuelis, quem scripsit contra Fagnanum Tutioristam, damnatus est ob laxiorem Probabilismum, ideo ab ipsis etiam Probabilistis, PP. Cardenas, Mendo et Fabri impugnatus; exin vero non sequitur, quod verus Probabilismus fuerit damnatus, et opposita Fagnani doctrina sit admittenda: alioquin ipse etiam Probabiliorismus esset condemnatus, cum Vinc. Baronii *Probabilioristæ* liber contra Caramuelem itidem damnatus sit, scilicet propter alios errores inibi contentos. Falsissimum, quod quæstiones selectæ P. de Moya sint damnatæ, utpote longe diversæ a libro Guimenii, qui damnatus est ut pseudographus, non quidem ob assertionem damnatarum, sed ob periculum ex auctoritatibus adductis timendum; neque Decreta a Goneto et Concina citata reperiuntur in Bullario. Demum Gallos æquo liberalius libros et opiniones aliorum condemnare, sat constat; ast sicut pactum v. g. trium contractuum Parisii damnarunt, sic Colonia, Treviri, Complutum, Salmantica, Ingolstadium, Friburgum et Moguntia hanc sententiam ceu tutam et licitam declararunt. Postremo illud Pontificis proloquium, uti et plures ex damnatis propositionibus, Laxismum duntaxat feriunt.

Inst. 2. ALEX. VII, damnavit hanc prop. 27^am^ : *Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem :* atqui idipsum dicunt Probabilistæ; ergo.

R. *N. m.* Nam hic tria dicuntur : 1° Si sit *liber recentior* et *auctor novus,* ex eo quidem capite, quia in antiquioribus multæ doctrinæ antiquatæ, et postmodum ab Ecclesia rejectæ subin reperiuntur : et hæc ratio bona quidem est; at licet Laxismo, non tamen sufficit Probabilismo, qui jubet etiam novorum auctorum dogmata esse imprimis examinanda, cum sæpe novitatis studio abrepti scribant. 2° Etiamsi sit *tantum unus :* en principium Laxismi : Probabilistæ plurium auctoritatem requirunt, nisi ille unus sit omni exceptione major, h. e. valde peritus tum juris naturalis tum etiam positivi, firmis et validis rationibus utatur, veritatis potius quam novitatis amator, qui aliorum fundamenta discusserit et probe solverit, adeo ut prudenter credi possit, alios etiam doctissimos eidem opinioni subscripturos; ita contigit in opinionibus, quas D. Thomas primus omnium adversus communem antiquorum tenuit, ut optime advertit Callego Dominicanus, qui de Consc. Probab. dub. 12 ita loquitur : *Noster Angelicus* DOCTOR *multa scripsit et docuit contra alios, qui ante ipsum scripserunt, et tamen ejus opiniones statim, ac ab ipso traditæ sunt, existimatæ sunt probabiles, tum propter maximam ejus auctoritatem apud TT., tum quia non levibus, sed rationalibus fundamentis ductus est ad opinandum.* 3° Probabilismus requirit immunitatem *universalem* a certitudine oppositæ sententiæ; illa propositio

damnata solum *particularem*, h. e. immunitatem tantum a damnatione Pontificia : sed hoc docent Laxistæ ; ergo Pontifex Laxismum condemnavit.

Inst. 3. Ab Innoc. XI damnatæ sunt 65 propositiones et quidem sex antehac probabiles, maxime vero 3° de *probabilitate tenui* : atqui cum hac ipse etiam Probabilismus fuit confixus ; ergo. *Prob. m.* Pontifex non solum damnavit probabilitatem comparative levem, quia hæc non continetur intra limites probabilitatis, sed est potius *improbabilis* : quamvis propositio sit valde generalis, aliunde tamen constat, quod mens Pontificis non fuerit tantum proscribere Probabilismum *vagum* : quod judex et minister Sacramentorum non possit agere juxta minus probabilem, id jam in prob. 1ª et 2ª damnatum fuerat ; ergo in prop. 3ª intendit condemnare probabilitatem, quæ circa actionis licentiam versatur. Adde prop. 4ªm : *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione probabili.*

R. Equidem probabilitas *comparative levis* non continetur intra limites probabilitatis stricte ac theologice acceptæ, quæ nititur fundamento vere, certo ac comparative gravi, sed tanquam species analoga intra limites probabilitatis late acceptæ, quæ tantum dubia est, et apparentia veritatis, quo sensu latiore improbabile dicitur quod nullam habet rationem vel apparenter gravem. Quod vero Pontifex tenuem illam probabilitatem *latius* acceperit, suadent ejusdem rationes, et plurimorum gravissimorumque DD. auctoritas, qui probabilitatem *vere* ac *theologice* talem adhuc defendunt sciente et inspectante Rom. Pontifice. Demum non infrequens est, eamdem doctrinam sub diversis terminis, præsertim a diversis auctoribus et in diversis libris propositam, iterato condemnari. Reliquæ propositiones damnatæ pertinent ad materiam, in qua locus non est *probabilitati* ob auctoritatem Ecclesiæ, ob motiva intrinseca, ob contractus speciales tacitos vel expressos, etc. Sic ergo Innoc. XI, quamvis toto Pontificatus sui tempore urgeretur, ut proscriberet hanc propositionem, *licitum est sequi opinionem minus tutam et minus probabilem* ; nunquam tamen ad ejus condemnationem adduci potuit.

Illa prop. 4ª licet juste damnata sit, quia *fides* est necessaria necessitate medii, in qua opinio probabilis nihil operatur ; tamen ejusmodi infidelis cum sola probabilitate credibilitatis non potest statim credere, sed tenetur ad majorem diligentiam inquirendi in motiva credibilitatis evidentia et fidei veritatem, sine qua impossibile est hominem salvari.

Inst. 4. Bened. XIV a P. Concina requisitus damnavit an. 1742. Probabilismum, idque occasione dubii de contractu usurario ; ita testantur *litteræ Encyclicæ* datæ ad Episcopos Italiæ de *usuris* ; ergo.

R. — *N. A.* Nam 1° Pontifex, ut ex ejus verbis planissime eruitur, requirit auctores graves, qui sunt celebriores, non vulgares de trivio : sed tales sunt Probabilistæ, non solum Probabilioristæ ; ergo. 2° Vult nos sequi sententiam *plane* (non *magis* rationibus confirmatam : atqui opinio probabilis, ut eam sequi liceat, debet esse *plane* rationibus et solide confirmata, non dubia ; ergo. Quod autem τὸ *plane* non idem sonet ac *magis*, norunt Grammatici. Utrum vero ex libris Concinæ hauriri queat puritas doctrinæ, tum ex ejus declaratione imperata, tum inde conjicies, quod San-Vitalis testetur, in solo ejus Tomo I de historia Probabilismi 260 falsitates contineri, universim se detexisse 500 ; atque idipsum P. Nocetti deprehendit.

Inst. 5. Anno 1749 datæ sunt a Bened. XIV Encyclicæ ad universam Ec-

clesiam, ubi pro celebrando in annum sequentem jubilæo Pontifex præscribit Confessariis, ut sequantur sententiam, quam magis auctoritate et ratione firmatam deprehenderint, vide Bullarii Rom. Tomum III; ergo.

R. 1° Pontifex ibi distinguit inter Confessarios doctrina præcellentes, et alios non ita præcellentes; hisce postremis ea, quæ relata sunt, præcipit, licet non eodem modo; hinc

R. 2° Est duplex lectio; prima est hæc relata: *Sequantur eam sententiam, quam magis,* etc. Sed hæc non est authentica, imo falsa; sic vero legi debet: *Ac deinde in eam descendant sententiam, quam ratio suadet, et firmat auctoritas:* atque hæc sola est authentica, et ad mentem Pontificis; tum quia desumpta est ex ipsis verbis Encyclicæ insertæ Tomo III Bullarii; tum quia est originaria, cum hæc epistola scripta sit primum latine, ac dein versa italice, qua ex versione italica suum Concina argumentum deprompsit; tum quia hæc *latina* authentica epistola missa est ad Patriarchas, Archi-Ep., Episcopos universæ Ecclesiæ, *itulica* non est missa, neque in corpore, sed in appendice Bullarii inserta, proin nec tantam hæc, quantam illa auctoritatem habet, nimirum Pontificis ex cathedra loquentis. Verba italica hæc sunt: *più assistita dalla raggione et dall' autorità.* Quod vero Bened. XIV secutus ipse sit *probabilem,* dictum num. 273.

Inst. 6. Clemens XIII, id quod constat tum ex Decreto a Congregatione Cardinalium mense Februario an. 1761, edito, tum ex proscripta Patris Neumayr dictione germanica, reprobavit Probabilismum; ergo.

R. — *N. A.* Quod dictio illa germanica de Probabilismo ratione Probabilismi præcise non fuerit proscripta, manifestum est ex prædicta Congregatione Cardinalium circa initium anni 1761 habita, in qua Probabilismus evasit incolumis: Decretum, si quod procusum fuit pro Probabiliorismo, nullum est declaratum ac retractatum. Clemens XIII quid de Probabilismo sentiat, satis declarare videtur Ejusdem Breve ad Episcopum Aleziensem 19 Sept. 1764 editum, in quo Pontifex hisce conqueritur: *Quæ tanta auctoritas tua est, ut meras opiniones, ne quid gravius dicamus, quibus innumeri gravissimique Theologi contradicunt, inter veritates illas recenseas, quæ ad fidem Ecclesiæ spectant; inter errores vero sententias numeres, quæ liberæ Scholarum disputationi permittuntur? nam et propositiones omnes in assertionum libro congestas* (maxime de Probabilismo, in quem ceu Jesuitis propriam malorum omnium sententam acerrime detonatur) *videris nullo discrimine damnare ac reprobare... et quod in eumdem librum tanquam perniciosæ et periculosæ nonnullæ opiniones essent conjectæ, de quibus libera est disputatio,* etc. Eodem fere modo expostulat idem Pontifex in Brevi ad Episcopum Andegavensem 19 Sept. 1764 dato.

Inst. 7. Idem Pontifex jamdum anno 1761 condemnavit undecim theses a quodam Parocho in ditione Tridentina evulgatas, et ab Episcopo Tridentino prædamnatas, inter quas 8ª sic habet: *Genuinus itaque noster Probabilismus, qui nec morum corruptelam inducit, nec a S. Sede unquam fuit male notatus, origine sua Thomisticus, progressu ætatis Jesuiticus, utpote a quo arctatus, emendatus, et a Jesuitis contra Jansenianos furores propugnatus fuit;* ergo prædicta Brevia Apostolica vel non sunt authentica, vel certe non eloquuntur pro Probabilismo.

R. 1° Quod Pontifex non damnaverit omnes illas undecim propositiones,

seu conjunctim, seu divisim, patet ex censura, quæ in indice LL. prohibitorum talis est : *plagula undecim thesium, cui titulus : Probabilismus disputationi... quarum aliquæ*, theses sive propositiones, *sunt respective falsæ, temerariæ et piarum aurium offensivæ;* ubi vox, *aliquæ*, nonnisi semel posita minime afficit omnes. Illam vero solame numero X excerptam, nempe : *sed Christianum*, Probabilismum, *qui Christo Domino summe familiaris fuit;* censuit proscribendam *uti erroneam et hæresi proximam*, cum Homo-Deus vere omniscius summam in omnibus certitudinem habuerit ac tenuerit. Sane, ubi omnes articuli configuntur, aliter censura habet, uti illa Alexandri VII, et illa Innocentii XI ; decrevit Sanctissimus D. N. prædictas propositiones, et *unamquamque* ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas... esse damnandas... ut quicumque aut *conjunctim* aut *divisim* docuerit et defenderit.. aut *aliquam* ipsarum ad praxin deducat... Proinde, sicut ex eo, quod v. g. liber Jansenii sit prohibitus, non omnes in eo contentæ propositiones, sed potissimum 5 illæ excerptæ, sunt damnatæ : ita quamvis illa plagula 11 thesium sit proscripta, non tamen omnes 11 theses sunt confixæ, sed illa 10ª excerpta duntaxat ceu *erronea*, et ex reliquis decem *aliquæ* tantum ceu *respective falsæ, temerariæ et piarum aurium offensivæ*.

R. 2º Quod vero hæc præcise mens fuerit summi Pontificis, magis etiam inclarescit ex his : Alphonsus de Ligorio, Episcopus S. Agathæ Gothorum sollicite interrogavit Cardinalem Galli, Magistrum sacri Palatii, et Secretarium Congregationis desuper habitæ, utrum per censuram illarum thesium reprobatus fuerit Probabilismus, et responderunt, nequaquam, sed licere post, uti ante hanc censuram, tenere ac tueri et Probabilismum et Probabiliorismum; atque ideo, ut ait Magister S. Palatii, quia non omnes 11 theses, sed plagula fuit proscripta : et quia, ut respondit Secretarius, Reverendissimus D. Thoma Schiari, etiam Probabiliorismus fuisset confixus in 1ma thesi illa : *Licet sequi probabiliorem pro libertate, relicta minus probabili pro lege*, quam tenent communius Probabilistæ molliores. Ita legere est in apologia Illustriss. et Reverendissimi de Ligorio edita anno 1765 contra domesticum quemdam professorem Religiosum, qui ex illius plagulæ censura, damnatum esse Probabilismum conclamaverat.

275. *Obj. II.* Eminentissimi Cardinales et celeberrimi Ordines repudiarunt Probabilismum, non alia de causa, quam quia Ecclesia eumdem repudiat; ergo. *Prob. M.* Bellarm. invalescente jam Probabilismo florens supplem. Tom. I, in prologo admonitionis ad Nepotem ait : *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, et non respicere, quid multi hoc tempore dicant, aut faciant; et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino operans tutiorem partem sequi, et nulla ratione, nullius imperio, nulla temporali utilitate proposita ad minus tutam partem declinare;* ergo.

R. 1º Bellarm. quamvis in doctrinis excellens, nil tamen de Theologia morali nunquam docuit. 2º Tractatus hic exiguus non est a Bellarm. editus, sed post ipsius mortem ab ejus nepote Episcopo, ad quem scripsit admonitionem ratione officii Episcopalis. 3º Si admititur; ergo tenemur sequi Tutiorismum : ait enim, nos debere veritatem inquirere : si hæc non adsit, tutum eligere; cum ergo in Probabiliorismo non habeatur certitudo, non

huic, sed Tutiorismo rigidissimo potius favet admonitio Bellarm. 4° Billuart minus fide recitat verba Bellarmini, quæ sunt : *Si quis velit salutem suam in tuto collocare, et eum oporteat Episcopali officio fungi, is omnino debet certam veritatem inquirere*, etc., loquitur ergo de eo, qui Episcopali officio fungi debet, scribens ad nepotem Episcopum, et docens, quod Episcopus teneatur esse perfectus; proinde sententia Bellarmini ad eos tantum spectat, qui in tuto volunt animam ponere, et tenentur ad perfectiora. De ORDINUM quorumdam decretis dictum num. 210; in his tamen non omnino fidendum Goneto aut Concinæ, nisi autographum proferant. Quamvis autem hodie sententia rigida apud PP. Dominicanos communis sit; tamen anno 1644, in Comitiis Generalibus Joan. Ildephonsus præceptp obedientiæ adactus fuit ad emittenda in lucem publicam sua commentaria, in quibus Probabilismum copiose defendit.

Inst. 1. Cardin. SFORTIA PALLAVICINUS Probabilismum, cui primum adhæserat, dein ejuravit, prout P. Nicolaus Maria Pallavicinus 29 Mart. 1690, suo Gen. Thyrzo Gonsalez testatus est his verbis : *Eminent. Cardinalis* PALLAVICINUS, *anno fere ante mortem, dixit mihi, esse sibi fixum, relinquere post se scripturam, in qua retractare intendebat ea, quæ scripserat in* L. de Act. Hum., *nempe posse quemlibet practice sequi opinionem minus probabilem et minus tutam relicta probabiliore;* atque hoc testimonium extat apud Gonzalez, L. 1 de recto usu opin. Prob., diss. 13, c. 1; ergo.

R. 1° Si ideo dicatur abjurasse Probabilismum, quia voluit relinquere scripturam, in qua eum retractaret; ergo potius dicendus est non abjurasse, quia eam scripturam non reliquit. 2° Mortuus est Cardinalis hic an. 1667, et scribitur illa dixisse anno 1666 : at P. Nicolaus suum testimonium tradidit anno 1692, ubi ceu senex perfectæ memoriæ non amplius erat, et tradidit in circumstantiis talibus, ubi P. Gonzalez ejus Generalis collegit testimonia pro Probabiliorismo; proin ex illo testimonio haud magna auctoritas desumi potest. 3° Ante annos 19, dum Patris Segneri litteras de Probabilismo sparsit Probabiliorista (nomine BALLARINI), eas oppugnavit objiciens, quod ALEX. VII voluerit damnare Probabilismum, nisi impeditus fuisset a Card. Pallavicino, hujusque rationibus plane mutatus, ita, ut aliquas tantum propositiones damnaret anno 1665; en testimonium adversarii : si vero Card. Pallavicinus voluit retractare Probabilismum anno 1666, cur ejus damnationem non promovit, cur retractationem ita distulit, ad quam tamen faciendam juxta leges Probabilioristarum obligatus fuisset.

Inst. 2. Cardin. de AGUIRRE præf. ad Tomos CC. HISP., inter plurima Probabilismum spectantia dicit : *Cœpi itaque rem maturius examinare ab anno 1671, usque modo lectis ac relectis ultra prædictos plurimis auctoribus recentibus, qui hinc et inde controversiam hanc gravissimam profligarunt ex instituto : deprehendi vero ingens periculum salutis in sectando, aut consulendo aliis* PROBABILISMO, *sive usu cujuslibet opinionis minus probabilis faventis libertati, in concursu alterius probabilioris adhærentis præcepto. Idem plane mihi insedit, ubi utraque apparet æque probabilis aut circiter;* ergo.

R. De auctoritate hujus Card., qui erat ex ordine S. BENED., scripsit alius ejusdem Ordinis sec. superiore, quod vere ea mens non fuerit Cardinalis, qui ipse testetur, quod materia Probabilismi sit *gravissima*, et quod hanc

rem non examinaverit, sed, ut sibi visum, decreverit. Postmodum autem scripsit Franc. Maria de Solis Italus, quod per hoc Cardinalis multum derogarit tum Ordini suo, tum Academiæ Salmanticensi, cum et hæc et ille Probabilismum eo tempore tenuerint.

Inst. 3. Cardin. Laurea, Tom. II disp. 11, a. 4, § 3 ait : *Quando aliquid agibile non est a lege determinatum, sed est sub opinione, tum in concursu unius opinionis probabilis pro una parte, et probabilioris pro altera parte, prudentia dictat solam probabiliorem esse eligendam, nunquam vero minus probabilem.* Addit hic Card. de Aguirre, hunc semper fuisse spiritum Rom. PP., Cardin., et Episcoporum ; ergo.

R. 1° Card. Laurea hos libros non scripsit ut Cardinalis, sed dum esset Lector in suo Ordine S. Francisci ; facit igitur solummodo auctoritatem alicujus privati. 2° Cardin. de Aguirre nimis in suo sensu abundat, si nec Toletum, nec Lugonem, aliosve Cardinales et Episcopos, quin et summos PP. velit unquam probabilem tenuisse.

276. *Observa I.* Uti nullus Pontifex, ita nec Concilium ostendi potest, quod Probabilismum prohibuerit. Quæstio : utrum parvuli in baptismo accipiant gratiam habitualem, agitata in Conc. Vienn. ita pronuntiante : *Opinionem secundam* (affirmativam) *tanquam probabiliorem, et dictis Sanctorum et Doctorum Theologiæ magis consonam ac concordem duximus eligendam,* non immediate versabatur circa licentiam actionis : et quamvis Clemens V ex diversis opinionibus elegerit probabiliorem, per hoc non imposuit universim obligationem sequendi probabiliora. Conc. Triburiense, quamvis can. 48 de *consilio maturiore* servando mentionem faciat, tamen expresse ait, se *propter eos, qui diversa sentiunt, nihil velle definire,* imo Cabasutius advertit, Concilium hoc consuluisse secundum probabilem minus tutam. Historia de Cancellario Parisiensi ob plura beneficia juxta *probabilem* detenta æternum damnato, si vera est, non officit Probabilismo, quia operatus fuit in dubio practico, prout colligit Cardenas ex ejus ad Episcopum verbis ante obitum, *se velle experiri, utrum sit damnabile, plura beneficia tenere :* et post obitum, quod contra plurimorum sententiam *opinionem propriam defensaverit, et se commiserit periculo mortalis culpæ.*

277. *Observa II.* Fundator S. J. dum Professores voluit, in quavis facultate securiorem et magis approbatam doctrinam sequi, per *securiorem* non ita stricto acceptam intellexit *veriorem :* alioqui in Philosophia etiam, Mathesi, Rhetorica, etc., semper eligenda foret pars *securior.* Paulus Oliva S. J. Gener., cujus verba, ut solet, mutilat P. Billuart, ad Honor. Fabri, qui librum ediderat pro Probabilismo, sic rescripsit, *contra Societatis et S. Ignatii mentem ire, qui Theologiæ moralis placita benigniorum opinionum obtentu plus æquo molliunt... extremæ igitur oræ ut periculosæ fugiendæ sunt, ut non hominibus imponamus onus, quod nec* Christus *imposuit, ut in omnibus probabiliores sequamur,* etc.; inde nihil contra Probabilismum. Neque Mutius Vitellescus eum prohibuit, monens duntaxat Patres S. J., ne doceant sententias nimis liberas : idem est de Patre Vice-Comes et aliis. Quod D. Amort refert, Innoc. XI P. Thyrso Gonzalez injunxisse, ut Probabilismum eliminet, desumptum est ex decretis apocryphis P. Concinæ : nam, ut ex autographo

constat, INNOCENTIUS tantum voluit, ut liceat Patribus S. J. libere impugnare Probabilismum; eique responsum, hoc ipsis nunquam fuisse interdictum.

278. *Observa III.* Quod jamdum anno 1699 plures quam 60 Theologi ex omnibus Ordinibus Probabilismum impugnaverint; quod plusquam mille Parochi pietate ac eruditione præstantes in Gallia de Probabilismo apud Episcopos conquesti sint, asserit auctor *Ethicæ Amoris*, quæ cum bis damnata sit, parum auctoritatis suo auctori tribuit, qui per auxesin falsam numerat mille, ubi 20 vel 30 libellum supplicem ad Episcopum dederant, qui libellum itidem supplicem alio tempore dederant, et a Bulla *Unigenitus* ad Conc. Gen. appellaverant. Plures cumprimis hodie stare pro Probabiliorismo, concedunt Probabilistæ, quare eidem tribuunt probabilitatem extrinsecam; attamen per Germaniam Probabilismus adhuc communiter traditur, et in Italia recentissime illum tuentur Mazzota, Catalani, Casnedi, Gravina, Zaccaria, Did. Duarte, Jacob. de Corella, Alph. de Ligorio, etc. : in Belgio plerique eumdem defendunt contra Lovanienses, uti testantur Hagiographi : in Gallia cum exorto Jansenismo invalescere cœpit et Rigorismus; nec mirum, propter quorumdam Episcoporum iteratas prohibitiones, auctores Gallos etiam catholicos ad rigorem, qui salva fide sustineri potest, tandem declinasse.

Quod ab anno 1699 ad 1747, plures pro Probabiliorismo, paucissimi pro Probabilismo scripserint, quod in dies a Probabilismo plures deflectant ad Probabiliorismum, nullus vero ab hoc ad illum, ita ut, si vere dixerit P. Henno circa annum 1710, 20 Probabilioristas stare contra unum Probabilistam, possimus nunc dicere, stare 40 Probabilioristas et amplius contra unum Probabilistam; asserta sunt Patris Billuart, sed quantæ fidei? Profecto intra 10 annos scripsere pro Probabilismo auctores 20 et ultra : nuperrime autem transiere a Probabiliorismo ad Probabilismum Constantinus Roncaglia et Mansi ex Congreg. Matris Dei, quorum *primus* asserit, quod a præceptore suo doctus fuerit Probabiliorismum, eumque ipse docuerit, ast in confessionali viderit, eum observari haud posse, quia esset onus intolerabile, ac vix possibile, ibi examinare Doctorum sententias, rationes probabiliores investigare sicque decidere (ac subin quidem contra pœnitentem, quod sane difficillimum est) atque satisfacere suæ conscientiæ, si sequatur partem probabilem, etc. Plerique, qui tam acriter tuentur Probabiliorismum, vel non audiunt confessiones, vel si audiunt, eumdem non sequuntur, uti satis constat. Jansenistæ, qui omnes Probabilioristæ sunt, in aliis casibus nequidem *probabilem* sequuntur, uti circa Bullas Pontificias, quoad appellationem ad Concilium Gen., etc. Celebris etiam casus proposita fuit quæstio, utrum jurare quis possit, quod detestetur aliquid, licet animo cogitet se nolle detestari? subscriptio facta est a 40 DD., inter quos etiam Alex. Natalis, quod possit; ast unde pro hac sententia affirmativa habetur major probabilitas? ergo dein bene dicit Billuart ratione Hennonis, *si vere dixerit* : credo enim, et illum et hunc non ita vere dixisse.

Quæres I. *Ubi et Quibusnam* Probabilismi *usus non sit licitus?*

279. *Respondeo* 1° Non licet sequi sententiam probabilem, nisi sit *certo* et *practice* probabilis. *Ratio* : tum quia dubie, tenuiter ac probabiliter tantum probabile non est absolute probabile : tum quia non potest constituere præmissam certam pro dictamine ultimo : tum quia contrarium damnatum est in prop. 3ª ab Innoc. XI.

2° Nec licet in iis materiis, in quibus *tutior* tum generatim, tum speciatim in materia Sacramentorum, eligenda est. *Rationes* vide num. 224. *Nec dicas* : non licet sequi minus tutam, ubi occurrit *damnum proximi* etiam temporale ; ergo multo minus in nostro casu, ubi semper timendum est *damnum proprium* etiam æternum ; quippe damnum proximi non pendet ab opinione nostra, sicut damnum animæ proprium, scilicet peccatum et peccati pœna a conscientia.

3° Non est licitus Probabilismus eis, qui contractu vel quasi contractu ad *tutius* vel *probabilius* tenentur, ut sunt Judices, Consultores et Officiales reipublicæ per conventionem, legem latam aut juramentum ad id obstricti : Professores præsertim Theologiæ, a quibus hoc contractu tacito videtur exigi, ut doceant id quod judicant esse verum, aut si veritas haberi non possit, id quod probabilius censent, cum alias imponerent suis auditoribus, iisque essent aliquo modo injurii, quatenus illis inderent opiniones, quasi ipsi minus verisimiles habent ; unde ex officio tenentur adhibere *moralem diligentiam*, ut quantum fieri potest, studio suo veritatem assequantur ; possunt tamen indicare sententias minus probabiles, imo docere etiam esse probabiles ne ignorent discipuli opinionum oppositarum probabilitatem : etiam privati quicumque, qui voto, vel superioris præcepto, vel quolibet alio vinculo tenentur rem seu publicam, seu privatam curare modo sive *tutiore*, sive *probabiliore*. *Ratio* omnium constat ex dictis ; quoad *judicem* illud notandum, quod licet sit æqualis probabilitas circa jus, non tamen æqualis sit probabilitas circa licentiam actionis judicis, utpote qui ex officio tenetur et constitutus est ad jus suum cuique tribuendum, quod patet ex varia jurium dispositione, et prop. 2ª ab Innoc. damnata. Aliud autem est de *advocato*, cujus officium cum non sit judicare, sed rationes proponere et juvare clientem, potest causam etiam minus probabilem, non tamen falsam defendere, quia forsan hæc judici videbitur, aut ex interrogatis et responsis per decursum processus evadet probabilior aut etiam vera ; excipe tamen causam *criminalem*, vel *honoris*, vel *civilem maximi momenti* : tunc enim contra reum non potest defendere partem solum probabilem, quia reo favendum est potius quam actori, cum ejus innocentia sit in possessione.

Quæres II. *An Usus* Probabilismi *etiam se extendat ad opinionem minus probabilem alienam?*

280. *Nota*. Quæstio hæc habere locum potest, tum circa licentiam, tum circa debitum, vel necessitatem : circa 1ᵘᵐ est, an liceat sequi opinionem, quam ipse quidem non teneo, sed tenent alii, v. g. an Confessario liceat ab-

solvere pœnitentem secundum ejus conscientiam probabilem, licet Confessarius contrariam teneat tanquam probabiliorem? 2um an etiam teneatur Confessarius se conformare sententiæ probabili pœnitentis? In utroque tamen casu supponendum, quod Confessarius non judicet opinionem alienam esse certo falsam, vel tenuiter tantum, dubie aut probabiliter probabilem.

231. R. 1° Licet operari etiam secundum opinionem *alienam* probabilem. *Ratio* : quia non opus est ad judicium ultimum formandum, ut antecedat assensus judicii directi de veritate objecti, sed sufficit judicium de sola probabilitate objecti; ergo possum sequi hanc opinionem ex judicio reflexo, licet eidem directe non assentiar; *excipe*, nisi hæc operatio cederet in fraudem aut damnum alterius.

2° Confessarius non tantum potest, sed et debet se accommodare sententiæ probabili pœnitentis, contra opinionem probabiliorem quam ipse tenet. *Ratio* : quia pœnitens sic dispositus habet jus ad absolutionem, sive est in possessione juris ad eam obtinendam; ergo. In quo casu hoc modo debet sibi Confessarius formare judicium : quamvis mihi *probabilius* sit, v. g. pingere vel scribere die festo lucri gratia, esse illicitum, vel restitutionem esse hic et nunc faciendam, etc.; tamen cum opinio mea non excedat fines probabilitatis, et contraria pœnitentis sit etiam *vere probabilis*, ac ipse præterea non teneatur opinionem suam deserere et sequi meam; non possum judicare eum esse indispositum; ergo cum peccata illius audiverim, neque liceat mihi abrumpere Sacramentum, aut negare absolutionem, ad quam pœnitens jus habet, possum et debeo eum absolvere, præscindendo interim ab opinione mea propria, quæ huc se habet impertinenter.

Si ais 1° Pœnitens est subjectus Confessario, adeoque debet ejus sententiam amplecti, aut si nolit ad mentem Confessarii restituere, etc., non est rite dispositus. 2° Confessarius agit ut *judex* et *superior;* ergo non debet ferre sententiam secundum opinionem pœnitentis tanquam rei et subditi, alias inverteretur ordo.

R. *Ad* 1. — *D.* Pœnitens est subjectus Confessario in ordine ad peccata et necessariam dispositionem ad Sacramentum *C.* quoad omnes opiniones *N.* primum autem hic supponitur adesse in pœnitente, neque pro secundo habetur præceptum, ut nempe quis teneatur restituere, quando prudenter judicat se ad id non obligari.

R. *Ad* 2. — *N. C.* Sententia Confessarii partim est judicium de *dispositione* pœnitentis, partim absolutio; utrumque autem formandum est secundum conscientiam pœnitentis; ergo cum pœnitens sequendo suam opinionem probabilem, non peccet, aut peccaverit, ut supponitur, judicandus est rite dispositus, ac consequenter absolvendus. Dispar autem hic est ratio a *foro externo*, ubi quæritur, quid et quomodo res in se sit, v. g. an ager ad hunc reipsa pertineat? an hic rem furtivam possideat? ubi non attenditur ad *opiniones* litigantium, cum hæ non faciant rem ita esse, vel non esse, sed ad argumenta directa, quæ rem vel furtum probant, vel non probant.

O. A. M. D. G.

DE LEGIBUS.

CAPUT I.

DE LEGE, ÆTERNA, NATURALI.

ARTICULUS I.

QUIDDITAS, PROPRIETATES, DIVISIO LEGIS.

1. *Dico I.* **Lex est quædam regula et mensura, secundum quam res quælibet inducitur ad operandum, vel ab operando retrahitur;** hoc sensu non solum consilia et præcepta, sed etiam regulas artis, et omnem inclinationem naturalem complectitur : sic dicimus leges grammaticæ, mercaturæ, militiæ : Prov. 8, 29 dicitur, *legem ponebat aquis, ne transirent fines suos :* Apostolus ad Rom. 7, 23, inordinatam appetitus sensitivi inclinationem vocat *legem membrorum et peccati :* Joan. 7, 19, sumitur pro opere per legem præcepto, *nemo ex vobis facit legem :* item pro conditione in contractibus, v. g. *ea lege,* ut hoc vel illud fiat : pro libro, disciplina, Religione leges continente, uti dicimus Legem gratiæ, Legem N. T.; verum omnes hæ acceptiones sunt *impropriæ;* hinc

Lex *proprie* dicta est *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata;* equidem tria involvit, Legislatorem regulantem, subjectum regulatum, et signum externum : hic vero potissimum quæritur de eo, secundum quod est in *regulante;* dicitur

Ordinatio rationis, quia involvit geminos actus Legislatoris, unum intellectus, quo ordinat facienda, alterum voluntatis, quo obligat ut fiant; et *rationis* quidem *efficacis,* non tam respectu operis præscripti, cum leges continuo violentur, quam respectu obligationis, quæ afficit subditos : omnis enim lex ad aliquid obligat, et per hoc differt a *consilio* quod, licet regulam agendi proponat, lex tamen non est, quia non importat voluntatem Legislatoris efficaciter obligantem. Quamvis ergo Legislator libere condat vel non condat leges, conditas moderetur vel abroget libere; nequit tamen obligationem legis tollere, quamdiu lex perseverat.

Ad bonum commune, seu communitatis perfectæ, quem in finem Deus ordinavit potestatem publicam, sicut et ipse, quamvis operetur omnia ad suam gloriam, non suam per leges quærit utilitatem, sed nostram felicitatem. *Communitas* autem *perfecta* dicitur illa, quæ in ordine ad bonum commune sub aliquo capite copulatur, sibique soli sufficit ad consequendum suum finem, uti universum genus humanum respectu legis naturalis, Ecclesia respectu legis ecclesiasticæ, Imperia et Regna respectu legis civilis, Religiosi Ordines respectu suæ Religionis. Principatus et Civitates, quamvis respectu totius Regni sint imperfecta, tamen *absolute* perfecta communitas censentur : non item Domus vel Familiæ privatæ, quæ plerumque ordinantur ad bonum duntaxat privatum patrisfamilias, nec firma pace gaudere possunt, nec in vicinos molestos aut furem domesticum pro gravitate rei animadvertere, suæque saluti sine Magistratus politici auxilio prospicere.

Ab eo, qui curam communitatis habet : lex enim juxta receptum juris ac sapientum usum non est præceptum qualecumque, sed publicum; proin ferri debet ab habente auctoritatem publicam, per quam non tantum intelligitur potestas *æconomica* vel *dominativa*, circa personas privatas et communitates imperfectas, e. g. patris in filium, mariti in uxorem, domini in servum heri in familiam : sed requiritur potestas *politica, gubernativa*, et *jurisdictio sublimis*, vi cujus legislator præsit communitati perfectæ, cum jure illam regendi, et quidem supremo vel huic proximo, qualem in Ecclesia habet Papa, in Regno Reges, in Provinciis Principes, in Diœcesibus Episcopi, etc. Judices autem inferiores, Superiores immediati et subordinati possunt imponere subditis *præcepta*, non leges stabiles toti communitati, nisi forte ex vicaria legislatoris potestate aut consensu; est vero sententia judicis potius lata juxta legem, seu declaratio legis.

Juxta communem modum loquendi, Decreta Pontificum dicuntur *Constitutiones*, Imperatorum *Leges*, inferiorum Principum *Statuta*, Superiorum minorum, si ferantur a jurisdictionem habente, *Præcepta;* si a non habente jurisdictionem, *Contractus;* ad unum hominem privatum directa, *Mandata*. Leges denique aut unum aut paucos respicientes vulgo dicuntur *Privilegia*, quæ sunt vel in gratiam, vel in odium. Si quando leges ecclesiasticæ dicuntur præcepta Ecclesiæ, inde est, quod *Lex, Præceptum, Statutum, Jus* sæpe in eadem significatione sumantur.

Promulgata, h. e. intimata subditis, cum nemo possit obligari ad incognitum.

2. *Dico II.* **Proprietates** legis sunt :

1° Ut sit *possibilis*, non solum physice, sed moraliter etiam, spectata scilicet fragilitate humana. Impossibile *simpliciter*, quod omnino non possumus, v. g. suscitare mortuum, nullus legislator præcipere potest, quia quod non cadit sub libertatem, neque cadit sub moralem obligationem : impossibile *secundum quid*, quod quidem non possumus solis naturæ viribus, sed cum auxilio gratiæ nobis oblato, præcipiunt Deus et Ecclesia, uti est valida confessio : impossibile *moraliter* est, quod non possumus sine magna difficultate, ad tale obligat lex naturalis *negativa* prohibens intrinsece mala; hinc neque ad mortem evitandam licet negare fidem, aut fornicari : imo lex *irritans;* hinc impedimenta matrimonii non cessant, licet mortis commina-

tione adigaris ad contrahendum cum consanguinea vel affine. Aliud est de præcepto naturali et divino *affirmativo*. Multo minus moraliter impossibilia, v. g. ut omnes sequantur consilia Evangelica, præcipere potest legislator humanus, cujus potestas humanæ imbecillitati accommodari debet; neque is jus habet in vitam aut famam civis innocentis, aut in bona fortunæ magni momenti, nisi id gravis reipublicæ necessitas exigat, vel si transgressio legis humanæ fieret ex circumstantiis *intrinsece* mala, scandalosa, divino honori aut religioni injuriosa.

2° Ut sit *honesta et justa :* nam cum Deus potestatem legislativam dederit, non ad destructionem, sed ad ædificationem subditorum, lex non potest præcipere quidquam turpe, aut quod non sit honestum, sive *ex natura sua,* sive *ratione finis,* ad quem a legislatore ordinatur. Tametsi vero objectum sit bonum e. g. jejunium in pane et aqua, ideo non statim potest præcipi nisi servata insuper forma justa, ne legislator peccet contra justitiam *legalem,* nocendo bono communi; contra *commutativam,* exigendo a subditis ea, ad quæ jus non habet; contra *distributivam,* imponendo onera non servata æqualitate proportionali. In *dubio* de justitia legis lex servari debet, tum quia legislator habet jus altius, et est in possessione; tum quia regitur consilio altiore, et rationibus universalibus, quæ sæpe occultæ sunt; tum quia nimia foret non parendi licentia.

Leges humanæ quandoque tolerant vel permittunt *mala quædam,* ut majora impediantur, quod ipsum commune bonum nonnunquam exigit, et recta ratio suadet. Lex civilis non proprie permittit *inhonesta* tanquam licita, v. g. patri vel marito interficere adulterum cum filia vel uxore deprehensum; imo non potest ita permittere contraria juri naturali, divino, aut ecclesiastico in re spirituali, sed ea duntaxat tolerat et non punit: ubi vero quædam *iniqua* per legem videtur facere licita, e. g. dissolutionem matrimonii ob fornicationem, præscriptionem cum mala fide, aut prohibere secundas nuptias, correctum est jus *civile* per jus *canonicum.*

3° Ut sit *lata pro communitate, et propter bonum publicum :* nam juxta sensum communem et vulgarem legis acceptionem *lex* a *præcepto* distinguitur per hoc, quod *præceptum* imponatur personis particularibus, eisque adhæreat: sic nemo pro lege habet illud præceptum Gen. 21 Abrahamo datum de Isaaco immolando, omnes vero pro lege habent illud Gen. 2, datum Adamo præceptum de non edendo pomo vetito, quia datum fuit Adamo tanquam hominum capiti. Opus tamen non est, ut leges semper ferantur pro communitate *collective* sumpta, sed sufficit, si personas distributive acceptas tanquam membra communitatis respiciant. Si lex pro *commodo* duntaxat *privato* lata est, communitas irrationabiliter gravatur novo onere vel obligatione, quin hæc compensetur communi utilitate. Ad hæc *Tyrannum* auctores discernunt a *Rege,* quod ille bonum mere privatum, hic vero bonum commune spectet. Demum sicut finis communitatis est publica felicitas, ita et legis, quæ ad hunc finem dirigere communitatem debet.

Si ais : Leges sæpe feruntur in *bonum privatorum,* v. g. pupillorum, viduarum et militum, uti patet etiam in privilegiis, in legibus tributorum, in lege de tuenda vita, de danda eleemosyna, de præcepto pœnitentiæ, de lege

præscriptionis pluribus damnosa; ergo non feruntur necessario propter *bonum publicum.*

R. Omnes hæ leges saltem *mediate* referuntur ad bonum publicum, cum plurimum intersit communitatis, ut privati etiam tanquam partes sint bene constituti, ut Principes necessariis ad conservandam dignitatem et tuendam rempublicam patriæ subsidiis instructi sint, ut pupilli et viduæ per leges a dolis et fraudibus defensi, milites ad defensionem reipublicæ parati ac expediti, bene meriti privilegiis ac præmiis affecti, ac demum ut ne pauperes consumat inopia, dum omnibus affluunt divites. Pariter bonum publicum exigit, ut tollantur lites et incertitudines bonorum, ut acuatur industria et cura civium, ut privilegiati non impediantur ab usu sui privilegii; ergo tam privilegia, quam lex præscriptionis ad bonum publicum conducunt. Leges vero etiam quandoque non immerito ob utilitatem reipublicæ *aliquod damnum privatorum* permittunt, aut etiam intendunt, cum bonum publicum privato sit præferendum : modo non sint tot incommoda particularia, ut aliorum commodis præponderent, nec sub falsa tantum specie boni communis damna privatorum procurentur.

4o Ut sit *stabilis ac perpetua*, tum ex parte *ferentis legem*, qui stabiliter obligare intendit; tum ex parte *subditorum*, quia lex fertur pro communitate, ejusque bono, illa vero est permanens, semperque exigit suum bonum; tum ex parte *ipsius legis*, quia cum feratur prospiciendo ad futura, et gubernatio ut sit utilis, debeat esse stabilis ac uniformis, lex semel lata semper durat, donec vel revocetur, vel materia aut finis sic mutetur, ut justa esse desinat : sic lex æterna et naturalis est perpetua, lex Mosaica erat stabilis, quamdiu ejus finis non cessavit, lex Evangelica perstabit usque ad consummationem seculi; proin leges etiam humanæ, ut sint veræ *leges*, et non tantum *præcepta*, stabiles esse debent. Id certum generatim, legem non exspirare cum morte legislatoris, sicut nec privilegium cum morte concedentis : præceptum vero aut mandatum exspirare per mortem præcipientis aut mandantis, si data sint *simpliciter* non item si per modum *sententiæ*, quæ est legis interpretatio; hinc regulæ Cancellariæ, eo quod morte Pontificis exspirent, tantum sunt leges *secundum quid;* quanquam ea, quæ generaliter statuunt, v. g. circa resignationes et reservationes beneficiorum, ex speciali dispositione Pontificum vim legis habeant.

Quæ adhuc conditiones legis enumerantur c. 2 : *Erit autem.* D. 4, facile reduces ad prædictas legis proprietates.

3. *Dico III.* Lex generatim **dividitur** in *æternam*, quæ est voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, et perturbari vetans : et in *temporalem*, quæ dicitur lex creata, vel extra Deum existens. Hæc subdividitur in *naturalem*, quæ est veluti naturæ quædam proprietas, ab auctore naturæ homini indita : et in *positivam*, quæ est lex addita naturali, vel *divina* et immediate a Deo lata, ut V. et N. Testamentum, vel *humana* proxime ab hominibus inventa et posita, estque vel *civilis* ordinata ad publicam communitatis gubernationem, ad temporalia jura tuenda, et rempublicam in pace ac justitia conservandam, vel *ecclesiastica* seu *canonica*, quæ ad finem supernaturalem, divinum cultum et salutem animarum a potestate specialiter per Deum data potissimum refertur; huc etiam reducitur *jus gentium*, de quo infra.

4. *Observa I.* Quia homo considerari potest secundum duplicem *naturam*, vel *puram* et substantiam luminis rationalis, vel *gratiæ* et supernaturale lumen fidei; hinc alia lex est *simpliciter* naturalis, alia *respective*, seu supposito lumine fidei, quarum utraque semper necessaria fuit ac est toti generi humano : nunquam enim caruit aut carere potest illa lege, cujus factores justificari possunt, *ad Rom.*, 2 et 3. Lex divina positiva *libere* a Deo lata est, saltem quoad modum promulgationis : quamvis enim præcepta etiam *moralia* necessaria complectatur, alia tamen libera continet, ut sunt *ceremonialia*, et voce vel scripto libere fuit hominibus manifesta; hinc leges positivæ vel sunt *necessariæ*, quando monstrant utilitatis communis consequendæ viam unicam : vel sunt *arbitrariæ* seu non necessariæ, quando inter plurimas vias consequendæ utilitatis publicæ aut optimam monstrant, aut inter æque commodas unam determinant; hæ ratione *materiæ* dicuntur positivæ, illæ naturales.

II. *Effectus legis* est facere hominem bonum, et legis quidem supernaturalis per virtutes supernaturales, legis naturalis per virtutes morales : legis civilis, ut fiant boni cives; ecclesiasticæ, ut fiant boni Christiani, saltem quoad actus exteriores; idque lex præstat *per se*, et ex intentione legislatoris, licet *per accidens* et ex malitia hominum iste effectus impediatur.

Actus legis sunt, præcipere, prohibere, permittere et punire : quippe ex actibus humanis, qui a lege diriguntur, quidam ex genere suo boni sunt, et hi præcipi possunt : alii sunt mali, qui prohiberi debent : alii indifferentes, et hi permittuntur. Quia vero legi proprium est, non solum dirigere, sed efficaciter etiam inducere ut sibi obediatur, id puniendo evincit. *Præmiare* quilibet potest, neque publicam exigit auctoritatem, uti *punire*; proin præmiare non est actus legis.

ARTICULUS II.

DE LEGE ÆTERNA.

5. *Nota.* Per legem æternam hic non intelligitur omnis illa lex, quam Deus decrevit sancire in tempore etiam *libere*, alias lex Mosaica esset æterna; sed tantum *necessaria*, quæ concipitur ut actus, quo Deus velit necessario regulari creaturas, si quas condere decernat. Differt autem a *lege naturali*, quia hæc extenditur ad solas creaturas rationales, quibus per lumen rationis intimatur, illa vero etiam ad irrationales : a *lege positiva*, quia hæc connotat creaturas actu existentes, et multa præcipit, quæ in se necessaria non sunt; lex vero æterna nec præcipit, nec prohibet, nisi intrinsece bona vel mala, estque omnino immutabilis, cum lex positiva solum ex voluntate Dei habeat, quod non mutetur : ab *ideis* et *providentia divina*, quia ideas concipimus ut exemplaria in mente Dei efformata ab æterno, secundum quæ Deus omnia fieri velit : providentiam ut executricem, quæ regulam illam in tempore exequatur; legem æternam ut summam rationem gubernativam omnium actionum et motionum. Porro lex æterna nunquam *immediate* obligat creaturas rationales, sed mediante semper alia lege æternam applicante; potest autem participari ab alia lege vel *formaliter*, si hæc idem præcipiat

et prohibeat : vel *virtualiter,* quatenus lex alia habet a lege æterna tum auctoritatem obligandi, tum conformitatem cum illa; hinc quæritur 1. de *existentia* legis æternæ, 2. de ejus *subjecto,* 3. de illius *derivatione* in alias leges.

6. *Dico I.* **Existit lex æterna.**

Prob. Lex æterna est summa ratio, et constans ac necessaria voluntas, res omnes in suos fines ordinandi : sed hæc datur in Deo, *qui attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter,* Sap. 8, 1; ergo.

Conf. 1° Sine lege æterna nunquam nobis constaret de bonitate legum humanarum, utpote quæ ex se defectibiles non commensurarentur cum regula indefectibili. 2° Legem æternam dari, non solum SS. Patres, sed Plato etiam, Cicero, aliique gentiles agnoverunt; Tullii L. 2 de Legibus verba sunt : *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia.* Fuit autem hæc semper lex *proprie* dicta, obligans saltem in *actu primo* : est enim ordinatio rationis ad commune bonum universi ab eo, qui curam habet communitatis, Deo scilicet supremo gubernatore lata, et in tempore promulgata creaturis rationalibus, quales cum semper possibiles fuerint, etiam lex hæc semper promulgari potuit. Juxta D. Thom. hic., q. 91, a. 1 promulgata etiam ab æterno fuit *Verbo divino,* quatenus idea res omnes gubernandi ac ordinandi ad fines suos, fuit illi per generationem æternam communicata. De facto promulgatur per legem naturalem cuilibet homini inditam, quæ spectata ut est in legislatore et in *actu primo* tantum obligans, est ipsa lex æterna Dei.

Si ais : Lex ista non fuit promulgata ab æterno, cum nemo esset, cui Deus imperaret; ergo nec *gubernatio,* nec *dominium,* nec *jurisdictio,* proin neque lex ulla fuit ab æterno.

R. In Deo datur ab æterno providentia, sive ratio practica totius dispositionis et gubernationis Universi; ergo et lex æterna. Quamvis autem homines ab æterno non sint, et *jurisdictio* consequenter non potuerit esse ab æterno, sicut nec *gubernatio* et *dominium,* tamen lex Dei potest esse æterna, tum quia hæc secundum statum, quem habet in legislatore, ab æterno est, tum quia consistit in *actu immanente* Dei, prout SS. PP. et TT. intelligunt, in quo juxta eos satis salvatur ejus essentia; dominium autem et gubernatio dicunt *actum transeuntem.*

7. *Dico II.* **Legi æternæ subjacent omnia creata tum necessaria, tum libera.**

Prob. 1um. Omnes actiones et motus rerum irrationalium et naturalium habentur ab immediata inclinatione, quam Deus dedit rebus omnibus ad fines suæ naturæ debitos et præfixos; hinc Ps. 148 dicitur : *ignis, nix, grando, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus :* Prov. 8 : *legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Matth. 8 : *venti et mare obediunt ei.* S. Aug., L. 19 de Civ. Dei, c. 22 ait : *nihil a legibus summi creatoris, ordinatorisque subtrahitur, a quo pax universis administratur.*

Prob. 2um. Omnes actiones humanæ morales legi æternæ subjiciuntur ex eo quod, si *bonæ* sint, ex illius directione et motu fiant, si *malæ*, prohibeantur, et dum contra voluntatem Dei prohibentem fiunt, incidant in voluntatem justissime punientem; *indifferentes* quoad objectum, et *supererogatoriæ* actiones eidem subjacent, quatenus tali vel tali modo fieri debent, ne evadant malæ, quatenus non debent contemni, et quatenus parati esse debemus ad eas eliciendas, prout vel Dei gloria, vel salus nostra, vel reipublicæ necessitas aut utilitas postulat, quod patet in consiliis Evangelicis, Matrimonio, aliisque.

Dixi, *omnia creata :* nam Deus ejusque actiones *immanentes* non subjacent legi æternæ, cum hæc sit regula habens vim obligandi tanquam aliquid superius, et stricte sumpta respicit subjecta defectibilia et gubernationi subdita : sed hæc non cadunt in Deum, qui ipse sibi sua lex est, et cujus voluntas est essentialiter indefectibilis, atque identificata cum lege æterna; quoad operationes *ad extra* juxta D. Thom. hic. q. 93, a. 4, eatenus eidem subjici concipitur, quatenus eas non operatur, nisi ex dictamine legis æternæ.

Si ais : Creaturæ irrationales non sunt capaces *obligationis moralis;* ergo nec legis. R. — *D. C.* ergo nec legis proprie talis *C.* improprie talis *N.* hinc illarum obedientia non est nisi *metaphorica,* scilicet ipsa naturalis necessitas. Ad hæc disparitas est in eo, quod lex æterna, quatenus attingit actiones morales, sit indispensabilis, quatenus vero irrationales et necessarias, subinde *quasi* dispensetur juxta S. Aug. L. 25 cont. Faust., c. 3 : *Appellamus naturam cognitum nobis cursum solitumque naturæ, contra quem cum Deus aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur; contra illum vero summam naturæ legem a notitia remotam tam Deus nullo modo facit, quam contra seipsum non facit.* Illa tamen dispensatio in naturalibus et necessariis adhuc conformatur legi æternæ quoad aliam partem; sic statio solis fuit quidem dispensatio legis motui solari propriæ, sed conformis alteri, qua Deus vult orationes amicorum exaudiri, si debitus iis modus insit et causa.

8. *Dico III.* **Omnes aliæ leges ab æterna Dei lege derivantur.**

Prob. Omnes aliæ leges ab æterna participant potestatem obligandi, et æquitatem : nam ad Rom. 13 : *non est potestas, nisi a Deo.* Prov. 8. Deus ipse dicit : *per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt;* unde S. Aug. infert, nihil in temporali lege justum esse, quod non ab æterna derivetur. Derivatur autem *lex naturalis* tum virtualiter, tum formaliter a lege æterna, quia quæcumque præcipit aut vetat, imperantur etiam ab æterna, et quidquid habet roboris ad obligandum, quidquid justitiæ ac æquitatis, habet a lege æterna.

Lex divina derivatur in multis formaliter, v. g. quoad præcepta Decalogi : in aliquibus etiam tantum virtualiter, quæ videlicet sunt determinatio legis æternæ, uti sanctificatio Sabbati : aliqua sunt præcepta, quæ non exprimit lex æterna, ut circumcisio, etc. Participatio autem legis æternæ in lege divina est aliis excellentior, eo quod immediatius quoad obligationem a divina auctoritate emanat, quamvis per hominem vel angelum applicetur et promulgetur. *Lex humana* etiam in aliquibus derivatur formaliter, in plurimis virtualiter, siquidem leges tum ecclesiasticæ, tum civiles idem præcipiant aut prohibeant, quod lex æterna : plures vero aliæ imperant non imperata a lege

æterna, ac solum determinant multa quoad materiam, quantitatem vel pœnam. Quamvis autem omnia a lege etiam humana prohibita sint *injusta*, præsertim ratione circumstantiarum v. g. in exportatione frumenti, tamen sunt tantum injusta *consequenter*, non antecedenter, nec vetita a lege æterna nisi *conditionate* et ex hypothesi, quod tunc injusta et per se noxia futura erant.

ARTICULUS III.

DE LEGE NATURALI.

9. *Nota I.* Athei sicut Deum, ita Dei legem negant scriptam in cordibus nostris. Carneades, Archelaus, Epicurus et alii quidam Ethnici negarunt, quidquam natura justum vel injustum, honestum vel inhonestum esse, eo quod homines ipsi sibi pro lubitu suo et commodo jura sanxerint. Hos secuti cum suo duce Machiavello pseudo-politici, et recentiores libertini legem naturalem conantur evertere, dum Dei et creaturæ eamdem esse substantiam docent, jus naturæ vel in cujusvis cupiditate reponunt, vel ex potentia naturaliter innata æstimant, et quisque suis animis affectibus utut indomitis jus naturale, ejusque principia accommodat. Non minus perniciosa doctrina illorum est, qui juri naturali vel omnem denegant obligationem, vel ejus vim obligandi duntaxat repetunt ab imperio humano; nimirum ut Reges ac Principes eximant a lege naturali, tetra illa axiomata orbi obtrudunt : *in summa fortuna id æquius, quod validius : si jus violandum, regni causa violandum : imperii gratia injuria in jus migrat : Decalogus lex privatorum est, latior licentia data potentibus, etc.*

Verum existere legem naturalem, eamque habere vim obligandi in conscientia, h. e. dari complexum aliquod ex illis principiis moralibus, quæ Deus ceu auctor omniumque providus gubernator hominum mentibus inscripsit, et quorum præcipua capita tabulis lapideis a se insculpta postea Moysi dedit, nemo sanæ mentis unquam negavit; imo sicut de illo semper tractarunt DD. catholici in Theologia scholastica vel morali, in Jurisprudentia vel Ethica, sic unanimis de illo habetur consensus non solum catholicorum, sed et reliquorum acatholicorum et gentilium.

10. *Nota II.* Variant auctorum sententiæ de eo, in quo consistat lex naturalis : Vasquez et Wolfius naturam rationalem, Suarez, Laymann, et plures alii tum TT., tum JCti, rectam rationem esse volunt legem naturalem : quidam vero statuunt voluntatem divinam, et legem æternam confundunt cum naturali. Tametsi vero lex naturæ sit lex æterna, prout hæc est participata in *subjecto regulato;* lex tamen æterna potius spectatur, prout est in *legislatore regulante*, estque magis universalis, quippe ad creaturas etiam irrationales extensa. Est ergo lex naturalis aliquid a lege æterna participatum; de quo hic quæritur, quid sit in subjecto regulato, utpote homini juxta SS: Patres intrinsecum et innatum?

11. *Dico I.* **Datur lex naturalis ab auctore naturæ necessario constituta**

ab æterno, et per lumen rationis promulgata, habens vim directivam et coactivam.

Prob. 1um. Apostolus ad Rom. 2, 14 ait : *Gentes quæ legem*, positivam divinam, *non habent, naturaliter ea, quæ legis*, naturalis, *sunt, faciunt : ejusmodi legem*, positivam, *non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis*, naturalis, *scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum.* S. Hier., ep. ad Algas., q. 8 ait : *Ista lex, quæ in corde scribitur, omnes continet notiones, et nullus est, qui hanc legem nesciat* : S. Ambr., L. 9, ep. 71 : *Ea lex non inscribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur* : S. Aug., L. 2 Conf., c. 4 : *Lex tua, Domine, in cordibus hominum scripta est* : et L. 2 de serm. Dom., c. 15 : *Quis scribit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus?* Seneca, ep. 50 ad Lucil. scribit : *Primi mortalium, et ex iis geniti naturam incorrupte sequebantur, eamque habebant et ducem et legem.* Inde etiam patet promulgatio legis naturalis, maxime juxta illud Ps. 4 : *Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui, Domine!*

Conf. Ratione. 1o Deus hominem condidit ad suam gloriam ita, ut solus Deus potuerit esse finis ultimus et beatitudo hominis per cognitionem et amorem possidenda ; ergo cum hæc ordinatio sit *necessaria*, Deus auctor naturæ infinite bonus, sapiens et providus *necessario* debuit præcipere quidquid ad hunc finem requiritur, et *necessario* prohibere quidquid illi repugnat. 2o Est quidam *justi* et *iniqui sensus* omnium hominum animis a natura insitus, circa quædam vivendi principia evidentis æquitatis et sapientiæ, e. g. suum cuique tribuendum, fidem servandam, beneficiis gratum animum deberi. 3o *Ratio* cuique homini in actionibus suis perpetuus et domesticus monitor est, et cum auctoritate quidem, per dictata rationis de fine et mediis, vocans ad officium jubendo, et vetando a fraude deterrens. 4o In singulis hominibus est *conscientia*, cujus remorsum etiam sceleratissimi de occultis criminibus sentiunt, ac sibi timent, quamvis superiorem in terris judicem non agnoscant : cujus item jucunda affectione demulcentur ii, qui vitam juxta rationis dictata instituunt. Sensui interno, rationi et conscientiæ consentiunt *naturales propensiones* hominis ad officia vitæ erga Deum, proximum et seipsum : quin et ipsæ *corporis habilitates* motusque spontanei indicant, quid naturæ congruat ; ita quippe nulla pars est naturæ humanæ, ex qua legem naturæ non possimus colligere. 5o Denique *universalis* hominum *persuasio*, et sapientum omnium auctoritas vox est naturæ, maximumque veritatis argumentum.

Prob. 2um. Evidens est, tum quod subditus sciens et non faciens voluntatem domini sui odio et pœna dignus sit : tum quod supremus Legislator sicuti bonis dat præmia, ita malis pœnam infligere debeat in hac vita, aut certe in altera sustinendam, ni serio resipiscant ; alias nulla erit differentia *legis* et *consilii*, atque leges contemptui fient ; cum vero hæc lex suprema sit et universalis, Reges æque ac Principes ligat, qui Deum superiorem habent : nam homines sunt ejusdem naturæ, ejusdemque finis ultimi consortes ; ergo æque Dei servi sunt, et subditi supremi Legislatoris, *per quem Reges regnant, et potentes decernunt justitiam* ; atque ita turpiter corruunt omnia illa principia, quæ venali calamo Machiavelli asseclæ in orbem spargunt.

12. *Dico II.* **Lex naturalis verius constituitur actu aliquo divino, quam aut in natura rationali, aut in recta ratione, aut in principiis syndereseos.**

Prob. Homo peccat *theologice*, et a consecutione ultimi finis impeditur ex eo, quod agat contra legem, juxta illud Ps. 118, 119 : *prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ* : et ad Rom., 4, 15 : *ubi enim non est lex, nec prævaricatio* : sed lex ista nihil aliud esse potest, quam voluntas Dei nobis sub amissione ultimi finis aliquid præcipientis aut prohibentis; ergo. *Min.* constat, quia lumen rationis, aut natura nos non posset excludere ab hoc fine, neque tam gravis offensæ, quæ sit secundum quid infinita, coram Deo reos facere. Hinc S. Aug., L. 2 de pecc., c. 16 ait : *Nec peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubeatur, ut non sit* : et L. 22 cont. Faust., c. 27 peccatum definit, *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei.* Idem testatur Seneca, ep. 65 ad Lucil. Igitur principia syndereseos dum dictant, alia esse præcepta, alia prohibita, duntaxat indicant nobis, naturam humanam esse regulabilem, voluntatem vero divinam esse regulativam.

Conf. Ratione. Sola Dei voluntas est per essentiam *recta, indefectibilis, necessaria, universalis, suprema;* ergo verius in actu voluntatis divinæ, per lumen rationis manifestato, constituitur lex naturalis, quæ procedere debet a legitimo superiore, habente vim obligandi supremam, universalem, efficacem et excellentem. Est ergo lex naturalis *ordinatio divina*, per dictamen rationis homini manifestata, dirigens hominem ad finem ultimum per media necessaria; unde *auctor* hujus legis est Deus, *subjectum* homo, *objectum* media necessaria, *præco* humana ratio.

13. *Obj. I.* Lex naturalis non est *divina*, quia nonnunquam obligat ad inhonesta, v. g. ad mentiendum ex invincibili errore : neque si esset *divina*, distingueretur a lege positiva divina; ergo non datur.

R. *Ad 1.* Lex naturalis nonnunquam obligat ad inhonesta *materialiter*, nunquam ad *formaliter* talia, id quod solum fit lege consequente errorem invincibilem, de quo alibi.

R. *Ad 2.* — *N. seq.* Nam differt ratione *objecti*, quod respectu legis naturalis est necessarium; scilicet intrinsece bona et mala, respectu legis positivæ divinæ est indifferens; hinc illa est necessaria et immutabilis, hæc vero arbitraria Deo : et ratione *promulgationis*, cum lex naturalis sit homini innata et per rationem intimata, una eademque in omnibus hominibus, et omni tempore; lex vero positiva speciali facto promulgari debet.

Inst. 1. Lex naturalis non est *æterna*, tum quia est in homine in quo nihil æternum est, tum quia deleri potest in homine per peccata, tum quia dicit ordinem ad finem; ergo.

R. *Ad 1.* Lex naturalis non est in homine *entitative*, sed *promulgative*, h. e. non per ipsam essentiam suam, sed per cognitionem tanquam formalem applicationem; dicitur autem *naturalis*, tum quia procedit a Deo, ut auctore naturæ, tum quia per ipsum lumen naturale hominibus insitum promulgatur.

Ad 2. Obumbrari potest in homine vitiis addicto cognitio legis naturalis, ipsa vero lex naturalis omnino *deleri* non potest, cujus principia prima et universalissima invitis etiam ingerit natura rationalis; hinc S. Aug., L. 2 Conf., c. 4 ait : *Lex tua, Domine, scripta est in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas.*

Ad 3. Lex quidem creata dicit ordinem ad finem, non item increata, nisi *active*. h. e. ordinat creaturas ad se, quin ipsa ordinetur ulterius : et quia legislator humanus finem habet extra se positum, vel temporalem, vel æternam felicitatem, ad hunc utique finem lex ejus ordinari debet.

Inst. 2. Lex naturalis non est *necessaria* : 1° quia Deus est liberrimus ad extra; ergo sicut potest pro libitu suo concurrere vel non concurrere ad actum bonum vel malum, ita quoque illum præcipere vel prohibere. 2° Si Deus legem naturalem non tulisset libere, ad illam ferendam fuisset obligatus. 3° Lex naturalis etiam obligat ad servanda præcepta divina et humana, quæ non sunt necessaria; ergo nec ipsa.

R. *Ad* 1. Ex supposito, quod Deus hominem libere condiderit, necessitatur per suam infinitam bonitatem, sapientiam et providentiam, ut hominem per media necessaria, inter quæ est lex naturalis, ad suum finem dirigat : simile ferme habes in promissionibus divinis. Porro Deus negando suum concursum non derogaret suis perfectionibus, sed potius absolutum in creaturas dominium suum manifestaret; actum vero intrinsece malum non prohibendo, seipsum negaret infinite bonum, sapientem, providum auctorem et gubernatorem naturæ rationalis. Ad hæc creaturæ actio denegato Dei concursu fit impossibilis, et desinit esse materia legis, neque præcepta affirmativa obligant semper ad semper.

Ad 2. *N. seq.* Nam Deus, utpote supremus omnium Dominus, *legis* proprie talis capax non est; hinc divina sapientia ejusque ordinatio solum proponunt Deo objectum creaturæ præcipiendum, ejusque cum fine ultimo connexionem, quin habeat vim *legis* respectu voluntatis divinæ; *necessitatur* autem consequenter a suis perfectionibus, uti supra dictum.

Ad 3. Præcepta positiva tam humana, quam divina et supernaturalia v. g. de suscipiendo baptismo, de actu fidei divinæ eliciendo, absolute quidem non sunt necessaria; ex supposito tamen, quod Deus naturam rationalem elevarit ad finem supernaturalem, dederitque hominibus potestatem legislativam, ipsum lumen rationis dictat, media ad finem ultimum necessaria esse adhibenda, parendumque superiori justa præcipienti. Ubi adverte, verba Gratiani Dist. 1 in princ. : *Jus naturæ est, quod in lege et Evangelio continetur,* hunc habere sensum, quod lex naturalis etiam in Scriptura contineatur, non istum, quod omnia, quæ Scriptura continet; sint de jure naturæ; patet ex *contextu.*

Inst. 3. Lex naturalis non est *intrinseca,* nec *eadem* in omnibus, tum quia diversæ gentes in multis falluntur circa honestatem, cum ebrietas apud Scythas, apud Turcas fornicatio, apud Sinenses mendacia tanquam naturæ conformia permittantur : tum quia viri etiam piissimi ac doctissimi sæpe hallucinati sunt circa legis naturalis principia; ergo.

R. Hæc et similia plus non probant quam quod 1° Gentes *non omnia* legis naturalis præcepta cognoscant *æqualiter*, atque ex eo quidem, quod honestum male confunderent cum utili ac delectabili, mentemque vitiis excæcarent; attamen in ipsis hisce flagitiis latebras quærunt, et deprehensi erubescunt : 2° Quod viris sæpe doctissimis ac piissimis eæ conclusiones non fuerint cognitæ, quæ ex primis morum principiis tantum *remote* ac *mediate* deducuntur; in his nempe Deus non ita clare illustravit intellectum, sed ut auctor naturæ accommodavit se conditioni ac imbecillitati hominum, eosque

solum in *actu secundo* obligat, quibus talium præceptorum sufficiens cognitio est.

Inst. 4. Lex naturalis non habet *vim coactivam,* quia si obligaret sub pœna, Deus necessario deberet punire transgressores, qui tamen non necessario præmiat factores legis naturalis. Item transgressores non possent in hac vita esse feliciores illis, qui servant legem. Si demum sub *pœna æterna* obligat; ergo illa posset ac deberet *naturaliter* cognosci.

R. *Ad* 1. Quamvis possit Deus ut absolutus dominus solo titulo dominii exigere quodvis obsequium, tamen ut suavissimus ac providentissimus gubernator non potest non decernere præmia meritis, ac pœnas demeritis.

Ad 2. Si transgressores non semper in hac vita, certe in altera puniuntur.

Ad 3. Homo dum graviter peccat, naturaliter agnoscit, actum suum esse graviter prohibitum, et simpliciter se frustrari fine suo ultimo, tum quia immortalem se novit quoad animam, tum quia novit etiam, quod in potestate sua non sit legislatorem offensum sibi reconciliare. Non vero requiritur, ut cognoscat *determinate* talem pœnam inferni, cum sæpe nec rei pro foro seculari de tali pœna determinate cogitaverint.

14. *Obj. II.* Ps. 4, 7 dicitur : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine;* et ad Rom. 2, 14 : *Gentes, quæ legem non habent, ipsi sibi sunt lex;* ergo lex naturalis consistit in *dictamine rationis,* maxime cum S. Aug., D. Thom. et alii SS. PP. illam vocant conscientiam, legem cordi impressam, nobis innatam, etc.

R. — *D. C.* Consistit in dictamine rationis, prout lex naturalis est in *signo* vel in *subdito C.* prout est in legislatore, habens vim obligandi *N.* hinc subdit Scriptura : *qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* SS. PP. nonnunquam legem accip unt pro aliquo illam consequente, unde eam vocant *conscientiam :* dum eamdem dicunt *innatam, impressam, inscriptam cordibus,* de sensu causali sunt intelligendi ; S. Thomas loquitur de lege, prout est in *subdito,* ac subinde comparat legem naturalem cum facto, quod in scriptis legitur; sicut ergo in iis factum nonnisi *objective,* ita et in conscientia lex naturalis *repræsentative* existit.

Inst. 1. Ipsum *rationis dictamen* præcipit ac prohibet, proin et ipsum obligat; ergo est lex naturalis, præsertim cum homo seipsum possit obligare, uti constat ex votis et pactis.

R. — *D. A.* Obligat *ut quo,* tanquam signum vel instrumentum, quo Deus suam legem promulgat et obligat *C.* Obligat *ut quod* et per se, cum ipsum non sit nobis superius. *N.* Dictamen rationis proponit quidem obligationem naturalem, sed dependenter a voluntate divina, cui soli proprie inest vis obligandi; hinc ergo quod homo per *vota* et *pacta* obligetur, id ipsum provenit a lege naturali præcipiente ut fides data servetur : ac proin potest quidem homo tales actus ponere, ob quos lex naturalis ipsum obligat, non autem ipse sibi proprie legem ferre, ac se ipse *directe* obligare.

Inst. 2. Quia agit contra *dictamen rationis,* agit inhoneste, et honeste, qui juxta illud agit; ergo est fundamentum et mensura honestatis naturalis. — Ad hæc dictamina rationis v. g. honestum est parentes honorare, inhonestum est mentiri, sunt necessario vera ; ergo non dependent a voluntate Dei

præcipientis aut prohibentis, cum Deo etiam non existente prius adhuc honestum foret, alterum vero inhonestum.

R. Ad 1. — *D. A.* Agit honeste vel inhoneste ideo præcise, quia agit contra vel juxta dictamen rationis *N.* quia simul agit contra vel juxt legem, quam dictamen rationis promulgat *C.* Etiam per cognitionem legis humanæ diriguntur homines ad honestatem, quin ipsa sit lex. Dein esto, dictamen rationis esse qualecumque fundamentum honestatis; non est tamen idcirco mensura aut *lex proprie obligans*, sicut nec natura divina lex est actuum divinorum, nec beatitudo lex actuum bonorum, quamvis eorum aliquod sint fundamentum.

Ad 2. — *D. C.* Ergo non dependent a voluntate Dei, quatenus hæc dictamina repræsentant malitiam solum radicalem *C.* hæc enim objective datur antecedenter ad voluntatem Dei. Quatenus repræsentant malitiam formalem *N. C. et supp.* quod hæc repræsentari possit sine respectu ad legem. Sic et in casu impossibili Dei non existentis, quamvis concipi posset honestas vel inhonestas *physica* actuum, non tamen *moralis, theologica* et stricte talis, dicens relationem ad potestatem obligantem, cui necessario parendum est.

Inst. 3. *Amor* et *odium Dei* jam ante voluntatem Dei præcipientis aut prohibentis suam habent honestatem vel inhonestatem : nam Deus prohibens *odium sui* habet pro motivo malitiam ejus moralem, quin et ideo illud prohibet, quia honestum est illud prohibere. *Conf.* Juxta S. Thom. aliqua sunt prohibita, quia mala sunt; aliqua sunt mala, quia prohibita; ergo ad illa natura ipsa obligat.

R. — *D. C.* Ergo ipsa natura ad illa obligat ita, ut per ipsam præcise habeatur honestas vel inhonestas radicalis *C.* formalis *N.* nam 1° *formalis* et *theologica* honestas vel inhonestas actuum moralium habetur a conformitate vel difformitate cum lege, hæc ergo existere debet : *radicalis* et *philosophica* a conformitate vel difformitate cum recta constitutione naturæ rationalis, aut potius cum perfectionibus divinis, quæ sunt ultimatum legis fundamentum, et ratio a priori. 2° Ratio item a priori et ultimata prohibitionis divinæ non est malitia moralis actuum, sed infinita Dei perfectio, et ob hanc ipsam rationem nos quoque divinæ legi conformari oportet. 3° S. Thomas illud axioma theologicum tantum intelligit de prohibitis jure positivo, prohibente aliqua antecedenter prohibita a lege naturali, alia vero prohibente antea necdum prohibita a lege naturali, quo non obstante verum manet, quod omnia sint *formaliter mala*, quia prohibita lege vel positiva vel naturali.

Inst. 4. Potest quis invincibiliter ignorans Deum agere contra naturam, quin de Deo cogitet; ergo malitia aut bonitas formalis non semper habetur per conformitatem vel difformitatem cum lege Dei.

R. — *D. A.* Quin de Deo cogitet explicite *C.* implicite et confuse sub conceptu alicujus principii, et supremæ potestatis cum Deo convertibili *N.* Esto, Deum ab homine absolute ignorari posse aliquo tempore, non vero dum homo *actu peccat* : hoc ipso enim quod advertat, actum suum esse graviter difformem naturæ rationali, cognoscit non qualemcumque inhonestatem, sed *culpabilem* et in omnibus omnino circumstantiis prohibitam, etiam in occulto, etiam apud supremos terræ principes, ita ut talis actus sit nullatenus faciendus, quibuscumque demum impellentibus, eo quod sit contra finem naturæ ab altiore quodam Ente propositum : nempe tunc solum actus in

sensu stricto est contra naturam rationalem et peccaminosus, quando repugnat fini creaturæ rationalis et rectæ habitudini ad Deum.

Est ergo natura rationalis *subjectum* legis naturæ, recta ratio sive lumen rationis, *præco* illius, dictata rectæ rationis ejusdem legis *applicatio;* ipsa vero *lex naturalis* est ordinatio divina, æterna, necessaria, qua Deus præcipiendo intrinsece bona, et prohibendo intrinsece mala, dirigit hominem ad finem suum ultimum.

ARTICULUS IV.

DE PRINCIPIO INTRINSECO ET ULTIMO LEGIS NATURALIS.

15. *Nota.* Quæstio hæc quam est hodie celebris, tam est obscura; adeo quippe discrepant auctorum sententiæ, ut varii varia, aliqui nullum plane legis naturalis principium ultimum velint determinare. Equidem lex naturalis scripta est in cordibus nostris, et prima ac generalia ejusdem principia omnibus pervia sunt; sæpe tamen in materia particulari non innotescit clare, an hæc vel illa actio subjaceat legi naturali. Hoc *principium cognoscendi* juris naturalis, b. e. fundamentum, ex quo certo constet, quidnam a lege naturali præcipiatur aut prohibeatur, quidam statuunt in recta ratione, alii in voluntate Dei, in cultu divino alii : Hugo Grotius, Puffendorff, Thomasius, etc., in societate; illust. Wolffius in perfectione sui, aut in convenientia actionum humanarum; Lamb. Velthuysen in conservatione sui; Hobbesius in utilitate propria; alii cum Ulpiano in naturæ instinctu, et quidem bestiis communi cum Schmausio; demum Aristoteles et Tullius in communi gentium moratarum consensu. DD. vero catholici, sicut in genere *entis* principium contradictionis, ita in genere *morum* ultimatum esse volunt principium boni et mali : alii in recta constitutione naturæ rationalis, alii cum P. Ign. Schwarz in triplici amore, erga Deum, proximum et seipsum, alii cum P. Biner in divinis perfectionibus illud constituunt.

16. *Dico.* **Principium cognoscendi juris naturalis immediatum est recta constitutio naturæ rationalis, qua homo se rite habeat erga Deum, proximum et seipsum : mediatum et ultimum sunt infinita Dei sanctitas, bonitas, sapientia, providentia, aliæque perfectiones divinæ.**

Prob. 1^um^. Secundum lumen rationis recte sic arguo : si e. g. homicidium injustum, furtum, adulterium non essent prohibita, si ordinatus sui amor, temperantia, charitas mutua, pax et concordia non essent præcepta, male constituta et sua felicitate destituta foret humana respublica; ergo hæc lege naturali præcepta sunt, illa vero prohibita. Si *quæras ulterius,* unde intelligi possit, quod hoc vel illud ad rectam constitutionem et felicitatem naturæ rationalis sit necessarium aut ei oppositum? *Dicendum,* humanam rempublicam esse recte constitutam ac felicem per officia *Deo, sibi* et *proximo* rite præstita : si enim religio, cultus, amor Deo; sibi ipsi temperantia, prudens amor; et proximo justitia, fides ac charitas exhibeantur, bene constituta erit, felixque respublica humana : male vero, si negligantur; ergo lumen rationis dictat, hæc omnia lege naturali præcepta,

illisque contraria esse prohibita, quia alias natura rationalis neque recte constituta, neque felix intelligitur.

Prob. 2um. Deus naturam rationalem ad se tanquam finem ultimum, ad suam gloriam extrinsecam, et ad suas perfectiones manifestandas condidit; ergo tanquam sapiens ac providus ejusdem gubernator, quidquid huic fini oppositum est, prohibere, et quidquid ad illum necessarium est, præcipere necessario debet, quia alias natura rationalis non esset recte comparata ad finem suum, ejusque imperfectio redundaret in ejus auctorem et gubernatorem; ergo quidquid derogat perfectionibus divinis manifestandis, aut sapientiæ ac providentiæ sanctissimi gubernatoris, id necessario prohibitum, quidquid illæ perfectiones exigunt præcipi, id lege naturali præceptum esse censeri debet.

Hinc *si quæratur :* quare Deus necessario præcipit amorem Dei, cultum, obedientiam, mutuam inter homines charitatem, pacem, concordiam, ordinatum sui amorem, temperantiam? quare Deus necessario prohibet odium Dei, blasphemiam, furta, adulteria, gulam, intemperantiam, suicidium? *Respondendum,* quia alias Deus non sapienter ac provide ad finem suum gubernaret rempublicam humanam, neque manifestarentur ejus perfectiones, sed potius aut impotentiæ aut imprudentiæ nota in Deum redundaret; ergo quidquid exigit gloria providentissimi gubernatoris, ejusque finis sanctissimus, id omne necessario præcipi, et quidquid eidem repugnat, necessario prohiberi a Deo debet; ac proin ipsæ *perfectiones divinæ* sunt ultimata mensura bonitatis aut malitiæ intrinsecæ, et principium ultimum legis naturalis.

Conf. Ratione. Principium cognoscendi debet esse *certum,* quia alias leges exin deductæ essent fallibiles : *adæquatum,* ex quo omnia legis naturalis præcepta derivari possint : *ultimum,* cujus ratio ulterior peti nequeat : *ex ipsa natura notum,* sicut ipsa lex naturæ : sed has dotes habet principium cognoscendi a nobis assertum; ergo.

Prob. min. 1° *Certum* est, quia quam necessario Deus est infinite perfectus, sapiens ac providus, tam necessario gubernat naturam rationalem ad finem suum sapienter ac provide; unde si quid pugnet cum his perfectionibus, *certissime* intelligitur prohibitum lege naturali. 2° Est *adæquatum,* quia ex illo manifeste deducuntur illa triplicia hominis officia, sine quibus natura rationalis non esset rite ordinata ad manifestandas perfectiones divinas. 3° Est *ultimatum,* quia sicut voluntas divina est ultima ratio, cur res existant, sic bonitas et sapientia Dei est unica et ultima ratio, cur *bene* existant : nam certe ratio alia non est, cur Deus per leges naturales rectam constitutionem et felicitatem naturæ rationalis procurare necessario debeat, quam infinitæ perfectiones supremi gubernatoris. 4° Est *ex ipsa natura notum,* quia ex se evidens est, omne opus Dei esse bene et sapienter constitutum, et solam Dei infinitam perfectionem potuisse Deo necessitatem imponere, omnia illa præcipiendi vel prohibendi, quæ rectæ constitutioni ac felicitati naturæ rationalis conveniunt vel disconveniunt; ergo cum reliqua principia fere omnia in uno alterove deficiant, nostrum omnibus videtur præferendum.

17. *Obj. I.* Recta constitutio naturæ rationalis non est principium *evidens,*

cum evidens non sit, cur Deus possit naturam rationalem absolute destruere, non item male constituere : nec *adæquatum*, quia ex illo non deducuntur officia erga proximum : nec *universale*, quia in casu, quo per unicum mendacium servari posset tota respublica humana, huic parendum esset, cum mendacium maneret prohibitum lege naturali. Demum aut non est *immediatum*, aut simul erit *ultimatum*, quia recte sic arguo : hæc vel illa actio est juxta vel contra rectam constitutionem ac felicitatem naturæ rationalis; ergo est lege naturali præcepta vel prohibita.

R. *N. singula* : Nam 1° *mala* creaturæ rationalis *constitutio* repugnat sapientiæ Dei, non item illius destructio, cum nulla creatura existat necessario. 2° Evidenter repugnat *felicitas* et *tranquillitas* creaturæ rationalis sine justitia, fide, mutua ope et amore. 3° Talis casus, qui tamen plane inconceptibilis est, mere *per accidens* se haberet, adeoque per illum nequit fieri honestum, quod antecedenter et ex natura sua repugnat rectæ constitutioni naturæ rationalis, tanquam intrincse inhonestum. 4° Semper *ulterius quæri* potest, quid necessita em Deo imponat, ut rectæ illi constitutioni ac felicitati per leges naturales prospiciat? cur non possit in casu saltem particulari permittere aliquid huic felicitati contrarium, sicut potest totum universum redigere in nihilum? Itaque ultimato recurrendum est ad summam perfectionem supremi gubernatoris.

Inst. 1. Si *perfectiones divinæ* fundamentum et ultima ratio sunt legis naturalis; ergo committitur *circulus* : nam ideo aliqua sunt prohibita lege naturali, quia repugnant perfectionibus divinis, et ideo his repugnant, quia sunt lege naturali prohibita. Præterea sunt aliqua, quæ divinis perfectionibus repugnant, e. g. *irasci, tristari, ignorare,* quæ tamen lege naturali prohibita non sunt, et aliqua lege naturali prohibita sunt, quæ nulli perfectioni divinæ repugnant, uti *mendacium* et *ingratitudo.*

R. *Ad* 1. — *N. seq.* Sed ideo hoc vel illud est intrinsece inhonestum et lege naturali prohibitum, quia repugnat felicitati rectæque constitutioni naturæ rationalis, et ideo omnia huic repugnantia necessario prohibentur, quia si blasphemia v. g. mendacium, adulterium, etc., non essent lege naturali prohibita, Deus ut auctor et gubernator naturæ rationalis hanc neque creasset, neque regeret sapienter ac provide. Adde, quod Deus infinite perfectus *ex se ipso* determinatus sit, ut omnia illa præcipiat, quæ ad finem a se intentum necessaria sunt, et opposita prohibeat. Manifestum etiam cuivis est, quod a Deo tanquam regula recti et honesti omnia dependeant, ut ne quidem quæri ulterius possit. Demum facilius et potiori jure hic circulus retorquetur in quævis alia de hoc principio systemata.

Ad 2. — *D. A.* Irasci, tristari, ignorare repugnant perfectionibus divinis relate ad naturam creatam *N.* divinam *C.* Quamvis Deo, non vero creaturæ repugnant ista, nec exinde redundat imperfectio in sapientiam divinam, quod in natura creata relinquat imperfectiones aliquas, quæ tamen cum fine a creatore intento non pugnant. Videtur autem *mendacium* opponi divinæ veracitati, quæ sicut a Deo omne mendacium excludit, ita etiam exigit illud prohiberi creaturis alias ineptis ad manifestandam veracitatem Dei. *Ingratitudo* semper opponitur gratitudini, quæ debetur infinitæ Dei beneficentiæ, a qua omnia proveniunt. Dein licet *ingratitudo* et *mendacium* perfectioni divinæ singulari non adversarentur, tamen sanctitati, providentiæ ac sapientiæ

divini gubernatoris repugnarent, et si in uno alterove casu non prohiberentur, cum gravi reipublicæ humanæ damno facile ad plures casus licentia hæc extenderetur.

Inst. 2. Sæpe difficile est determinare, an actus aliquis repugnet perfectionibus divinis, vel non; ergo hoc principium non est *ex ipsa natura notum.*

R. Utique difficile est, pro singulis actionibus honestis vel inhonestis assignare aliquam perfectionem divinam, cui talis actio specialiter ac immediate conformis vel difformis sit : sed premit hæc difficultas omnes etiam alias sententias. Igitur determinate assignari poterunt sapientia, providentia, bonitas Dei, unde evidenter infertur recta naturæ constitutio, atque exin mensura honestatis et inhonestatis; imo juxta communem felicitas creaturæ rationalis etiam pro statu naturæ puræ haud foret alia, quam recta constitutio in ordine ad ultimum suum finem naturalem, Deum scilicet, ejusque perfectiones manifestandas et commendandas; itaque licet Deus hominem creare vel non creare pro libitu potuerit, ad alium tamen finem creare non potuit, quam propter se et ad suam gloriam, cum bonum infinitum in suis creaturis necessario seipsum amet, ac infinita sapientia pro fine omnis operationis necessario habeat summum bonum.

Præterea dantur *adminicula*, et veluti *regulæ particulares*, ex quibus ista difficultas mitigatur in multis, nempe Scriptura S., et jus positivum divinum, cum veritas non sit contraria veritati, nec jus naturæ juri divino : Decreta Conciliorum et Pontificum, queis sæpe declaratur lex naturæ : sacri Canones, quos Imperator Nov. 83, c. 1 sacras ac divinas regulas compellat : Jus civile Romanum variis in locis : testimonia SS. Patrum : consensus TT. et JCtorum, nec non omnium gentium præsertim magis moratarum.

Inst. 3. Non est potior ratio, cur principium cognoscendi juris naturalis non constituatur in *recta ratione, voluntate Dei*, aut *cultu divino*; ergo.

R. — *N. A.* Nam 1° *recta ratio* potius est applicatio principii, quam ipsum principium : honestatem vel inhonestatem objectis non tribuit, sed supponit intrinsecam : nec servit universaliter ad dignoscendam legem naturæ, cum, quotquot sive catholici sive acatholici circa jus naturale erraverunt, omnes et quidem sibi solis vindicaverint rectam rationem. 2° *Voluntas Dei* efficit principium *essendi*, non *cognoscendi*, de quo hic quæritur : hoc enim oportet esse ultimum fundamentum, ex quo certo cognoscatur, cur et quæ Deus necessario præcipiat aut prohibeat. 3° Quoad *cultum divinum*, idipsum in quæstione est, cur hic aut ille actus ad cultum divinum aptus, alii vero inepti sint; sequeretur etiam, omnem actum bonum et honestum esse lege naturali præceptum, cum quilibet eorum aptus sit ad aliquem Dei cultum.

18. *Obj. II.* Recte sic arguo : hoc exigit bonum *socialis vitæ, propria utilitas, perfectio* et *conservatio sui*; ergo est lege naturali præceptum, proinde illa præcepta *socialiter vive, studе commodis tuis, perfice te, conserva te*, sunt prima et fundamentalia legis naturalis principia.

R. — *N. C.* Nam 1° si omnibus omnino hominibus lex naturalis primo et absolute præciperet *socialiter vivere*; ergo Adam necdum conducta Eva legem naturæ habuisset nullam : vita tot SS. Anachoretarum fuisset contraria legi naturali, neque ullus unquam salva lege naturali solitarius vivere posset. Nonne peccata solum *interna*, quæ tamen bono socialitatis non officiunt, pro-

hibita sunt lege naturali, imo incestus in primo gradu ascendentium, qui viguit inter Persas, Reginæ sterilis repudiatio, tyranni occisio, cædes judicis notorie injusti, quæ lege naturali vetita sunt, utilia potius viderentur socialitati; quam exitiales sequelæ! Demum lex naturalis versatur circa triplex officium hominis ergo *Deum, seipsum* et *proximum :* sed socialitas non est fundamentum aptum ad eruenda officia erga Deum et seipsum, imo nec illa erga proximum omnia complectitur, quia solum externam felicitatem spectat.

2° Primarium hominis officium est erga *Deum,* auctorem nostrum et finem ultimum; hinc illud mandatum : *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* primum et maximum esse dicitur; ergo actus illi, qui Deum concernunt, lege naturali principaliter præcepti aut prohibiti sint. Dein honestas non ob *propriam* duntaxat *utilitatem,* sed propter seipsam meretur appeti, uti gentiles agnoverunt, ac propemodum bruta fecerunt, dum non raro proprium commodum pietati et gratitudini postponerent. Denique homo non est conditus propter se solum; et si *perfectio* vel *utilitas propria* esset primum ac fundamentale legis naturalis principium, nihil esset contra legem naturæ, quod propriam utilitatem promovet, sicque Machiavellismo et omnibus flagitiis panderetur via cum summo reipublicæ et societatis humanæ detrimento.

Inst. 1. *Socialitas* est proprium ac sufficiens principium totius jurisprudentiæ naturalis, quia interna hominis ad *ethicam,* et officia hominis erga Deum spectant ad *theologiam naturalem;* ergo cum *socialitas* ordinet præcise *externa* hominis, est principium aptum et sufficiens totius jurisprudentiæ naturalis.

R. Hoc ipso argumento probant *Puffendorffiani,* suum jus naturæ mancum, enerve, ultra fata non extensum, soli foro externo et naturæ puræ, quæ non est, non fuit, non erit, accommodatum, quamquam ne huic quidem sufficiens, ut dictum supra; probant sane, jurisprudentiam suam naturalem eam esse, a qua Deus, auctor, conservator, gubernator, dominus, judex, finis et felicitas naturæ rationalis exulare jubetur, ut nempe occultis facinoribus sit immunitas, et legum sæpe observantissimos nullum præmium, legum negligentissimos pœna nulla maneat. Næ hoc *larvatum* sit jus naturæ! profecto natura hominem non solum ordinat ad commercium cum *proximo,* sed ad *Deum* etiam et *seipsum.*

Inst. 2. Saltem non apparet, cur aut *instinctus naturæ,* aut *communis gentium moratarum consensus* non sint illud principium legis naturalis; ergo.

R. — *N. A.* Nam 1° non est certum, quid sit ille *instinctus naturalis :* qua ratione bonus discernatur a spurio : undenam vim legis habeat : probrosum sane, et pecudes et homines eodem jure ligare, cujus nulla capax est natura, nisi quæ rationis, libertatis, obligationis, præmii et pœnæ capax est. Sunt autem fortassis etiamnum magistri prurientes auribus, qui dum *naturæ instinctum bestiis communem* impune sequuntur, turpissima quæque non tantum licita, sed quandoque præcepta etiam tum sibi, tum aliis persuadeant. 2° *Consensus gentium* non est principium *ultimum,* quia hæ ipsæ gentes supponunt priorem sic judicandi rationem : neque *certum,* quia multæ gentes sæpe turpiter errarunt; unde igitur discernam moratas a non moratis? aut si homo solus sit, numquid legem naturæ non agnoscet?

19. *Obj. III.* Sicut in genere speculativo universalissimum est illud contradictionis principium, *ens et non ens,* ita in genere morali principium *boni et mali,* juxta illud : *declina a malo, et fac bonum*; ergo hoc est principium cognoscendi, aut certe illud *triplicis amoris,* per quod principium boni et mali magis determinatur.

R. — *N. A.* Nam 1° ex principio hoc triplicis amoris : *fac vel omitte ea, quæ ex amore Deo, tibi, proximo naturaliter debita sunt,* necdum apparet cur Deus necessario debeat omnia hæc officia præcipere, et opposita prohibere, ut tali modo hominem promoveat ad felicitatem. Ad hæc sicut triplex amor, ita felicitas ipsa nobis lege naturali præcepta est; quodnam igitur est principium horum præceptorum? quænam regula certa discernendi inter amorem verum et spurium? profecto sine hac erunt homines, qui arbitrentur, obsequium se præstare Deo, cum alios occiderint; qui sibi persuadeant, licere furtum ad sublevandam gravem alterius necessitatem, licitum mendacium esse pro bono publico, ac plura hujusmodi legi naturali adversantia. 2° Admittimus ultro principium *boni et mali* esse universalissimum; tamen quia de se nihil determinate explicat, quodnam sit illud bonum et malum, magis utique determinari debet per illud principium *triplicis amoris.* Atque hoc etiam principium statuimus tanquam universale et practicum : neutrum vero est *principium cognoscendi ultimum,* quia ulterius quæritur : unde et quare lex illa lata sit, et probetur latam esse?

Inst. Triplex ille amor manifeste dictatur a natura rationali, et ex illo fluunt omnia reliqua dictamina juris naturalis; ergo est principium legis naturalis primum et ultimum.

R. — *N. C.* Id solum sequitur, triplicem illum amorem esse constitutivum, practicum et fundamentale legis naturalis præceptum, non vero *principium cognoscendi,* quod debet esse ultimata ratio quærenti, cur Deus, sicut alia lege naturali præcepta, ita et triplicem hunc amorem necessario præceperit, etc.; et hæc quidem quæstio resolvi ultimato debet ex fine naturali hominis ita, ut *immediatum* cognoscendi juris naturalis principium sit recta constitutio naturæ rationalis, *ultimatum* perfectiones divinæ.

20. *Observa.* Qam veram ac genuinam de hoc principio ideam assecuti sunt plerique Heterodoxi, sat prodit ingens illorum hac super re dissidium, ortum partim ex confusione principii *essendi* cum principio *cognoscendi*; potissimum vero ex *affectuum licentia.* In eo solum concordant fere omnes, quod in bonis corporis, et vitæ hujus commodis reponant naturæ rationalis finem ac felicitatem, quæ mille curis, fallaciis, miseriis obnoxia infelicitas est. Atque hinc quoque manifestum est, quam inique Puffendorff et hujus sequaces, ceu jurisprudentiæ naturalis restauratores nostris, sive TT., sive JCtis, sive Ethicis insultent, quod nullibi de *primo aliquo legis naturalis principio* clare statuant. Sane non est ulla doctrina morum, quam tot libri *Theologiæ moralis* nunquam non copiosissime ac solidissime pertractarunt, ad christianam, non humanam duntaxat morum institutionem destinati. Porro frequentissima in *jure can. et civ.* mentio et explanatio æquitatis naturalis recurrit; id vero libertinis nostri temporis arridet minime, libertatem humanam communi quodam juris naturalis et positivi vinculo adstringi Evangelio et Ecclesiæ.

Demum quæstio hæc, magni hodie nominis, a nobis idcirco maxime discussa pluribus est, ne doctis hac in re imperiti, sciolis contemptibiles videremur, atque ut pro viribus obniteremur contra torrentem falsorum noxiorumque principiorum, quibus hoc ævo juventus academica, præsertim in *exteris scholis*, male imbuta redditur non raro sinceritatis nescia, inhians voluptati, sui immemor, cœli Deique oblita, legum omnisque disciplinæ impatiens, religionis incuria, verecundiæ inimica.

ARTICULUS V.

DE IMMUTABILITATE LEGIS NATURALIS.

21. *Nota.* Mutationem legis quidam discernunt in *formalem* ac *propriam*, ut dum materia manente eadem tollitur obligatio legis : et in *materialem* ac *impropriam*, ut dum non tam lex ipsa, quam ejus objectum mutatur, ita ut non sit amplius materia legis. Pauci quidam veteres opinati sunt, posse Deum absolute dispensare in omnibus præceptis naturalibus, quin et totam hanc legem abrogare : sed hæc opinion plane abolita est. Scotistæ docent, Deum in lege naturali dispensare posse, at solum circa præcepta secundæ fabulæ, excepto mendacio : verum hæc doctrina videtur manifeste contraria Doctori Angelico et communi sententiæ TT.

Alii non pauci etiam graves DD. dicunt, circa legem naturalem *impropriam* ac *materialem* mutationem tunc fieri posse, quando ejus materia dependet a dominio et potestate Dei vel hominis, uti vita, corpus, fortunæ, conventiones, pacta et contractus, non vero *propriam* et *formalem*, scilicet in iis, quæ intrinsece mala sunt, ita ut per nullius dominium aut potestatem cohonestari possint; atque ideo distinguunt jus naturæ in *absolutum* absolute immutabile, quod ea præcipit vel prohibet, quæ semper et in omnibus circumstantiis sunt intrinsece bona vel mala, e. g. amare Deum, blasphemare, etc., et in *conditionatum* saltem improprie mutabile ac dispensabile, quod in certis duntaxat circumstantiis et sub certis conditionibus obligat, v. g. non occides, in quo Deus cum Abrahamo dispensavit.

Verum tametsi hic modus loquendi majoris claritatis gratia nonnunquam adhiberi possit; tamen minus in re tanta accuratus plerisque non probatur; hinc

22. *Dico.* **Lex naturalis sive præceptiva, sive prohibitiva est absolute immutabilis ac indispensabilis.**

Prob. Inferior non potest dispensare in lege superioris, et homo contra ordinationem Dei utique nihil valet : ad hæc si homo derogare posset legi naturali, suum fundamentum ac consecutive seipsum destrueret, cum lex naturalis fundamentum sit juris humani; ergo nequit *homo* dispensare in lege naturæ; imo nec *Deus*, quia dispensare aliquem in lege naturali, est eidem permittere, ut faciat aliquid lege naturali prohibitum, scilicet, ut licite agat contra legem manentibus omnibus circumstantiis, in quibus lex cæteroqui viget ac obligat : atqui hoc Deus non potest; ergo. *Prob. min.* Quod per præcepta *affirmativa* legis naturalis præcipitur, est antecedenter ad legem

ex natura sua radicaliter bonum, rectæ rationi, rectæque constitutioni naturæ rationalis ad finem suum, et perfectionibus divinis congruum; quod vero per præcepta *negativa* prohibetur, est antecedenter ad legem, intrinsece, ex natura sua malum, turpe, rectæ rationi et constitutioni naturæ rationalis difforme, pugnatque cum perfectionibus divinis : atqui Deus non potest permittere, ut omissio actus taliter præcepti, aut actio taliter prohibita, manentibus omnibus circumstantiis, in quibus lex viget ac obligat, fiat licita, quia juxta Apost., 2 Tim. 2, 13. *Deus fidelis permanet, negare seipsum non potest,* adeoque sicut necessario vi sapientiæ, providentiæ, aliarumque perfectionum tales leges tulit, ita ab earumdem obligatione neminem eximere potest; ergo.

Dixi, *absolute immutabilis;* unde sequitur, proprie loquendo, nullum dari jus naturæ *conditionatum,* neque mutationem legis naturalis *materialem* ita, ut actio, quæ est objectum sive materia legis naturalis, possit extrahi e jure naturali : nam cum omnis lex naturalis tantum respiciat suum objectum sub illis determinatis circumstantiis, sub quibus est *intrinsece bonum vel malum,* sicut lex ipsa semper manet eadem, ita etiam ejus objectum semper manet idem; proin nequidem materialis et impropria mutatio, aut dispensatio possibilis est, semper manente ratione hac specifica *intrinsece boni et mali.* Si quid vero hanc rationem specificam non participat, uti fit in iis casibus, in quibus dedit jus in vitam, fortunas, corpora : id nunquam fuit objectum legis naturalis; ergo nec ab illo extrahi potest. *Conf.* Deus non potest facere ex *impossibili possibile,* aut contra, quia utrumque habetur ab intrinseca rerum convenientia vel disconvenientia; ergo nec ex *inhonesto honestum,* aut contra, quia honestas vel inhonestas intrinseca ab ipsa objectorum natura desumitur.

23. *Obj. I.* Lege naturæ bona omnia erant communia, omnesque homines liberi; attamen introducta est *bonorum divisio, proprietas et servitus;* ergo lex naturæ mutationem subiit.

R. — *D. A.* Omnia bona erant communia lege naturali positive præcipiente *N.* non statuente contrarium, sed negative se habente *C.* uti nec *libertas hominum,* nec *bonorum communio* lege naturali præcepta, ita nec *servitus,* nec *bonorum divisio* prohibita fuerant, adeoque hæc salva lege naturali poterant ex rationabili causa introduci. Ad hæc non hic intervenit lex naturalis proprie aut præceptiva aut prohibitiva, sed duntaxat permissiva, quæ non tam lex est, quam silentium legis.

Inst. 1. De jure naturæ valent *fidejussio mulieris, mutuum filii familias, contractus pupilli* vel *minoris* sine consensu tutoris vel curatoris initus : item *testamentum, electio, alienatio rerum Eccl.* sine solemnitatibus, quæ tamen omnia per leges humanas irritantur; ergo.

R. — *D. A.* Valent de jure naturæ positive et absolute illos validante aut præcipiente, ut pro validis habeantur *N.* valent negative, lege naturali indifferenter se habente ad illorum valorem *C.* Lex naturalis dictat, fidem datam servandam, et contractum valide initum implendum esse; an vero hic et nunc fides sit valide data, an valide initus contractus, non decernit positive et absolute, sed magistratibus pro sua divinitus concessa potestate decernendum relinquit, uti patet in matrimonio clandestino.

Inst. 2. Retinere rem alienam invito domino, est contra jus naturale : sed hoc facit licitum *lex præscriptionis;* ergo.

R. — *N. M.* quia res legitime præscripta non manet aliena, utpote cujus dominium respublica transtulit in *præscribentem* ob bonum commune, ne dominia rerum semper sint incerta, continuæ lites, etc.; quamvis enim Principis potestas se non extendat ad auferenda subditis sua jura ac bona, cum non habeat plenum rerum singularum dominium proprietatis; habet tamen Princeps a republica dominium altum et eminentiale, vi cujus potest de bonis subditorum disponere pro necessitate publica. Sic et Israelitæ, dum *vasa Ægyptiorum* auferrent Exod. 12, non abstulerunt rem alienam, sed suam, quippe cujus proprietatem Deus in eos transtulerat; neque Ægyptii poterant esse rationabiliter inviti, quia Israelitæ proprietatem acceperunt a supremo rerum omnium domino, qui illam dare potest, quando et cui vult; itaque lex naturalis non fuit immutata, cum Deus non fecerit, ut *furtum* esset licitum, sed tantum ut *furtum* non esset, adeoque non comprehenderetur sub lege naturali, quæ solum prohibet *furtum* semper et pro omni casu intrinsece malum.

Inst. 3. Qui tulit legem, legem abrogare aut certe in ea dispensare potest; ergo Deus legem naturalem quam tulit mutare potest.

R. — *D. A.* Nisi lex fundetur in intrinseca proportione et connexione actus imperati cum natura rationali, aut in intrinseca repugnantia actus prohibiti cum eadem natura *C.* quando lex ita fundatur *subd.* homo legislator potest legem abrogare aut mutare *C.* legislator Deus *N.* Homo si rem naturæ lege prohibitam et ipse prohiberet, posset auferre sanctionem, quia homini non inest necessitas, sive ex *perfectione naturæ,* sive ex *generali providendi cura,* ea omnia lege vetandi quæ per se turpia sunt : secus Deo. Porro *lex humana* de se fertur libere contra materiam intrinsece nec malam, nec bonam, potest desinere ejus finis, possunt occurrere rationabiles causæ eam immutandi : contraria omnia conveniunt legi naturali, qua Deus creaturam rationalem quam libere condidit necessario gubernat, ut provide ac sapienter eam gubernet.

24. *Obj. II.* Deus sæpe jam dispensavit in lege naturali, e. g. cum Abrahamo in præcepto, *non occides,* Gen. 22, cum Samsone in *suicidio,* Jud. 16, et cum Israelitis in præcepto *non fœnerandi,* Deut. 23, 19, ergo.

R. *Ad* 1. — *N. A.* Lex naturalis tantum prohibet *homicidium injustum* : sed occidere filium jubente supremo vitæ Domino, nullam dicit injustitiam, insignem vero obedientiam; ut ergo Deus dicatur dispensasse in lege naturali, debuit occisionem *injustam,* quæ sola est objectum juris naturalis, facere licitam, id est, sub ea ratione licitam, sub qua vetatur lege naturali, quod nunquam factum, nec fieri potest.

Ad 2. Idem dicendum, quia Samson ex speciali Dei instinctu se et alios interfecit, uti docent S. Aug. et D. Thom. Atque hinc etiam liquet quomodo liceat judici reos morte plectere, ac seipsum defendere defensione occisiva, servato moderamine inculpatæ tutelæ, quin dispensetur in lege naturali.

Ad 3. — *N. A.* Nam usura *formaliter* sumpta est mutuatio cum pacto accipiendi aliquid supra sortem præcise ratione mutui, et *objective* sumpta est lucrum immediate ex mutuo proveniens; ut ergo Deus dispensaret in lege *non fœnerandi,* deberet concedere, ut mutuatio cum tali pacto esset licita, et tale

lucrum præcise *vi mutui*, ex re aliena licite acciperetur : hoc autem Deus non concessit, quia usuras Judæis non permisit *absolute*, sed tantum *respective*, scilicet ad hostes vel jam expugnatos, vel eos qui terram promissionis a Deo universi domino Judæis concessam, tanquam injusti possessores detinebant, adeoque non tanquam *lucrum ex re aliena*, sed sua, ita ut Deus posito mutuo, ceu mera conditione, daret Israelitis dominium rei stabile; prout de facto etiam in Germania, Respublica transtulit quincunces, eorumque dominium in mutuantem, sicut in præscriptione. Juxta D. Thom. 2, 2, q. 78, a. 1, ad 2, hoc Judæis non fuit concessum tanquam *licitum*, sed duntaxat *permissum* ad majus malum evitandum.

Inst. 1. Præcepta *non mentiendi, non fornicandi, non adorandi falsos Deos*, sunt naturalia : sed in *primo* fuit dispensatum cum obstetricibus Ægyptiis, quarum adeo mendacium Deus præmiavit, ædificando eis domos, Exod. 1, 21. In *secundo* cum Osea, cui mandavit Deus, ut sumat sibi uxorem fornicariam, et faceret sibi filios fornicationum, Oseæ 1. In *tertio*, cum 4 Reg. 5, permisit Naaman Syro, adorare Rheumon, idolum Damascenorum; ergo.

R. — *N. M.* Nam 1° *obstetrices Ægyptiæ* ex intentione bona, misericordia et timore Domini masculis Hebræorum ad necem a Pharaone destinatis prodesse voluerunt, sed medio illicito, nimirum *mendacio;* intentionem bonam remuneratus est Deus præmio temporali, mendacium non probavit, nec quoad illud dispensavit; ita S. Aug.

2° Deus non præcepit aut permisit, ut Oseas accederet ad non suam ac fornicaretur, sed ut fornicariam publicam duceret in uxorem; ita S. Hier. scribens in hunc locum : *Quanto illa sordidior est, tanto Propheta patientior, qui talem duxit uxorem*, et S. Aug. : *Quid inimicum fidei christianæ, si meretrix relicta fornicatione in castum conjugium copuletur?* Ipsius autem filii quamvis legitimi vocantur *filii fornicationum*, vel quia ipsis adhæsit macula matris, infamis antea meretricis, vel quia filios a fornicaria genitos Propheta adoptavit, ut innuunt hebræi et græci Codices, in quibus legitur : *Sume tibi uxorem et filios fornicationum*. D. Thom. 2, 2, q. 154, a. 2, ad 1 dicens : Osea *non peccavit, fornicando ex mandato divino;* ibidem seipsum explicat his verbis : *nec talis concubitus proprie fornicatio dici debet, quamvis fornicatio nominetur, referendo ad cursum communem.* S. Bern. dicit quidem, fuisse flagitium, *si non excusasset factum auctoritas imperantis;* at respondent alii fuisse verum matrimonium, ac ideo solum Oseam indiguisse dispensatione, quia prohibitum erat sacerdotibus et levitis ducere scortum vel repudiatam.

3° Naaman Syro tantum ab Elisæo declaratum fuit, quod ante idolum procumbere mere ad sustentandum Regem idoli adoratorem, id quod Naamanis officium erat, non sit idoli adoratio, ac proin licite illum ex hoc præcise fine genuflectere coram idolo. Juxta alios verba Elisæi, *vade in pace*, videntur tantum significare permissionem et voluntatem orandi pro Naamane, si forte peccaret.

Inst. 2. Deus dispensavit cum Patriarchis V. T., permittendo iis *polygamiam*, quæ est lege naturali vetita ; ergo.

R. — *N. A. Polygamia* jure naturali prohibita est accessus ad plures non suas, videlicet traditio juris quod tradens non habet; hanc vero Deus lici-

tam non fecit, quod facere debuisset, si vere in *polygamia* dispensasset : cum enim dominium supremum sicut in vitam et fortunas, ita et in corpora hominum habeat, potest utique dare uni viro jus in plura corpora, et pluribus fœminis jus in corpus unius viri. Tale jus in corpora dedit Deus in V. T., proinde licitam non fecit illam *polygamiam,* quæ est accessus ad plures non suas, aut quæ est traditio juris quod tradens non habet, adeoque lege naturali prohibitam, sed illam quæ lege naturali nunquam fuit prohibita, scilicet quæ sit accessus ad suas, aut traditio juris quod tradens habet. Tale jus cum Deus in N. T. non concedat, *polygamia* nunc suo modo prohibita est lege naturali, ita ut matrimonium *ratum* cum pluribus foret attentata traditio juris quod non existit : et *consummatum* cum pluribus foret accessus ad non suas, adeoque verum adulterium.

Idem fere dicendum de matrimonio in *primo gradu consanguinitatis lincæ rectæ,* e. g. patris cum filia, quod semper jure naturali fuit prohibitum, cum in hac providentia nunquam dederit jus patri in corpus filiæ, licet in alia fors providentia illud *absolute* dare potuisset, si necessitas propagationis humanæ id postulasset ; atque hoc quidem pro casu, quo soli in mundo existerent, facile concedunt auctores, quin tunc dispensaretur in lege naturali, qua solum prohibetur conjunctio patris cum filia tanquam non sua, id quod Deus in casu non faceret licitum.

Inst. 3. *Blasphemia, odium Dei, mendacium* sunt pro omni casu et omnibus circumstantiis semper absolute prohibita; ergo etiam furtum, homicidium, polygamia.

R. — *N. supp.* quod furtum, homicidium, polygamia aut quidquam aliud possit fieri licitum sub ea ratione, sub qua prohibetur a jure naturali; nam sicut *blasphemia* et *mendacium* pro nullo casu nullisque circumstantiis possunt fieri licita, sic neque homicidium *injustum,* furtum et adulterium *proprie* dictum; hoc ergo solum est verum, quod non omne homicidium, sed tantum *injustum,* non omnis occupatio rei, sed tantum *alienæ,* non omnis accessus ad fœminam, sed tantum ad *non suam,* jure naturali prohibita sint. Itaque cum Deus facere possit, dando jus in vitam, fortunas, corpora, ut homicidium non sit injustum, ut res non sit aliena, ut fœmina sit uxor viri, sicque ista non sint objectum legis naturalis; hinc sequitur, materiam harum legum complecti duas quasi species, quarum una semper et pro omnibus circumstantiis, altera nunquam sit lege naturali prohibita : geminas has species non habent sub se *blasphemia, mendacium,* etc., sed semper repugnant perfectionibus divinis, *mendacium* veracitati, *blasphemia* et *odium Dei* ejus bonitati, ac proin semper sunt objectum legis naturalis prohibentis.

Inst. 4. Indissolubilitas matrimonii est juris naturalis, et judæis tamen omnibus permisit Deus, Deut. 24 dissolutionem matrimonii per *libellum repudii;* ergo.

R. 1°. Cum S. Thoma. : dissolutio matrimonii per *libellum repudii* non fuit permissa judæis tanquam licita, sed duntaxat tolerata ad evitandum majus malum, occisionem uxoris exosæ : neque judæos, qui sic dimiserint suas uxores, fuisse excusatos a peccato, sed tantum a pœna juxta leges infligenda, id quod Christus significavit, Matth. 19, 8 dicens : *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores : ab initio autem non fuit sic;* addit

vero S. Doctor probabile esse, quod repudium judæis licitum quoque fuertit, et jam communius docetur; unde

R. 2°. — *N. supp.* quod contractus matrimonialis sit præcise spectata lege naturali *omnino indissolubilis,* quod negat BELLARMINUS, et fuse probat SANCHEZ citans pro se D. THOMAM, S. BONAV., pluresque auctores gravissimos; et hac responsione ruit totum fundamentum.

R. 3°. — *Tr. supp. N. A.* quod Deus permittendo *libellum repudii,* dispensaverit in lege naturali, sed uxori in iis casibus secundum legem permissis repudiatæ jus ademit in corpus mariti, et sustulit jus mutuum illorum conjugum; sicut in polygamia jus dedit marito in plura corpora : ut vero Deus dicatur dispensasse, debuisset facere licitum, ut vir stante mutuo jure in corpora dimitteret uxorem, quod Deus non fecit.

25. *Obj. III.* In lege naturali sæpe dispensatur potestate humana; ergo magis Deus poterit dispensare. *Prob. A. Votum* et *juramentum* naturaliter obligant ad servandam Deo fidem : sed in his dispensat Pontifex; ergo.

R. — *N. m.* Quamvis Papa dispensare possit in *voto* et *juramento*, tamen dispensare non potest in lege naturali, cum facere non possit, ut stante *voto* aut *juramento* non detur obligatio naturalis, quod requiritur, ut dicatur dispensare in lege naturali; Pontifex ergo tantum *vi jurisdictionis,* quam ut Christi vicarius habet in voluntates hominum quoad sacra sibi subjectas, rescindit et retractat actum voluntatis, quo quis vovit aut juravit; fere sicut pater *vi potestatis dominativæ* irritat vota et juramenta filii vel impuberis, cujus voluntas est subjecta patri, vel puberis in patria potestate constituti, cujus non quidem voluntas, actiones tamen, quæ rem familiarem et curam patris attingunt, patri subjiciuntur; in his quippe casibus non mutatur lex naturalis, quæ nunquam exigit obligationem *voti* quod edidit talis filius dissentiente patre, sed ipsum votum vel juramentum cessat, sicut quando ejus materia fit impossibilis, vel non amplius est de bono meliore.

Inst. 1. Jus naturale condendi pro arbitrio *testamenti*, et *matrimonii* ex mutuo consensu contrahendi, coarctatur humanis legibus quæ jubent, *testamentum* ac *matrimonium* esse irrita, nisi certæ adsint conditiones; ergo leges humanæ possunt aliquid detrahere de jure naturæ.

R. — *D. C.* Detrahere de jure, prout significat concessam a natura potestatem *C.* prout naturalia præcepta significat *N.* Cavenda hic æquivocatio : Jus naturæ nunc sumitur pro *principiis* ac *præceptis naturalibus,* nunc pro *facultate* quæ naturali lege conceditur aut relinquitur : hæc per leges humanas tolli vel imminui potest à superiore potestate, ita postulante bono communi, cui privatorum jura cedere exigit eadem natura; illa immutari nequeunt.

Inst. 2. *Contrahentes* mutuo consensu, *læsus* per remissionem injuriæ, *promissarius* rem jurato promissam aut repudiando aut remittendo, tollunt obligationem naturalem; ergo dispensant in jure naturali.

R. — *N. C.* Non ideo dispensant in lege naturali : sed sicut libere contractum inierunt, ita mutuo iterum consensu eumdem tollunt, quo facto *per se* cessat obligatio naturalis. Pariter *per se* cessat obligatio satisfactionis pro injuria, vel debitum rei jurato tibi promissæ, si sponte remittas, quia juramento hæc est imbibita conditio : *nisi aliter remittat,* et lex naturalis solum

obligat ad satisfaciendum pro injuria non remissa, sicut pro alio debito non remisso : nam condonata injuria vel debito, tollitur materia legis naturalis, et sic ipsa etiam lex cessat.

Inst. 3. Pontifex dispensat circa *residentiam personalem Episcoporum*, uti et in *decimis* et *immunitate ecclesiastica*, circa *pluralitatem beneficiorum*, et in *matrimonio rato*, quæ tamen omnia juris naturalis sunt; ergo.

R. *Ad* 1. Papa dum dispensat super *residentiam Episcoporum*, quæ juxta Concilium Trid., Sess. 23, c. 1 de Ref., videtur *naturaliter* obligare, solum declarat, in istis circumstantiis jus naturæ illam non præcipere : si enim præsentia Pastoris gregi sit absolute necessaria, et gravior Ecclesiæ necessitas absentiam non exigat, pro tali casu Papa dispensare non potest; adeoque solum dispensat, ut possit *Episcopus* per alium exercere curam animarum, ut loco *decimarum* alio modo provideatur parocho, ut clericus subjaceat *potestati laicæ* in iis, in quibus jure tantum ecclesiastico exemptus ab ea fuit.

Ad 2. *Pluralitas beneficiorum* in circumstantiis necessitatis aut majoris utilitatis Ecclesiæ, pro quo solum casu dispensatur, non est lege naturali prohibita.

Ad 3. Papa nonnisi gravissimis de causis dispensans super *matrimonium ratum* vel sequitur sententiam illorum qui docent, *matrimonium* hoc non esse indissolubile de jure naturæ, vel illorum qui censent esse quidem indissolubile jure naturali privata nempe auctoritate, non publica et delegata Papæ a Christo in bonum animarum et Ecclesiæ.

Inst. 4. *Bonum animarum* et conveniens *Ecclesiæ regimen* nonnunquam exigunt relaxari leges naturæ; ergo id Ecclesiæ concessit Deus.

R. — *D. A.* Relaxari leges naturæ, quæ non præsupponunt liberos actus humanæ voluntatis *N.* quæ præsupponunt *subd.* exigunt relaxari, h. e. mutari posse materiam *Tr.* legis ipsius vim infringi, restringi, imminui *N.* Promissio, contractus, etc., sunt actus liberi humanæ voluntatis, in quos datur potestas superioris; illis ergo, quia reipublicæ aut subditorum utilitati contrarii sunt, a superiore rescissis, cessat lex et obligatio legis. Quædam vero præcepta naturalia versantur in materia, quæ a nullo antecedente actu voluntatis humanæ pendeat, uti lex vetans *idololatriam, mendacium*, etc.; harum obligatio relaxari nequit, quia nec præcepta nec præceptorum materia mutari possunt.

Inst. 5. Glossa in illud Eccli. 17, 9 : *Addidit legem vitæ et disciplinæ*, dicit legem litteræ, quantum ad *correctionem legis naturalis*, esse scriptam; ergo. D. Thom. autem q. 94, a. 5 ait, posse legem naturalem *mutari* ob speciales causas impedientes ejus observationem.

R. Cum S. Thoma hic : lex litteræ dicitur scripta ad correctionem legis naturalis, vel quia per legem scriptam *suppletum* est, quod legi naturali deerat, uti patet in cultu divino, qui per varias leges tum divinas V. et N. T., tum humanas varie determinatus fuit, quin substantia cultus mutaretur : vel de eo, quod lex naturalis in cordibus aliquorum, quantum ad aliqua *corrupta* fuerit in tantum, ut existimarent bona, quæ naturaliter mala sunt : et talis corruptio correctione indigebat. Porro S. Thomas loquitur de mutatione legis improprie dicta, cujus hoc exemplum dederat in priori articulo : dum quis *rem a se depositam* reposcit, ut ea in patriæ perniciem abutatur, reddenda illi non est : perversi enim finis ac periculi circumstan-

tia efficit, ut is casus a lege *reddendi depositi* excipiatur. Neque ea exceptione immutatur ea lex, in qua continetur ipsamet exceptio, ut statim patescit, si pro enuntiatione hac generaliori : depositum reposcenti restitue, ponatur accuratior illa : depositum *rationabiliter* reposcenti restitue.

26. *Observa I.* In casu, quo dantur plures leges affirmativæ sibi *invicem contrariæ*, e. g. lex succurrendi patri et simul alicui extraneo in extrema necessitate, reipublicæ aut alicui privato, ita ut nequeas utrique succurrere, tantum obligat *lex fortior*, et altera, quæ impleri non potest, nunquam extitit pro tali circumstantia, cum leges affirmativæ non obligent ad semper; hinc lex naturalis *fortius* obligat in necessitate spirituali, quam corporali, erga patrem, quam extraneum, rempublicam, quam civem. Præterea non datur in lege naturali *epikeia proprie talis*, quæ sit emendatio legis, ubi deficit propter universale, quia lex naturalis fertur ab ipso Deo, et promulgatur per rectam rationem, adeoque non indiget correctione : nec prohibet aut præcipit universaliter pro omnibus circumstantiis, sed tantum pro iis, in quibus objectum est intrinsece bonum vel malum; impossibile autem est, ut objectum intrinsece bonum fiat malum, aut contra : quod si fiat mutatis circumstantiis, tale objectum nunquam fuit materia legis naturalis. Datur autem *epikeia improprie talis*, tum quia Christus ipse Matth. 5, legem naturalem explanavit, tum quia juxta constantem traditionem Ecclesia ex potestate sibi divinitus concessa omnes hucusque controversias circa sensum legis naturalis diremit.

27. *Observa II.* Lex naturalis *irritans* datur : 1° quando *materia* actus vel contractus est *impossibilis*, aut intrinsece et perpetuo turpis, ut si promittas mentiri, furari, aut sub conditione turpi v. g. deflorationis contrahas. ad impossibile enim et intrinsece inhonestum obligatio non datur. Aliud est de contractibus, qui tantum ratione circumstantiæ extrinsecæ turpes sunt, v. g. contractus initi ex ira, avaritia, aliave passione, quin et venditio secunda traditione secuta, matrimonium initum cum voto castitatis, aut stantibus cum alia sponsalibus. 2° Quando ex parte *contrahentis*, agentis aut disponentis deest potestas aut capacitas naturaliter requisita ad valide operandum, ut si disponas de re, cujus non es dominus, si agas in amentia, ebrietate etc., si contrahas inductus dolo substantiali, vel errore, vel coactione absoluta. 3° Quando deest aliquod *constitutivum* per se requisitum ad naturam ipsius actus, e. g. merx, pretium, mutuus consensus in contractu, etc. Atque horum omnium fundamentalis ratio est recta constitutio reipublicæ humanæ, et sapiens ac provida gubernatio divina; quippe inordinatum foret, si actus substantialiter defectuosus, vel sine libertate, potestate et advertentia positus, moralem obligationem induceret; ideoque non solum *prohiberi*, sed et *irritari* debebant a lege naturali.

ARTICULUS VI.

DE PRÆCEPTIS LEGIS NATURALIS.

28. *Nota.* Divisio illa vetus legis naturalis in *jus naturæ primarium*, quod homini et brutis commune sit, et in *secundarium*, quod soli homini competat, nullius est momenti, quia brutis ratione destitutis proprie nullum jus competit. Verum recte triplex genus præceptorum naturalium discernitur juxta triplicem hominis inclinationem : 1° quatenus ipsi inest inclinatio *omni enti* communis ad conservationem sui esse; 2° quatenus secundum inclinationem cum *aliis animalibus* communem lex naturalis obligat conservare speciem; 3° quatenus secundum *naturam rationis propriam* inclinat ad communicationem cum aliis intellectivis, Deo, Angelis, hominibus. Item recepta ab omnibus est divisio in præcepta juris naturalis *prima, generalia et fundamentalia*, ut sunt principium boni et mali, principium triplicis amoris, eaque omnia quæ inde evidenter deducuntur, v. g. non blasphemabis, etc., et in *secundaria* seu *particularia* deducta ex primis, v. g. duellum esse illicitum, contrahendum sine dolo, etc.

Demum apte distinguitur inter præcepta naturæ quoad *Deum, proximum* et *seipsum*. In eo autem est quæstio, an non tantum *principia prima practica* et per se nota e. g. bonum esse faciendum et malum fugiendum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, etc., sed omnes etiam conclusiones, quæ ab iis necessario derivantur, sint totidem *legis naturalis præcepta?*

29. *Dico.* **Ad legem naturalem pertinent etiam conclusiones ex primis principiis moralibus vel proxime vel remote deductæ, ut sunt præcepta Decalogi, excepta circumstantia diei in tertio præcepto.**

Prob. I. Generatim. Recta naturæ humanæ constitutio, et infinita Dei perfectio ad sapienter ac provide gubernandam rempublicam humanam exigunt, præcipi etiam veritates ex primis principiis practicis necessario deductas; ergo hæ pertinent ad legem naturalem; hinc recte D. Thom., q. 94, a. 3 docet, omnes actus virtutum contineri sub lege naturali, si spectentur secundum rationem *generícam* virtutis, quia supremi legislatoris sanctitas, sapientia et providentia non potuit non velle, ut homo *virtuose* viveret, h. e. convenienter naturæ suæ rationali; non vero secundum omnes rationes virtutum *specificas*, quarum omissio nec imperfectionem in Deum, nec malitiam in hominem refundit, cum multæ virtutes e. g. virginitas, paupertas evangelica non in omni statu locum habuissent. Actus etiam *vitiosi* omnes dici possunt, esse contra legem naturalem, vel *directe*, si sint intrinsece mali, vel *indirecte*, si non sint quidem intrinsece mali, at contra legem tamen positivam, cui lex naturalis vult obtemperari.

Prob. II. Speciatim. Ad legem naturalem pertinent ea, quæ seclusa lege positiva, solo rationis ductu docemur facere aut vitare, ita ut secus non recte constituta esset ad suum finem natura rationalis : atqui talia sunt *præcepta Decalogi*, prout dictat lumen rationis per præjudicia aut pravos affectus non obscuratum ; ergo.

Conf. Tribus primis præceptis præcipitur *cultus Dei*, et quidquid huic

adversatur, prohibetur : in reliquis agitur de *officiis proximo præstandis*, ita ut primum imperetur in parentes reverentia, dein prohibeatur homicidium, mœchia, furtum, falsum testimonium, ac universim rei alienæ concupiscentia : sed hæc omnia prohiberi aut respective præcipi, recta naturæ rationalis constitutio, et sapientia ac providentia aliæque perfectiones divini Gubernatoris exigunt; ergo.

Dixi, *excepta circumstantia diei in tertio præcepto* : quamvis enim homo dictante lumine rationis ex lege naturali teneatur tempus aliquod sanctificare, seu cultui divino impendere; hoc tamen præcise præstandum esse *die integra*, eaque *septima*, et non per interpolatas hebdomadæ horas, legis est duntaxat positivæ ac Deo liberæ, quia divinis perfectionibus haud derogasset, si Deus diem aliam, aut alias hujus diei circumstantias instituisset.

Si ais 1°. Præcepta legis naturalis scripta sunt in *cordibus*, et non in *tabulis*, uti præcepta Decalogi; alias si hæc, alia item omnia præcepta positiva pertinent ad legem naturalem, cum tanquam leges justæ ex principiis moralibus sint deducta.

R. Cum D. Thom. hic, q. 99, a. 2, ad 2 : *N. C.* quia præcepta Decalogi non fuerunt data primitus per *Tabulas Moysis*, sed tantum confirmata ac veluti renovata, quia conveniens erat, ut Deus provideret homini non solum in his, in quibus errare non poterat, scilicet *generalibus principiis*, sed in iis etiam, in quibus errori erat valde obnoxius, nempe in *conclusionibus particularibus* inde deductis, quod fecit per legem positivam : sicut Deus, ut addit ibidem S. D., credenda proponit homini ea, quæ ratio attingit, ut Deum esse Unum, et quæ non attingit, ut Deum esse Trinum, ad excludendum mentis humanæ errorem.

Si ais 2°. In Decalogo prohibentur aliqua, quæ solo naturæ lumine non cognoscuntur esse prohibita, e. g. *fornicatio* et *mollities*, ut vult Caramuel, item *mendacium*, quod pro certis casibus licitum esse docent Thomasius, Fleischerus, aliique heterodoxi.

R. — *N. A.* Hæc et similia jure naturali vetita esse, lumine rationis cognosci potest; quod autem non ab omnibus cognoscantur ita prohibita, juxta D. Thomam inde est, quia non omnes easdem conclusiones ex principiis generalibus per solidum cognoscendi principium inferunt, et quia multi depravatam habent rationem ex passione, mala consuetudine, aut mala habitudine naturæ, malis item legibus imperantium; hinc furta apud Ægyptios et olim apud Germanos impunita et licita, ipsumque adulterium Lycurgo probatum fuisse legimus.

Certum autem omnibus orthodoxis esse debet, *fornicationem* et *mollitiem* lege naturali prohiberi, cum damnatæ sint ab Innoc. XI, istæ propositiones, 48ª. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malum, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur*, et 49ª. *Mollities jure naturali prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.* Nimirum *fornicatio* opponitur rectæ et a natura institutæ propagationi generis humani, ad quam necesse est certum esse patrem, ne incerta reddatur prolis educatio, præsertim cum matres in ejusmodi prolem minore plerumque cura et amore ferantur. *Mollities* vero adversatur fini naturæ, propagationi et societati humanæ præjudiciosa est; atque ex his aliisque

rationibus Deus utrumque vitium necessario prohibere debuit, de quo plura CARDENAS in Crisi Theol., Diss. 29.

Idem esto judicium de *mendacio*, quod si a Deo permissum esset, creatura rationalis licite veracitatem, conditoris sui perfectionem, contra finem suum in se obscuraret et oblitteraret.

Si ais 3°. Saltem *concupiscentiam rei alienæ* Deus non necessario prohibet, cum nec divinis perfectionibus, nec rationalis naturæ rectæ constitutioni adversetur; ergo non omnia præcepta Decalogi sunt legis naturalis præcepta.

R. — *N. A.* Sicut enim Deus ceu auctor naturæ rationalis ad sapienter ac provide gubernandum hominem præcipere debuit amorem proximi, ita prohibere etiam debuit *rei alienæ concupiscentiam* illi repugnantem. Itaque sicut odium proximi, ita hæc quoque concupiscentia Dei bonitati respectivæ adversatur, imo et justitiæ : nam sicut habere aliena injustum est, ita et concupiscere, si non *effective*, certe *affective* ac sæpe causaliter.

30. *Observa.* Sola creatura rationalis, tanquam capax directionis moralis, obligatur lege naturali : hinc illa ULPIANI definitio : Jus naturæ est, quod *natura omnia animalia docuit*, est minus propria et in sensu latiore. *Infantes* vero etiam et perpetuo *amentes* obligantur lege naturali, non quidem in *actu secundo*, ita ut eam transgrediendo peccent ac pœnæ rei fiant, cum ipsis hæc lex per lumen rationis, quo carent, non sit promulgata; sed in *actu primo*, quia lex naturalis est necessaria, fundata in natura, quæ de se capax est rationis : et actus intrinsece mali semper repugnant Deo; hinc nemini licet illos ad hosce actus inducere.

ARTICULUS VII.

DE MODO OPERANDI A LEGE NATURALI PRÆSCRIPTO.

31. *Nota.* Ex dictis constat, id omne lege naturæ juberi, quod intrinsecam habet cum ejus fine connexionem, id omne vetari, quod intrinsecam repugnantiam. Quæritur hic, an lex naturalis non tantum *substantiam actuum* præcipiat, sed etiam præscribat *virtutis modum*, ita ut legi naturali non satisfiat per solam operis imperati executionem, nisi insuper impleatur actu undecumque honesto. Quia præcepta negativa per solam actus prohibiti negationem implentur, de illis hic non agitur, nisi forte, si quando intervenire debeat positiva rei prohibitæ nolitio.

Modus implendæ legis alius *intrinsecus*, alius *extrinsecus* : *intrinsecus* est is, sine quo rei imperatæ substantia non ponitur, e. g. attentio in orando : *extrinsecus* est ille, sine quo consistere potest rei imperatæ substantia. De triplici præsertim modo quæritur, utrum sit necessarius vi naturalis præcepti, per quod actus imperatur : *primus* est cogitatio et *advertentia*, tum actus ipsius, tum legis eum imperantis : *secundus* est libera voluntas et *intentio*, quæ itidem terminari potest vel ad actum qui ponitur, vel ad legem qua præcipitur : *tertius* est *honestas finis*, ex quo actus ponitur, quæ honestas peti potest vel ex motivo virtutis illius, in qua est præcepti materia, vel ex motivo alterius alicujus virtutis.

32. *Dico.* Legis naturalis præcepta non exigunt, ut actus ponatur ex *notitia* præcepti et *intentione* illi satisfaciendi, nec singula postulant *motivi honestatem.*

Prob. 1^um^ *et* 2^um^. Sine illo modo operandi ex *notitia,* seu præsenti cogitatione præcepti, et ex *intentione* illi satisfaciendi, id totum poni potest, quod lege imperatur; ergo *modus* iste non requiritur.

Prob. A. tum ex eo, quod non possit ostendi ullibi imposita *modi* istius obligatio, tum quod sine illo actus præceptus quoad *substantiam* poni possit; unde satisfit legi per restitutionem rei alienæ, quamvis ab ebrio factam, quia habetur adæquatio juris activi cum passivo, et finis a justitia intentus: item licet nescias esse diem festum, si tamen audisti Sacrum, satisfecisti: imo satisfaceres, etiamsi nolles per illam auditionem Sacri præcepto satisfacere, cum non sit in potestate operantis non satisfacere, si faciat id quod præceptum est. Quamvis ergo alias dicatur, quod actus non operentur, *ultra intentionem* operantium, id tamen duntaxat verum est, quando in potestate operantis est satisfacere, vel non satisfacere.

Prob. 3^um^. Illa *honestas* esse vel ex motivo specialis virtutis, in qua est legis materia, vel ex motivo alterius virtutis: non 1^um^, quia dum restitutio e. g. imperatur, solum præcipitur damni compensatio, aut alieni redditio ad æqualitatem: sive autem ex *justitiæ,* sive ex *obedientiæ,* etc., motivo id fecero, legi satisfacero: non 2^um^, quia naturæ leges non præcipiunt aliquid actui *extrinsecum,* sed tantummodo *substantiam* actus, quæ sine tali motivo aut fine extrinseco subsistit, prout liquet ex eodem exemplo restitutionis.

Dixi *singula præcepta legis naturalis*: nam lex naturæ totaliter sumpta complectitur aliquod præceptum prohibens modum agendi rectæ rationi dissentaneum, ac jubens, ut semper agamus modo rectæ rationi consentaneo; ergo etiamsi *motivi honestas* non imperetur per singula legis naturalis præcepta, ea tamen semper adesse debet vi totius complexionis legum naturalium, seu vi alterius cujusdam præcepti naturalis. Idem est de illis legibus humanis, quæ ipsam *moralitatem* seu *honestatem actus* præcipiunt: secus ubi præcise obligant ad positionem vel omissionem actus.

33. *Obj. I.* Ad præceptum implendum requiritur *cognitio* et *intentio* terminata ad actum imperatum; ergo etiam terminata ad ipsum præceptum. *Conf.* Ad præceptum implendum requiritur eadem notitia, quæ ad violandum: atqui ad violandum requiritur *cognitio* actus non tantum quoad *substantiam,* sed et quoad *obligationem* ortam ex præcepto; ergo.

R. — *Tr. A. N. C. disp. est*: quia lege saltem naturali et divina imperantur actus *humani* et *morales,* quorum est regula: actus vero humanus et moralis non est: nisi sit voluntarius et liber: non est voluntarius et liber, nisi procedat a *sciente* quid agat, et *volente* id agere. At vero, qui actum sciens et volens ponit, quamvis legem, qua is actus imperatur, implere non cogitet, is potest imperio legis satisfacere, quia hæc non exigit, ut is actus ponatur ex præcepti scientia, vel ex motivo obediendi.

Ad Conf. D. M. Ad præceptum cum speciali obedientiæ merito implendum eadem requiritur notitia, quæ ad violandum formaliter et cum inobedientiæ demerito *C. M.* Eadem requiritur ad satisfaciendum simpliciter præcepto, quæ ad violandum formaliter *N. M.* — *D. m.* Ad violandum formaliter et cum

demerito inobedientiæ necesse est, etc. *C. m.* Ad violandum materiali modo, neque ad culpam imputabili *N. m.* Qui legem nesciens facit opus imperatum, non comparat sibi *speciale meritum obedientiæ*, quod exigit cognitionem legis eique parendi intentionem; non tamen facit contra legem, quia præstat quidquid illa exposcit : et si velit, potest per actum suum virtutis alicujus alterius meritum adipisci.

Dixi : *Tr. A.* quia juxta dicta de restitutione ab ebrio facta, ne ipsius quidem operis seu actus scientia requiritur, nisi saltem *indirecte* imperetur actus *liber et humanus*, uti dictum de oratione.

Inst. 1. Libera actus imperati positio sine cognitione præcepti erit tantum *materialis*, et impletio præcepti sine actu libero non est *positiva*, sed *negativa*; ergo neutra sufficit : alioquin etiam *dormientes* implerent præcepta, quin et præcepti observatio vix differret ab actione bruti.

R. *Ad 1.* — *D. A.* Erit materialis tantum eo sensu, quod speciale obedientiæ meritum habere nequeat *C.* eo sensu, quod legi non satisfaciat *N.*

Ad 2. — *D. A.* Non est positiva simpliciter et physica *N.* moralis aut meritoria *C.* Hæc requiritur ad implendam legem actus *humanos et liberos* imperantem : illa sufficit ad implendam legem, quæ duntaxat exposcit positionem vel omissionem actus quoad *substantiam*, et qua finis etiam legis obtinetur. De *dormiente* quamvis ridicule diceretur, quod moraliter aut meritorie impleat tot præcepta, quot peccata omittit; vero tamen sensu dici potest, eum reipsa non facere, sed omittere id quod fieri prohibetur, præsertim cum lex negativa semper pro semper obliget; nobis autem hic sermo est de præcepto affirmativo.

Inst. 2. Actus contra legem invicte ignoratam aut non cogitatam positus non habet *omnem difformitatem*, quam lex vetat; ergo actus secundum legem ignoratam aut cogitatam factus non habet *omnem conformitatem*, quam lex jubet. *Conf.* Qui nesciens legem agit rem imperatam, posset vi præsentis dispositionis peccare contra legem, si nempe per sciendi incuriam, in illius violandæ periculum incurrisset, ergo legi non satisfit.

R. — *N. C. disp. est* : Quia quidquid *formaliter malum* est, lege aliqua prohibetur, nec quidquam est *formaliter malum*, nisi repugnet prohibitioni cognitæ, aut saltem quæ cognosci potuerit ac debuerit. At lex non jubet quidquid *formaliter bonum* est, et multa possunt *formaliter* esse *bona*, quæ tanquam consilia suadentur. *Ad Conf. N. A.* Vi præsentis dispositionis peccaret, non contra legem cui obtemperat, sed contra alteram qua jubemur comparare nobis notitiam faciendorum vel omittendorum. Potest etiam dici, in præsenti hominis dispositione reperiri posse duo inter se non necessario connexa, scilicet negligentiam sciendi necessaria, et voluntatem honesti alicujus actus ponendi; esto prior affectus repugnet legi actum hunc imperanti, non item posterior. Itaque ille quidem non persolverit legi, quidquid ei aliunde debet, satisfecerit tamen in reddendo actu, quem illa exigit.

Inst. 3. Requiritur observandæ legis *intentio;* ergo et volitio ac cognitio. *Prob. A.* Qui volens agit opus imperatum, potest ita esse affectus, ut legi satisfacere nolit, eoque ipso non satisfaciet; ergo requiritur *intentio. Conf.* Is peccat contra præceptum; ergo præceptum non implet.

R. — *D. A. prob.* Ut legi satisfacere nolit nolitione inefficaci *C.* efficaci *N.* Qui opus imperatum libere agit, quamvis nolit legi satisfacere, sive *negativa*

nolitione, quia de lege non cogitat, sive *positiva*, qua secum statuat, nolo legem implere, *inefficacem* tantum habet nolitionem, quæ non impedit quominus legi satisfaciat, quantum ad actum quem hæc postulat.

Ad Conf. R. Non id quidem semper : potest enim præceptum nondum omnino urgens velle postea implere altero actu; quod si excludat voluntatem præcepti suo tempore implendi *D. A.* peccat ratione mali affectus contra præceptum quatenus negativum *C.* non satisfacit præcepto quatenus affirmativo *N.* Leges *affirmativæ* habent etiam aliquid *negativi*, quatenus prohibent, ne quis gerat affectum legi contrarium. Is, qui officium lege præscriptum sciens et volens exequitur, sic tamen comparatus, ut nollet legi satisfacere, satisfacit legi prout *affirmativæ;* tamen perverso illo affectu legi quatenus *negativæ* adversatur.

34. *Obj. II.* Juxta L. 5. Cod. de LL. et reg. 88 Jur. In 6 *committit in legem, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem;* ergo legem non implet eam non volens implere.

R. — *D. A.* Qui legis ambiguæ verba complectens, sed *cavillando* contra earum sensum, nititur contra legislatoris voluntatem quoad legis materiam *C.* Qui verba legis *obvio sensu intelligens* nititur contra legislatoris voluntatem quoad finem extrinsecum, quem sibi proponit, aut quo imperatum opus refert *N.* Esto, talis committat in legem *naturalem* et *divinam* ob formalem contemptum legis et legislatoris supremi, negandum tamen, quod non impleat legem *humanam*, seu quod ob neglectam ejus impletionem peccet in hanc legem, si ponat reipsa opus præceptum.

Inst. 1. Qui pecuniam alteri debitam, eidem *dono dat*, non dissolvit *debitum;* ergo pariter qui actum ponit lege præscriptum nolens legi satisfacere. Item obstrictus *voto*, quod est lex quasi singularis, non satisfacit, si reddat quod vovit sine animo votum implendi; ergo a pari.

R. — *N. C.* Nam 1° ille qui donavit, adhuc debet, quia fecit omnino aliud, quam quod jubeat lex *alienæ rei* solutionem, aut restitutionem imperans, cum ipse *suam rem* donare voluerit : species enim contractus pendet a contrahentium voluntate. Idem dicendum videtur de eo, qui jejunium unius *indeterminatæ* diei vovisset; si jejunans nollet tunc voto satisfacere ut huic satisfaceret, deberet altera die jejunare, quia sicut hanc in se obligationem libere suscepit, ita libere potest eam prorogare. Contra ille, qui prudens et volens fungitur officio per legem imposito, licet in animo habeat tunc legi non satisfacere, facit id ad quod lege tenetur : nec enim obligatio per legem inducta pendet ab ejus voluntate.

2° Obligatio *voti* et harum similes itidem proveniunt a *voluntate promittentis*, qui libere in debito perseverare potest, quod libere contraxit; sed legis obligatio oritur ex *voluntate legislatoris*, ultra quam non extenditur : hæc autem pro objecto habet *substantiam operis*.

Inst. 2. Lex humana obligat *voluntatem*, postulatque, ne *voluntas* subditi sit aversa a lege, unde etiam *violente coactus* non satisfacit legi; ergo.

R. *Ad 1.* — *D. A.* Obligat voluntatem præcise ad positionem actus seu operis *C.* ad liberam positionem *subd.* lex imperans actus liberos et humanos *C.* alios quosvis actus imperans *N.*

R. *Ad 2. Violente coactus* non satisfacit legi actus humanos et liberos

præcipienti *C.* alios *N.* Quia ordinarie opus non fit nisi a *volente*, recte *voluntas* dicitur obligata ad opus ponendum : sunt vero inter leges affirmativas non paucæ de rebus moralitatem aut libertatem non requirentibus, quæ sicut per *physicam* rei positionem implentur, ita quoque a coacto impleri possunt, si modo res ipsa *physice* ponatur.

35. *Obj. III.* Deut. 16 dicitur : *juste, quod justum est, persequeris;* ergo præter honestatem objecti requiritur specialis honestas virtutis, ad quam pertinet objectum. Juxta, c. 8 de R. J. *qui ex timore facit præceptum, aliter quam debeat facit, et ideo jam non facit;* ergo.

R. *Ad 1.* — *N. C.* D. Thoma interprete q. 100, a. 9, τὸ *juste* ibi idem est, ac secundum juris ordinem, qui servari potest sine peculiari honestate quæsita ex motivo justitiæ.

Ad 2. — *D. A.* Aliter facit quam debeat quoad *substantiam*, et ideo non facit *N.* aliter quam debeat quoad *modum*, *Subd.* et hic modus est præscriptus a lege humana *N.* a lege naturali vel divina *C.* S. Aug. Enchir., c. 121, unde hæc regula deprompta est, aperte loquitur de præceptis *divinis*, eorumque observatione theologice *meritoria* ac perfectissima.

Inst. 1. Saltem requiritur *motivi honestas*, undequaque petatur : et lex humana actum, quem præcipit, in certa specie virtutis constituit; ergo per opus ex malo fine positum nulli præcepto satisfit.

R. *Ad 1.* — *D. A.* Requiritur per collectionem legum naturalium, sive per aliquam ex illis *C.* per singulas leges aut positivas, aut etiam naturales *N.* Leges *singulæ* sunt de opere bono quoad *substantiam*, sive quoad objectum; ea etiam bonitas interdum reperiri potest in externis quibusdam actibus absque *motivi honestate* : miles v. g. fortiter pro patria pugnat, licet ex inani gloria, nihilominus opus quoad *substantiam* bonum exequitur, legique illud imperanti satisfacit.

Ad 2. — *D. A.* Lex humana actum, quem præcipit, constituit in certa specie virtutis, hoc sensu, quod ab operante intendi debeat *N.* hoc sensu, quod actus ex præcepto facti participent *rationem obedientiæ*, et ad virtutum aliarum speciem possint pertinere *C.*

Inst. 2. Id exigit lex, quod legislator intendit : sed hic intendit actum *omni ex parte* bonum; ergo.

R. — *D. M.* Quod legislator intendit, h. e. quod præcipit *C.* h. e. ad quod actum imperatum ordinat *subd.* si actum in hunc finem poni, expresse lex jubeat *C.* secus *N.* Intentio legislatoris juxta D. Thomam l. c. est de duobus, de uno quidem, ad quod intendit per præcepta legis inducere, aliud etiam est, de quo intendit legem ferre : non enim unum est finis (extrinsecus) præcepti, et id, de quo præceptum datur, sive objectum præcepti, quem aliqui vocant *finem intrinsecum;* hoc sub præceptum cadit, non etiam illud, nisi forte, ut aliquando accidit in legibus humanis, imperetur finem talem in exequendo opere intendi, v. g. in orando pacem inter Christianos Principes : sed tunc finis iste fit quodammodo *pars materiæ* sive objecti.

36. Quæres. *Quid sit lex sive jus Gentium?*

Resp. I. **Jus Gentium** *latissime* est illud, quo gentes humanæ utuntur, ex lege 1. π. de just. et jur. Hoc dividunt in *primarium*, quod naturalis ratio

inter omnes homines constituit, ex lege 9. π. l. c. et in *secundarium*, sive humanum, quod usu exigente et humanis necessitatibus gentes humanæ sibi constituerunt, § 2. Inst. de jur. N. G. et C. Clarius ac magis proprie sic definitur : *Conventio libera gentium per pactum tacitum, diuturnis moribus introducta ad mutuum commercium ac felicitatem socialis vitæ obtinendam et conservandam.* Dixi, *magis proprie* : cum enim jus gentium ad *jus naturæ* proxime accedat antiquitate promulgationis, universalitate et convenientia quadam cum natura rationali, inde factum, ut a nonnullis jus *naturæ* et *gentium* haud satis inter se discernerentur; hinc 2ª definitio minus placet, quia per eam jus gentium non differt a jure naturæ : 1ª vero minime, quia complectitur etiam illa, ad quæ nulla datur obligatio, ut sunt usus panis, extructio ædium, etc.; 3ª proin sola coincidit cum nostra, et est propria : dicitur autem

Conventio, quæ obligat, sicut alia pacta et conventiones : *libera*, quia non versatur circa intrinsece bona vel mala : *gentium*, cum non sit conventio privata, sed omnium prope nationum. Per reliqua indicantur origo et finis. Ex hac definitione patet, quod jus gentium non sit proprie *lex* a superiore quodam lata, sed ex diuturno populorum usu, cum animo sese mutuo obligandi introductum, fundatumque in illo communi principio juris naturalis, *fides data servanda est*; obligat ergo etiam supremos Principes terræ.

37. *Resp. II.* **Jus gentium** differt a lege *naturali* ratione *originis*, quam lex naturalis ducit a Deo auctore naturæ, jus gentium ab usu et observantia populorum, et non tam lex est, quam pactum aliquod tacitum : ratione *naturæ*, quia lex naturalis versatur circa intrinsece bona vel mala, estque absoluta et immutabilis, cum jus gentium versetur circa ea, quæ ab ipsis gentibus libere sunt introducta, e. g. securitas legatorum, fœdera pacis, ordinatio finium regundorum, commercium nationum, leges bellorum, jus sepulturæ, etc., et potest esse conditionatum, si nempe aliæ gentes conspirent, id quod patet a posteriori, cum ex parte jam sublatum sit quoad captivitatem et servitutem personalem inter christianos : ratione *subjecti*, quod respectu legis naturalis est quodvis individuum humanum qua animal rationale, sed respectu juris gentium est homo, qua animal sociabile, seu qua membrum societatis humanæ. Demum ratione *finis*, qui pro illo est felicitas societatum humanarum, non simpliciter necessaria, spectans nimirum majorem commoditatem, et bonum externum ac politicum.

38. *Observa.* Ad jus gentium referuntur jus *præscriptionis*, *prima rerum divisio*; quin et divisio *gentium* ac *regnorum*, item jus *transitus*, ubi non est justa causa excludendi peregrinos : hæc enim et nonnulla alia, quia ad utilitatem ac felicitatem populorum vitæque socialis valde opportuna sunt, libero ac prudenti gentium consensu fuere introducta, et quatenus integras inter se gentes, ac supremos etiam Principes stringunt, *juris gentium* sunt, quamvis aliqua v. g. jus præscriptionis, lege etiam civili sancita sunt. Ad jus gentium *minus proprie* dictum, h. e. quod inter gentes receptum quidem est, at sine mutua obligatione, reducunt aliqui certam consuetudinem *cultus sacri*, *ædes construendi*, *muniendi civitates*, jus cudendi *monetam*, *valorem et usum monetæ*, *contractus emptionis*, *venditionis*, *locationis*, *conductionis*,

ac demum plerosque *modos acquirendi* : quæ omnia *latius* dicuntur creatura juris gentium, qui a gentibus plerisque introducta sunt, et ab iis observantur.

CAPUT II.

DE LEGE POSITIVA DIVINA.

ARTICULUS I.

De lege Mosaica a Deo lata.

39. *Nota.* Lex divina dividitur in *veterem,* quæ et Mosaica, V. T., et nonnunquam Lex *absolute* dicitur, estque ea, quam Moyses per ministerium angeli a Deo acceptam populo Hebraico promulgavit : et in *novam,* quæ veteri abrogatæ successit, hodieque viget a Christo per Apostolos et Evangelistas nobis tradita. Lex Mosaica *pressius* sumpta continetur in Pentateucho, tamen juxta Luc. 24, 44. Psalmos etiam et Prophetas complectitur. Continebat Lex vetus triplicis generis præcepta, videlicet *moralia,* quæ ad generalem morum institutionem spectant, et ad Decalogum reduci possunt; *ceremonialia,* ad divinum cultum rite exhibendum ordinata, uti leges sacrificiorum et purificationum ; *judicialia* seu politica, quæ ad jus dicendum, justitiam recte administrandam, et Hebraicæ reipublicæ statum formandum pertinebant ; atque de his omnibus ait Moyses, Deut. 6, 1 : *Hæc sunt præcepta et ceremoniæ atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester.* Præter hæc fuere etiam in V. L. quædam *consilia,* uti colligitur ex Ps. 75, 12 ; Exod. 22, 16 ; nec non aliqua *sacrificia voluntaria,* Ps. 118, 108, etc.

Hanc Legem veterem, teste S. Aug., hæretici alii, nempe *Pelagiani* nimium extollebant, ac si juste viventibus *ex se* potuerit conferre justitiam et vitam æternam : alii, Cerdon, Marcion, et Manichæi nimis deprimebant, eam a Deo malo conditam blasphemantes.

40. *Dico.* **Lex fuit vere divina, bona et sancta.**

Prob. Lex vetus Deum ipsum auctorem habet, quia omnia ejus præcepta dicuntur sermones, et judicia *Domini Dei,* Deut. 6, 1. Exod. 20, 1-43, 3 et Moyses non suo, sed Dei nomine eamdem promulgavit, iterato pronuntians : *hæc dicit Dominus,* etc. In N. T. ad Rom. 1. Hebr. 1. Deus dicitur locutus per Prophetas, et Matth. 15. Christus ipse legem Deo tribuit dicens : *irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram,* et sicut eam verbis, Matth. 8, ita facto probavit, dum circumcidi voluit, Pascha celebravit, etc.

Conf. Idipsum testantur SS. PP. Iren., L. 4, c. 26 ; Epiph., hær. 33. Aug. in LL. cont. Faust. manich., etc. Item Concilia : in Symbolo Nicæno profitemur de Spir. S. *qui locutus est per Prophetas :* Tolet. I in Conf. fid. cont. Priscill.

docet : *Si quis dixerit vel crediderit, alterum Deum esse priscæ legis, alterum Evangeliorum, anathema sit :* C. Trid., Sess. 4 in Decr. de can. Script. utriusque Testamenti libros suscipiens, hanc dat rationem : *cum utriusque unus Deus sit auctor :* ergo lex vetus est *a Deo,* proin *bona* et *sancta,* maxime cum præcipiat omnia necessaria ad cognitionem Dei et Religionem Dei et Christi, absterreat a peccatis et concupiscentiis, et ad rectitudinem vitæ tum moralis tum humanæ ac politicæ perducat, testante Apostolo ad Rom. 7, 12 : *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum.*

41. *Obj. I.* Lex vetus in Scriptura vocatur *Lex Moysis,* et Christus ipse Matth. 19, 8 dixit : *quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores;* ergo Moyses est auctor legis veteris.

R. — *N. C.* Moyses duntaxat *promulgator* legis fuit, alias illius etiam legis naturæ de cultu parentum Moyses auctor erit, cum Marc. 7, 10 legatur : *Moyses enim dixit : honora patrem tuum.* Imo Deus nequidem Moysi locutus fuit os ad os, quæ vulgi opinio erat, sed tantum per nubem et angelum ; recte vero dicitur *mediator,* quia nostri Mediatoris Christi figura erat Moyses, de se ipso dicens Deut. 5 : *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos... ut annuntiarem vobis veritatem ejus.* Fatendum tamen, quasdam observationes alias, ac leges etiam postmodum humana auctoritate additas esse Pentateucho, v. g. de festo *Phurim* Esth. 9 et *Scenopegiæ,* 2 Macch. 1 ; quin et invaluisse apud Hebræos quasdam traditiones a senioribus longo post tempore invectas, nec scriptas in libris sacris, et sæpe contrarias verbo Dei, ideoque a Christo Matth. 15 et Marc 7 reprobatas.

Inst. 1. Illud saltem præceptum de *libello repudii* non est tribuendum Deo, sed Moysi, quod patet ex Matth. 19, et Origen., hom. 16 in Num. cum aliis affirmat ; ergo.

R. — *N. A.* Christus l. c. Moysen appellat, quia Pharisæi illum citaverant : *quid ergo Moyses mandavit nobis,* etc., sed non propterea negat id fuisse a Deo constitutum : sicut alibi videtur Moysi tribuere præceptum illud, *honora patrem tuum,* etc. Marc. 7, 10 quod statim v. 13, declarat divinum esse : *rescindentes verbum Dei,* etc. Cæterum non videtur Moyses in re tanta fuisse sibi sumpturus, ut repudium propria auctoritate permitteret ; sed de hoc dictum alibi.

Inst. 2. Deut. 22 dicitur : *Dei perfecta sunt opera :* sed lex vetus erat imperfecta ; ergo non est a Deo.

R. — *D. M.* Perfecta sunt vel simpliciter et absolute, vel saltem in gradu et ordine suo *C.* simpliciter et absolute semper *N. Simpliciter* et *absolute* perfecta est ea lex, cui nihil deest, quo ad finem suum perducat ; talis est evangelica : perfecta in *ordine* tantum et *gradu aliquo* dicitur lex, quæ ad finem, quem intendit, potest aliquatenus promovere, sed per se non sufficit ad eum obtinendum. Legis divinæ *finis* est æternæ felicitatis adeptio, huic obtinendo *per se* non sufficiebat *lex vetus,* quæ imperabat quidem et prohibebat, in quo subditorum consulebat utilitati ; sed gratiam eis necessariam non poterat *ex suo* suppeditare, quod potest lex nova : fuit tamen *lex vetus* bona in gradu et ordine suo, quia quod ei deerat perfectionis, non erat conveniens pro tempore ; quod inerat, pro tempore sufficiebat.

Inst. 3. Finis antiquæ legis non erat alius, quam ut crescerent peccata ;

ergo lex vetus non fuit divina. *Prob. A.* ex libris S. Aug. cont. Pelagianos, ubi id diserte pronuntiat : item serm. 6 de verb. Apost. ait : *Data est ergo lex illa, ut inveniatur infirmitas; parum est hoc, non solum ut inveniretur, sed etiam ut augeretur, et vel sic medicus quæreretur;* ergo.

R. — *N. A.* S. Aug. hanc a se calumniam amolitur ipse l. c. *Legem V. T.*, inquiens, *nos aiunt dicere non ob hoc datam fuisse, ut justificaret obedientes, sed ut gravioris fieret causa peccati : prorsus non intelligunt, quid de lege dicamus,* etc. Itaque S. Doctor ut convellat Pelagianorum dogma illud, liberum arbitrium sola lege adjutum sibi sufficere ad *perfectionem justitiæ impeccantiamque* ipsam adipiscendam, utitur exemplo judæorum, qui legem *sine gratia* impleturos se arbitrati, prævaricatores legis effecti sunt : concludit, legis, si gratiam sejungas, ut faciebant *Pelagiani*, effectum alium non fore, quam ut homo prævaricator factus suæ sibi conscius sit imbecillitatis, id quod ostendit ex fine legis secundario, quem solum ibi commemorat, quamvis non excludat primarium, quem alibi diserte adstruit. Fuit autem finis *primarius* legis veteris, ut Israelitæ per divinorum præceptorum custodiam pervenirent ad internam sanctitatem : *secundarius,* ut infirmitatis suæ conscii ad gratiæ opem flagitandam se converterent.

Inst. 4. Finis legis veteris *proximus* postulabat, judæis adesse gratiam : sed hanc adfuisse negat Aug. docens, judæos fuisse *sub lege,* h. e. omni gratia destitui, atque hinc sæpe opponens illa duo, esse *sub lege*, et esse *sub gratia;* ergo.

R. 1° Non *primarius* tantum finis, sed etiam *secundarius* id postulabat : quomodo enim ex concupiscentiæ renisu, aut etiam ex lapsibus suis judæi possent ita utiliter admoneri de sua infirmitate, ut ad gratiam quærendam converterentur, nisi prævenienti *gratia,* quæ ipsis inspiraret salutaria bonæ voluntatis initia. 2° *D. m.* S. Aug. opponit illa duo, esse sub lege, h. e. lege obligari, et esse sub gratia, h. e. gratiæ auxilia accipere *N.* opponit illa duo, esse *sub lege*, h. e. violatæ legis reatu constringi, et esse *sub gratia*, h. e. legem ope gratiæ implere *C.* Phrasi Augustiniana illi sunt *sub lege*, quos reos facit lex non implentes legem, ita ep. 19; illi sunt *sub gratia,* qui auxilio gratiæ legem observant, id clare exponit q. 1 ad Simpl. : *Sub lege esse dicuntur,* inquit, *quibus lex dominatur : dominatur enim iis, quos punit, punit enim prævaricatores omnes : non dominatur iis, qui jam sub gratia implent eam per charitatem.*

Negat hinc inde S. Aug. judæos legem implere potuisse, scilicet *suis viribus* : negat judæos habuisse gratiam, scilicet *vi legis ipsius antiquæ.* In sensu composito arrogantiæ, qua *prævenientem* gratiam tanquam minus necessariam a se repellebant, *adjuvantem* non receperunt, ac proinde in eodem sensu composito legem implere non valuerunt; sed *consequens* est impotentia illa, non *antecedens.* Solutio hæc ex ipsis textibus eruitur; verum tamen est, quod lex *de suo* neque adjuvantem, neque excitantem gratiam dare potuerit.

Inst. 5. S. Aug. docet legem a judæis *perfecte* impleri non potuisse, et quidem impotentia *antecedente;* ergo contendit, gratiam ad aliqua saltem præcepta necessariam ipsis defuisse.

R. — *D. A.* Non potuisse *perfecte* impleri perfectione huic vitæ indebita *C.* perfectione debita *N.* Docebant *Pelagiani*, hominem per solas naturæ vires

pervenire posse ad *perfectam impeccantiam,* quæ peccatum quocumque sensu dictum excluderet, idque non sub Evangelica tantum lege, sed etiam sub Mosaica consequi potuisse, et sub naturali. S. Aug. opponit 1° quod, si res ita se habeat, non modo gratis mortuus sit Christus, sed frustra scripta sit lex, cujus mandata jam menti inscripta gerebamus : in exemplum profert duo præcepta, ad quæ cætera naturalia facile revocantur, *non concupisces,* et *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde,* etc.; igitur de præceptis istis agit, quatenus scripsit, et quatenus littera eorum sonat : cum utrumque, si litteram urgeas, imperet perfectionem, ad quam nemo in hac vita pervenire potest, quia primum excludere videtur concupiscentiæ motus etiam *indeliberatos,* et alterum omnes omnino animæ sensus, mentis cogitatus, affectus voluntatis, potentiarum conatus sibi vindicare. Ex impossibilitate utriusque sic intellecti in hac vita perfecte implendi, evertitur dogma *summæ perfectionis* et *impeccantiæ* Pelagianæ.

2° Ostendit in doctrina catholica utilissimum fuisse, ut præcepta ista *eo modo* scriberentur, ut sublimi hac perfectione nobis proposita intelligeremus, quo tendendum esset ac jugiter adnitendum, atque ut videntes quantum inde abessemus, humiliaremur, gratiam peteremus, et gratia subnixi quotidie progrederemur, ac proficeremus. Plura de ista perfectione huic vitæ indebita disces ex Tr. de Act. Hum., num. 80.

42. *Obj. II.* Ezech. 20, 25 dicitur : *Dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent* : ergo lex vetus non fuit bona : præsertim cum plures SS. PP. textum *Ezechielis* interpretentur de præceptis per Moysen promulgatis. *Conf.* Ad Hebr. 7, 19 dicitur : *nihil ad perfectum adduxit lex* : et ad Gal. 2, 16 : *scientes, quod non justificatur homo ex operibus legis* ; ergo.

R. — *D. A.* Et hic propheta loquitur de præceptis legis mosaicæ *N.* de præceptis gentilium, quæ Deus permisit judæis imponi in pœnam violatæ legis divinæ *C.* Itaque sensus est, interprete S. Hier. : Israelitas, quia legibus meis vivere noluerunt, durissimis gentium legibus obteri atque occidi permisi : quia vultum meum sprevere, passus sum fœdari nefandis gentilium sacris, queis liberos suos Moloch, aliisque idolis immolabant. Ibidem v. 11, Deus præceptis illis opponens legem suam, dicit : *Dedi eis præcepta mea... quæ faciens homo vivet in eis* : et 2 Esd. 9, 13 : *dedisti eis judicia recta, et legem veritatis, cæremonias et præcepta bona.*

Ad Conf. D. A. Est imperfecta negative, et ex se insufficiens ad justificationem et salutem, quæ per fidem in J. C. data est *C.* imperfecta positive, et continens quidpiam rationi difforme *N.* ita S. Aug. ep. 82. SS. PP. Ambr. et Greg. per τὸ *non bona* intelligunt *non perfecta, quia Deus,* inquit Ambr., *in Evangelio perfectiora servavit* : et Greg., *bona quasi bona non sunt comparatione meliorum* : SS. Aug. et Thom. hoc restringuunt ad præcepta *cæremonialia,* quæ mala dici volunt, eo quod gratiam conferre non potuerint : S. Hier. ea vocat mala *per accidens,* et ex *eventu,* quia judæi propter transgressiones illa fecere non bona, illorum pœnis sese addicendo; etc.

Inst. 1. Lex vetus non vacabat *culpa,* ad Hebr. 8; imo erat causa *peccati* et *mortis,* ad Rom. 5 quia fecit *abundare delictum;* dicitur lex *damnationis,* littera occidens, ad Rom. 7; ergo erat mala.

R. — *D. A.* Lex non vacabat culpa *proprie* dicta, seu defectu positivo *N.*

culpa *improprie* tali, seu defectu negativo. *C.* Eodem sensu intelligendus Apost. ad Hebr. 7, 18 : *reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem : nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Item lex fecit, ut *abundaret delictum*, erat mortis et damnationis ministratio *occasionaliter*, et quidem occasione sumpta ex parte hominis. *C.* ex natura legis et fine legislatoris *N.* ita exponunt S. Aug., D. Thom. et Apost. ipse ad Rom. 7.

Inst. 2. Lex vetus gravia scelera fovebat, *concupiscentiam rerum temporalium*, dum pro legis observatione promisit bona terrestria ; Deut. 28, jubbat *odium inimicorum* et *cupiditatem vindictæ*, dum legem talionis sanxit, Exod. 21, et inimicitiam cum Amalecitis perpetuam esse voluit ; *crudelitatem*, permittendo heris occidere servos suos, Exod. 21 ; ergo.

R. *Ad 1 — N. A.* Nam rudi populo ad supernaturalia et æterna necdum satis præparato promittebantur temporalia, tantum ut *media* ad præmium æternum et finem ultimum : hinc Ps. 143 dicitur : *beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.*

Ad 2. De odio inimicorum et privata ultione *N. A.* Utrumque diserte prohibetur Levit. 19 : *non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum ;* in eo igitur quod Christus Matth. 5 ait : *audistis, quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum*, pars secunda non erat ex lege, sed ex prava Scribarum interpretatione, quam Christus ibidem corrigit. *Diliges proximum tuum*, h. e., inquiebant, amicum et consanguineum ; ergo, inferebant, *odio habebis inimicum tuum.* Quantum ad pœnam *talionis*, non ad privatos ea lex dirigitur, sed ad judices, estque ex æquitate et ratione : eam Græci et Romani docente natura in XII Tabulas retulerant : *Noxiæ pœna par esto.* Etiamsi diceretur id permissum privatis, ut Scribæ, interpretari amabant, *oculus pro oculo*, etc., *non fomes*, inquit S. Aug., L. 19 cont. Faust., c. 25 : *sed limes furoris erat : non ut id, quod sopitum erat, hinc accenderetur, sed ne id, quod ardebat, ultra extenderetur, impositus.* Hanc legem indoli judæorum præcipiti proportionatam Christus non quidem damnavit, sed meliorem constituit, Matth. 5. Inimicitia perpetua erga *Amalecitas* in pœnam gravissimæ injuriæ Israelitis contra voluntatem Dei illatæ, non ex privato odio, sed ex justo religionis zelo exercenda, fuit justissime imperata.

Ad 3. *N. A.* Nam Exod. 21, 20 dicitur : *Qui percusserit servum vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit ;* ergo servorum occisio non fuit heris permissa. Additur tamen v. 21 : *sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est ;* ergo tum excusabantur tantum a pœna, eo quod censerentur non habuisse animum occidendi.

Inst. 3. Præcepta *judicialia* statuebant varia iniqua e. g. *jus regium* 1 Reg. 8 indicatum, item de *servo profugo* non restituendo, etc. Hinc etiam lex vetus, Act. 15, 10 *jugum* dicitur, *quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus ;* ergo.

R. — *N. A.* Auctoritas legislatoris, finis legum et pervicacia populi judaici ad omnia vitia proni satis produnt æquitatem omnium legum *judicialium ;* hinc e. g. vetabatur, ne *servus profugus* restituatur domino, item ne *pignus* acciperetur a debitore, ut in *primo* casu occisio servorum, in *secundo* pauperum oppressio præverteretur. *Jus* vero *regium* l. c. indicatum non erat legitimum, aut divinitus institutum, sed ut ait D. Thomas, hic q. 105, a. 1, ad 5,

magis pronuntiatur usurpatio Regum, qua sibi jus iniquum constituunt, in tyrannidem degenerantes, et subditos deprædantes.

Demum lex vetus, Act. 15 non dicitur servatu *impossibilis*, utpote a multis observata, sed *difficilis*, tum quia innumera fere præcepta imponebat, tum quia ex se gratiam necessariam non conferebat; attamen ostendebat, unde quæri debeat et impetrari possit, nempe per fidem in Christum venturum, ita ut legis præcepta hac ratione fierent etiam *desiderabilia super aurum, et dulciora super mel et favum*, teste Davide Ps. 18. Voluit autem Petrus Act. 15 hisce fideles deterrere ab antiquæ legis ceremoniis ceu *necessariis*.

Inst. 4. Præcepta *ceremonialia* erant magnam partem *superstitiosa*, uti patet de *immunditia* ex contactu cadaveris contrahenda, quæ obstabat mortuorum sepulturæ, item de *sacrificio pro peccato*, quod præjudicabat necessitati et efficaciæ contritionis; ergo non erant bona.

R. — *N. A.* Quamvis enim non exigua sit difficultas, determinare singularum ceremoniarum *causas, fines* et *sensus mysticos*, certum tamen est, quod omnes aut vitæ melioris rudimenta, aut Redemptoris adventum, aut abominationem idololatriæ, aliorumque criminum symbolice repræsentaverint, quia lex vetus fuit pædagogus in Christo, figura et umbra futurorum bonorum, sic e. g. *immunditia legalis* prædicta figurabat immunditiam internam, qua per peccatum et conversationem cum peccatoribus anima coinquinatur; peccatum tamen non erat, sed irregularitas quædam, quæ a sacrificiis arcebat, neque contrahebatur ex sepultura mortuorum, uti ex historia Tobiæ manifestum est. *Sacrificium pro peccato* in ejus expiationem et aliquam tantum satisfactionem immolabatur, requisita insuper coram Deo contritione perfecta. Demum singulas ceremonias, quarum 613 et plures erant, explicare ad eam potissimum Theologiæ partem spectat, quæ sacras Scripturas interpretatur.

Inst. 5. Lex vetus observationem sui exigebat, nec tamen indicabat *gratiæ necessitatem;* ergo superbiam ingenerabat : sibi obtemperantibus *temporalia bona* pollicebatur, nec præstabat, refractariis mala minabatur, quæ sæpe non inveniebant : denique tota erat *in figuris*, quin judæis id aperiret; ergo fallax erat et dolosa.

R. *Ad* 1. — *N. A.* Israelitæ expectabant Messiam, cujus meritis gratia et salus expeti deberet, ac posset obtineri; nec dissimulabat lex amorem Dei internumque obsequium, quod imperabat, ex divina gratia et hominis cooperatione proficisci, sic Deut. 3 dicitur : *circumcidit Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo*, etc.

Ad 2. — *N. A.* Universum populum potius, quam singulos Israelitas spectabant terrenarum rerum *promissiones* ac *minæ*, ut passim videre licet præsertim Deut. 38; porro sicut prædictum erat, ita fiebat, ut genti legem observanti bene esset, male violanti : quanquam hæc privatos etiam suo modo respiciebant, cum Ps. 36 dicatur : *non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem... injusti disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt;* ubi exprimitur id, quod plerumque, non quod semper usu veniebat.

Ad 3. — *N. A.* Multa quidem in *figuris* et typis erat lex vetus, non tamen tota : frustra enim figuræ et imagines futurorum quærerentur in præceptis

moralibus et *judicialibus : ceremonias* etiam suas spiritualium ac futurorum esse typos, non celabat lex vetus sive scripta, sive tradita : nonne sat claram legem deprehendas ex modo dictis, circumcisione *carnis* adumbrari circumcisionem *cordis*, h. e. vitiorum exspoliationem.

Inst. 6. Si legis antiquæ ritibus ac præceptis adjuncta erat *gratia*, nihil fuit, cur Paulus toties ingereret, legem *infirmam* esse atque *inutilem* : nam quæ conjuncta sunt, non debent disputatione dividi et inter se opponi, sicut id non licet in *lege Evang.*; ergo.

R. — *N. A.* Postulabat Apostoli scopus, ut *legem* spectaret *infirmam*, eamque cum fide et gratia ex adverso compararet, quia sic eam considerabant adversarii quos impugnat, scilicet

Judæi tum *infideles*, qui fidem Christi aspernabantur, quasi sua sibi lex abunde sufficeret ad salutem, quos refellit Paulus in epist. *ad Hebr.*, ubi declarat, quantum Moyse præstet Christus, quantum veteri nova lex præcellat ; ostendit veterem per se infirmam fuisse atque imperfectam, et superveniente nova tanquam inutilem deinceps reprobari : tum ex *fidelibus* non pauci, qui præfidentes legi suæ jactabant suorum ex lege operum meritis concessum esse Christum, sibique peculiariter natum, et gentes foro salutis exsortes, nisi suscepta circumcisione legem et ipsæ observarent. Utrumque præjudicium destruit Paulus : *prius* quidem in epist. *ad Rom.*, ubi monstrat, judæos in lege scripta esse prævaricatos perinde ut gentiles in lege naturali ; deinde justitiam non potuisse per legem conferri, proin judæos non magis quam gentiles fuisse promeritos adventum Redemptoris, nec minus ejus gratia indigere : idem attingit in ep. *ad Hebr.*

Alterum præjudicium convellit ep. *ad Gal.*, ubi probat Israelitis adhuc rudibus legem *egenam* atque *infirmam* datam esse, tanquam pueris pædagogum ; tempore autem constituto fuisse per Christum liberatos a jugo legis, quicumque in Christum crederent, uti probat in ep. *ad Coloss.*

Ex harum disputationum statu manifestum est, *legem* debuisse a Paulo considerari secundum ea, quæ ipsi erant propria, et opponi *fidei* et *gratiæ*, sicut etiam a Pauli adversariis spectabatur, ut nimirum demonstraret illis Apostolus, *legem* ante Christum non satis fuisse ad salutem, nisi accederet *fides* et *gratia* Mediatoris ; post Christi vero adventum, repudiata *lege, fidem* esse suscipiendam. Quod de *lege Evangelica* additur, dicendum, quod Paulus negans in veteri lege extitisse vim conferendæ justitiæ, legem consideret secundum omnia, quæ legi propria erant, sive præcepta, sive ritus et sacramenta, sacrificia, etc. *Nova lex* autem, si secundum hæc omnia consideretur, in suis *sacramentis* et *sacrificio* gratiæ fontes habet, et aperit. Fatendum tamen, quod, si *nova lex* pro solis morum præceptis accipiatur, non magis gratiam conferat, quam vetus ; utramque subin ita accipiunt SS. Hier. et Aug. contra Pelag. pro statu controversiæ quam agitabant, et utrique sic acceptæ accommodant illud 2 Cor. 3, *littera occidit.*

43. *Obj. III.* Si lex vetus fuit a Deo lata, ergo *omnes* tum judæos, tum gentiles obligavit.

R. — *D. seq.* Omnes obligavit quoad præcepta *moralia*, quæ pertinent ad legem naturalem *C.* quoad præcepta etiam judicialia et ceremonialia *N.* hæc enim solos judæos et proselytos obligabant, Deut. 1, 1-4, 8-5, 1. Dein si

gentiles mosaica lege obligati fuissent, ergo peccassent contra illam, quoties contra legem naturalem peccarunt, quod est contra Apost. ad Rom. 2, 12 : *quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, etc. Demum testatur S. Dionys. L. de *cœl. Hier.* Melchisedechum, Naaman Syrum, Jobum et alios ex gentilibus multos pie vixisse. *Moralia* quidem præcepta servare tenebantur, at non vi *legis scriptæ*, unde nec pœnis a lege statutis in prævaricatores subdebantur; poterant vero etiam *gentiles* judæis aggregari, et transire ad legem mosaicam, sed sub onere circumcisionis.

Inst. Christus Matth. 23, 15 improperat Scribis et Pharisæis, quod circumirent mare et aridam, ut facerent unum proselytum; ergo non poterant *gentiles* ad judaismum transferri.

R. — *D. A.* Hoc Christus improperat Pharisæis ob studium alios traducendi ad legem, id quod laudabile erat *N.* improperat ideo, quia illos, quos tanto studio conquisierant, exempli pravitate et contrariis verbo Dei traditionibus perverterent *C.* hinc subdit Christus : *et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos.*

44. *Observa.* Finis antiquæ legis *primus* et *ultimus* erat : 1° *spiritualis* et *supernaturalis felicitas* populi electi juxta illud Christi Luc. 10, 26 : *in lege quid scriptum est?* ad quæstionem legisperiti dicentis v. 25 : *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* item juxta Ps. 18 et 118; hinc quoque præcepta fidei, spei et charitatis supernaturalia erant in lege veteri. 2° *Peculiaris honor Christi*, in cujus adventum per explicitam fidem se populus præparabat. 3° *Institutio* populi electi ad naturalem et necessariam honestatem, cultum divinum et politiam. Advertendum porro, quod ante legem mosaicam plures quidem *leges particulares* extiterint, v. g. lex non comedendi de fructu vetito, Gen. 2; lex utendi aliquo signo necessario ad impetrandam, mediante in Christum fide, remissionem peccati originalis; lex circumcisionis, Gen. 17; lex discernendi animalia munda ab immundis, Gen. 7 et 8; lex non comedendi carnem cum sanguine, Gen. 9; *stricte* tamen loquendo ante legem mosaicam non erat *lex positiva*, quæ hic sumitur pro integro quodam Corpore Juris divini, quo homines sub peculiaribus signis, sacramentis et sacrificiis ad certum aliquem statum Religionis determinantur; unde illa ætas primæva communiter *status naturæ* appellatur.

ARTICULUS II.

DE LEGE MOSAICA PER CHRISTUM ABROGATA.

45. *Nota.* Lex dicitur *abrogata* seu *mortua*, cum non amplius obligat. Certum est, legem mosaicam potuisse a Deo abrogari, qui eam libere tulit; quod vero tota sit abrogata per *Christum*, patet ex Jerem. 8, 31, ad Hebr. 8, 13, ad Ephes. 2, 14, ex C. Trid., Sess. 6, can. 21. In eo tamen errore versati sunt Ebion, Cerinthus, Nazaræi, et plures alii hæretici, imo judæi etiam, postquam conversi ad Christi fidem Act. 15, quod lex mosaica sit *æternum duratura*, unaque cum Evangelio servanda. Major etiam controversia est de puncto temporis, quo lex vetus exspiraverit; hinc

46. *Dico.* Lex vetus non ante mortem, sed in ipsa morte Christi *secundum se* desiit; ejus tamen *obligatio* tunc non cessavit.

Prob. 1um. Christus ipse legem servavit, et servari usque ad mortem præcipit, Matth. 5 dicens : *non veni solvere legem, sed adimplere;* hinc circumcidi voluit, Luc. 2, celebravit pascha, Matth. 26, ibidem, 23, 3 sic præcipit : *omnia quæcumque dixerint vobis,* Scribæ et Pharisæi, *servate et facite;* ergo non desiit *ante* mortem Christi.

Prob. 2um. Tunc vetus Testamentum fuit revocatum, cum novum est conditum : tum lex vetus abrogata, cum sacerdotium fuit translatum : atqui in morte Christi novum Testamentum fuit conditum, ad Hebr. 9, 16 : *ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris : testamentum enim in mortuis confirmatum est :* item sacerdotium Aaronicum translatum, cum Christus sacerdos in æternum instituit novum, seque ipsum in victimam offerens *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos;* ergo. *Conf.* Ex Christi verbis in cruce, *consummatum est :* quæ SS. PP. ita interpretantur, quod Christus moriens impleverit quod per legem veterem promittebatur, ita ut eorum veritate consummata lex vetus tunc fuerit abrogata.

Prob. 3um. Lex vetus non ante desiit obligare, quam obligare cæperit lex nova, quia Christus ad Hebr. 10, 9 : *aufert primum, ut sequens statuat,* et lex vetus per novam dicitur abrogata : atqui lex nova non statim in morte Christi obligavit, tunc necdum sufficienter promulgata; ergo. *Prob. m.* Si tunc obligasset lex nova; ergo præprimis lex baptismi jamdum obligavit : hoc non, quis enim dicat baptismi necessitatem in ipsa morte Christi fuisse toti mundo prædicatam? et aliud tamen remedium peccati originalis fuisset abrogatum. Quis credat, judæos Romæ, aut longius dissitos jam sine baptismo salvari non potuisse? Id sane de misericordia divina cogitari non potest, quod jam tum legem baptismi ad salutem necessarii statuerit, etiam invincibiliter ignorantibus inutilem, imo noxiam; ergo in morte Christi non statim desiit obligatio legis veteris.

47. *Obj. I.* Lex vetus dicitur *æterna,* vocatur legitimum *sempiternum,* etc.; ergo per Christum non est abrogata. *Conf.* Apostolus ad Gal. 5, 3 ait : *testificor omni circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ;* ergo judæos saltem adhuc ligat.

R. — *D. A.* Dicitur æterna simpliciter *N.* secundum quid, seu longo tempore, quo sensu ipsi *colles* dicuntur æterni, et quo Gen. 17. promittitur Abrahæ possessio æterna terræ Chanaan *C.* Durat autem lex vetus *in æternum* quoad veritatem figuratam per sacramenta et ceremonias legis antiquæ, item quoad conjunctionem populi electi cum Deo perpetuam, quam Deus præstitit, eumdem populum ex lege mosaica traducendo ad legem Evangelii sanctiorem. Ad hæc nihil, quod cum hoc mundo finitur, *æternum* est. Demum observant hebraice periti, vocibus, quæ redditæ sunt latine, in *seculum, in perpetuum, in sempiternum,* significari durationem non infinitam, sed indefinitam duntaxat, imo in V. T. quandoque tempus determinatum : sic Exod. 21, 6 de servo dicitur : *erit ei servus in seculum,* quod tantum intelligi dicitur, usque ad annum jubilæi, ut constat ex Levit. 25.

Ad Conf. — *D. C.* Ergo judæos adhuc ligat ex errore vix inculpabili *Tr.* vere et a parte rei *N.* quippe peccant hodie circumcisi, sive servent legem, sive

non servent : primum infidelitatis et superstitionis, alterum transgressionis reos facit, siquidem ea lege se obligari credant.

Inst. 1. MALACHIAS postremus Prophetarum cap. ult. suam cæterasque prophetias quasi obsignat mosaicæ legis commendatione : *mementote legis Moysis servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel;* atque ut declaret hanc ad finem mundi esse mansuram, subdit : *ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis;* ergo.

R. Quid hæc ad absolutam legis perennitatem? sub ELIÆ typo et nomine pronuntiatur JOANNES Baptista eodem, quo ELIAS, spiritu fervens : aut prædicitur ELIAS ipse, cujus prædicatio extremum judicium proxime præcedet, ut tanti viri memoria, metuque judicii legem judæi fidelius observarent, nempe quamdiu vigeret. Verum admonet idem MALACHIAS, legem eamdem esse abolendam vel commutandam, ejus sacrificia et cerimonias aliquando minime placituras Deo : *non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra*, etc. Malach. 1, 10.

Inst. 2. Israelitis tantum promissus fuit *Messias;* ergo illis per mosaicæ legis observantiam adjungi debent, quicumque cupiunt eadem promissa participare; item *oracula*, queis prædicitur vocatio gentium, declarant eas in divini cultus ritibus judæis assimilatum iri : dicuntur ascensuræ in montem *Sion*, memorantur earum *sabbata* et *neomeniæ*, etc.; ergo.

R. *Ad* 1. — *D. A.* Israelitis tantum promissus erat tanquam ex eorum gente oriturus *C.* tanquam solis ipsis nasciturus *N.* Communi omnium parenti statim ab ejus lapsu promittitur reparator, Gen. 3, idcirco Gen 49, vocatur *exspectatio gentium* : ipsum tam gentibus, quam judæis adventurum, non semel prænuntiant Prophetæ : Christianæ, non mosaicæ legis observatione gentes cum judæis debent sociari.

Ad 2. — *N. C.* Vates divini futura prædixerant sub figura rerum genti suæ familiarium, ac simul aperte significant dicta hæc non esse *secundum litteram* accipienda, cum non minus clare pronuntient, judæorum cultum esse reprobandum, dissipandam eorum gentem, incensum et oblationem in *gentibus* et *ubique terrarum* esse offerenda, etc. Præterea quis non videat, gentes omnes non potuisse quotannis ad montem et templum ascendere?

Inst. 3. Apostolus ad Rom. 3, 31 ait : *Legem ergo destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus;* ergo lex mosaica quatenus *moralis* per Evangelium confirmatur; hinc TT., PP., et ipsimet Apostoli, cum moralia præcepta commendant, doctrinam suam veteris Testamenti auctoritate confirmant; ergo præcepta illa etiam *quatenus mosaica* spectant ad Christianos.

R. *Ad* 1. — *N. C.* Apostolus de lege tota, ac præcipue de *ceremoniali* loquitur, quam ibidem vocat *legem factorum; destruere* illi est condemnare ac etiam abrogare, sicut e diverso *statuere* legem est eam defendere, ei suas dotes, conditionem, munia assignare, non vero imperare ejus observationem. Sensus igitur est : fides definit et ostendit bonitatem legis, partes et officia, nedum eam vituperet, aut inutilem fuisse pronuntiet; vel hic : nos, qui credimus in Christum, per hoc ipsum consentimus legi, quæ Christum prædicat, jubetque in illum credere eos, qui salvi esse velint; et contra legi refragantur, qui retinendæ ac defendendæ legis obtentu, Christum respuunt.

Ad 2. — *D. C.* spectant ad Christianos in ratione *doctrinæ C.* in ratione *legis N.* Naturæ præcepta seu leges *morales*, quoniam fuerunt legis Evange-

licæ auctoritate instauratæ, etiam apud nos referuntur ex V. T., ut discamus quidpiam a Deo fuisse prohibitum, quia per se malum erat, non ut putemus id nobis esse vitandum, quatenus lege veteri prohibitum.

48. *Obj. II.* Abrogatio legis fit vel per expressam *revocationem*, vel per *legem contrariam :* neutrum contigit legi mosaicæ ; ergo nondum est abrogata, maxime quoad *circumcisionem*, in signum fidei Abrahæ, et quoad solemnitatem *sabbati*, ad recolendum creationis beneficium institutam : hæc enim semper manent, a Christianis etiam imitanda.

R. — *N. M.* Lex sub *conditione* et ad *certum tempus* lata, his impletis, per se cessat : talis autem fuit lex vetus positiva, *donec veniret semen, cui promiserat,* ad Gal. 3, 19, *ubi venit plenitudo temporis,* ad Gal. 4, 4, etc. ; ergo legem mandatorum decretis Evangelicis evacuavit Christus, et dicendo novum retractavit prius, prout Apost. ait : *Fides Abrahæ* per baptismum, et *sanctificatio sabbati* per cultum diei Dominicæ eo modo novæ legi accommodatur, quo nova creatura in resurrectione Christi inchoata significatur.

Inst. 1. Præcepta *moralia* sunt de rebus necessariis; ergo immutabilia ; imo nequidem de *judicialibus* ullibi legitur facta abrogatio, sed tantum de *ceremonialibus ;* ergo.

R. — *D. C.* Ergo sunt immutabilia materialiter sumpta, et in seipsis *C.* Formaliter sumpta, prout veteri lege positiva imperabantur *N.* Præcepta moralia adhuc et semper vigent vi legis naturalis et Evangelicæ ; manent ergo invariata et in *eadem forma,* ut ait S. Leo, quoad rem præceptam et substantiam obligationis, non item quoad modum obligandi. Scriptura quidem sæpius expresse loquitur de abrogatione legum *ceremonialium,* quia de his potissima tum controversia fuit; in aliis tamen textibus, ad Hebr. 8, 13-7, 12 ad Ephes. 2, 14, loquitur universaliter, et rationes eædem pugnant pro abrogatione *judicialium,* quia nempe lex vetus tantum posita fuit ad certum tempus : populus judaicus desiit post Christi mortem esse gens electa, dispersus et contemptus sine civitate, sine templo, sine sacerdotio, sine sacrificio, republica, etc.

Inst. 2. Plura veteris legis præcepta *libris Decretalium* inserta sunt, c. 1 *de adult.,* c. 1 *de furt.,* c. 1 *de homicid.,* c. 1 *de injur. et damn. dat.,* etc. ; ergo adhuc obligant.

R. — *D. C.* Obligant tanquam legis divinæ placita *N.* quatenus juris humani sunt, Pontificis constitutionibus recepta et innovata *C.* Præcepta *judicialia* et *ceremonialia* constituerant jus civile reipublicæ Hebraicæ, qua extincta pariter ipsa exspirarunt ; solis ergo judæis data nos non obligant, sicut nec alias gentes ante Christum obligabant. Potuit vero Ecclesia Christi quædam de illis præceptis adoptare, sicut adoptavit varios ritus Ecclesiæ veteris, ut sunt *dedicatio templorum, consecratio altarium, vestitus sacer, incensum, aqua lustralis, cantus psalmorum,* etc. Idem est de iis *matrimoniis,* quæ in gradibus lege veteri prohibitis contracta adhuc sunt nulla ; non quidem vi legis mosaicæ, sed vi legis humanæ a Principibus approbatæ. Nequit autem nunc matrimonium judæorum, *dato repudii libello* dissolvi, quia Principes restituere nequeunt id, quod Christus absolute revocavit ; proinde matrimonium cum alia deinceps contractum est nullum, ita ut si talis repudiator

judæus convertatur ad fidem, separandus sit a conjuge secunda, et reducendus ad primam, siquidem hæc converti velit.

Inst. 3. Christus non venit *solvere* legem, sed *adimplere*, Matth. 5, 17; ergo lex vetus non fuit abrogata per Christum. *Conf.* Promissio legis veteris manet, quamvis temporalis, *ut sis longævus super terram;* ergo et lex manet.

R. — *D. A.* Christus non venit solvere, h. e. violare legem, dum vigeret ejus obligatio *C.* non venit abrogare *N.* Christus abrogando legem veterem, hoc ipso implevit legem, tum quoad præcepta *moralia*, quæ accuratius a suis impleri fecit: tum quoad *judicialia* et *ceremonialia* quæ magis perfecit, similis pictori, ut ait Theophyl., qui inchoatæ imagini extremam manum adhibet.

Ad Conf. D. A. Manet promissio *omnino temporalis*, scilicet illa de terra promissionis *N.* temporalis eatenus, quatenus figura erat *terræ viventium*, aut quatenus longa vita temporalis necessaria vel utilis esse potest ad vitam futuram *C.* hinc in lege nova omissa sunt verba ultima, *quam Dominus Deus tuus dabit tibi*, etc.

49. *Obj. III.* Luc. 16, 16 dicitur : *Lex et Prophetæ usque ad Joannem;* ergo jamdum tempore S. Joannis mortua est lex vetus. *Conf.* Jam ante mortem Christi non amplius legem servabant Apostoli, ideo a Pharisæis reprehensi; ergo.

R. — *D. A.* Lex et Prophetæ usque ad Joannem quantum ad modum prænuntiandi Christum, quem Prophetæ prædixerant *futurum*, Joannes *præsentem* monstravit, dicens : *Ecce agnus Dei C.* quantum ad legis substantiam *N.* Tempore S. Joannis lex vetus incipiebat mori, quia incipiebat prædicari Christus, auctor novæ legis, unde contextus habet : *Lex et Prophetæ usque ad Joannem, ex eo regnum Dei evangelizatur*, etc. Hinc *D. A.* Lex et Prophetæ usque ad Joannem quoad promissionem, quam illi temporalem, Joannes spiritualem et æternam regni Dei proposuerant *C.* quoad legis veteris obligationem *N.*

Ad Conf. D. A. Apostoli non amplius servabant legem quoad præcepta legitima *N.* quoad illegitimas Pharisæorum traditiones, quales erant, in sabbato spicas non vellere, lavare manus ad prandium, etc. *C.* Atque de his Christus ait Matth. 15, 3 : *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*

Inst. Circumcisio, quæ fundamentum totius legis erat, jam ante mortem Christi cessavit tanquam necessaria; ergo et lex ipsa desiit obligare *Prob. A. Baptismus* jam ante mortem Christi erat institutus; ergo *circumcisio* jam tum fuit inutilis.

R. — *D. A. prob.* Baptismus Christi jam ante mortem Christi erat institutus, necdum tamen præceptus, utpote necdum publice ac sufficienter promulgatus *C.* institutus simul et præceptus *N.* Ante mortem Christi circumcisio erat de *præcepto*, baptismus de *consilio* : nam uti alia præcepta mosaica, ita et lex *circumcisionis* erat absolute lata; ergo sicut illa ante mortem Christi non fuerunt abrogata, ita neque lex *circumcisionis*. Proinde si tunc judæus prolem baptizasset, infans quidem consecutus fuisset salutem, at pater peccasset contra legem *circumcisionis*, quæ signum erat distinctivum populi judaici divinitus institutum; si vero gentilis infantem baptizasset, huic necessaria non fuisset *circumcisio*, quia gentilibus legi mosaicæ

non subjacentibus præscriptum non fuerat remedium aliquod particulare, sed tantum signum aliquod fidei protestativum. Utilis tamen etiam tunc esse baptizato poterat *circumcisio*, in signum fœderis cum Deo, aggregationis ad populum Dei et peculiaris divinæ protectionis.

Inst. 2. Sicut stante consilio *virginitatis* vigere nequit necessitas *matrimonii*, ita nec posito consilio *baptismi* necessitas *circumcisionis*; ergo jam tum cessavit lex circumcisionis.

R. *N.* τὸ *sicut*. Nam *virginitas et matrimonium* nequeunt ita simul stare, sicut *circumcisio* et *baptismus* simul stare poterant ac debebant, saltem quamdiu necdum lex nova sufficienter ac publice esset promulgata, ac proin adhuc vigeret lex mosaica, cujus fundamentum erat circumcisio, non baptismus, præsertim cum judæi usque ad Christi mortem pascha celebrare deberent, quod solis circumcisis licebat celebrare, Exod. 12, 48. Præterea *circumcisio* non delebat peccatum originale, primario instituta ad professionem legis veteris; hinc et S. Joannes B. circumcisus fuit, quamvis in utero matris sanctificatus; hinc et alii infantes, tametsi ob periculum mortis ante octavam diem remedio legis naturæ sanctificati essent, tamen postmodum convalescentes ex præcepto debuerant circumcidi, ut sic aggregati populo Dei a gentibus discernerentur. Quod autem *circumcisio* desierit esse *necessaria* post debitam *novæ legis* promulgationem, inde patet, quod alias præceptæ fuissent duæ professiones legis quodammodo contrariæ, et *necessitas circumcisionis* multum derogasset dignitati ac sufficientiæ baptismi satis jam promulgati; hinc semper male fiebat circumcisio tanquam necessaria, dum baptismus cœpit esse necessarius.

Inst. 3. Baptismo instituto *circumcisio* erat signum falsum, significans futurum id quod jam præsens erat; ergo jam ante mortem Christi erat illicita.

R. — *D. A.* Circumcisio sumpta præcise ut signum *Messiæ venturi*, erat signum falsum *C.* sumpta pro signo *spiritualis circumcisionis* vel *resurrectionis*, uti sumi debebat *N.* Vera fides quoad *substantiam* tunc sufficiens erat, credere Messiam venturum tempore a Deo prædefinito; hujus autem medii utilitati non obstat error privatus judæi invincibiliter ignorantis Messiam venisse : sicut nec valori Sacramenti obstare dicimus errorem ministri. Verum id solum est intelligendum de invincibili ignorantia orta ex defectu promulgationis vel sufficientis temporis ad illam, adeoque ex defectu *ipsius legis* : nunc enim post sufficientem promulgationem legis novæ judæus, quamvis invincibiliter ignorans Evangelium, inutiliter et sine vera fide adhiberet circumcisionem, quia post debitam promulgationem ignorantia habet se *per accidens*, nec facere potest, ut vel baptismus non obliget, vel circumcisio abrogata aliquam virtutem conferat.

50. *Obj. IV.* In morte Christi *velum Templi* scissum est : Christus in cruce moriens dixit, *consummatum est* : Sacerdotium fuit translatum, et maceries diruta; ergo redemptio et lex nova fuit completa, ac vetus omnino mortua.

R. — *D. C.* Fuit completa redemptio quoad sufficientiam meritorum, et lex nova in ratione figuræ vel prophetiæ *C.* redemptio quoad obligationem legis novæ, et hæc in ratione legis veteris revocatæ *N.* Nam 1° *velum Templi scissum* per se tantum fuit signum januæ cœlestis apertæ, et translationem legis uti reliqua tantum *consecutive* significavit, ac pro tempore futuro; at-

que de hac ipsa ad cœlum via in V. T. clausa, in N. T. per mor em Christi aperta loquitur Apostolus ad Hebr. 9, 8. 2° Aliud est, quod Christus morte sua merita pro redemptione nostra consummaverit, aliud quod legem mosaicam plene abrogaverit. 3° Quamvis Christus per *sacrificium crucis* consummaverit omnes figuras veterum sacrificiorum, sicque confirmaverit *translationem Sacerdotii;* necdum tamen executioni dari poterat, priusquam *novo Episcoporum ordine*, et *summo Pontifice* in Ecclesia Christi hæc translatio publice promulgaretur : alias jamdum in ultima cœna dicam, factam fuisse *translationem*. Denique multa adhuc supererant post mortem Christi complenda, ut resurrectio, missio Spiritus S., convocatio gentium, ad Rom. 4, 25.

Inst. 1. Teste Apost. ad Hebr. 9, 17. Testamentum novum confirmatum est *in morte Christi :* ergo lex vetus post mortem Christi plane cessavit. *Conf.* S. Aug., in ep. ad Hier. docet, nunquam post Christi mortem licuisse in ceremoniis legalibus spem ponere.

R. — *N. C.* Quamvis enim confirmatum sit T. N. in morte Christi quoad pactum cum Patre Deo initum, et nostram justificationem per meritum et satisfactionem, quatenus post mortem nihil amplius meruit aut satisfecit, itaque lex vetus cessaverit *quasi fundamentaliter;* necdum tamen cessavit *formaliter*, quia necdum confirmatum erat T. N. in ratione *legis* completa quoad omnes alias actiones et integram vim obligandi. Quippe testamentum nonnisi apertum authentice ac notificatum operatur inter homines : ita Testamentum novæ legis. *Ad Conf. R.* idipsum sentire Augustinum in ep. 8 ad Hier., ubi ait, post passionem et resurrectionem Christi dato ac manifestato sacramento gratiæ putasse judæos, vetera sacramenta esse necessitate salutis celebranda.

Inst. 2. Lex vetus soluta est in morte Christi, sicut lex maritalis respectu mulieris solvitur in morte mariti, dicente Apostolo ad Rom. 7, 2 : *mulier, si mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri... et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit :* atqui mulier ita solvitur lege in morte mariti, ut cesset omnis obligatio; ergo.

R. — *N. M.* Non enim id evincit textus Apostoli, cum verba illa, *per corpus Christi*, non significant idem, ac per veritatem Evangelicam legis veteris figuræ substitutam, vel per virtutem et passionem corporis Christi; vel denique per *corpus Christi*, idem exprimitur, ac si diceret : quando incorporati et insiti fuistis corpori Christi, quod evenit, dum promulgato Evangelio credere cœperunt; unde sequitur, *ut sitis alterius*, nempe Christi, qui ex mortuis resurrexit. Idcirco Suarez magis proprie intelligi putat per *virum* ipsam Synagogam, per *uxorem* singulos Synagogæ conjunctos : hac vero per Christi corpus crucifixum dissoluta, omnes illi de Synagoga mortificati sunt legi, h. e. a lege soluti, in quantum passio et mors Christi legem mortificabat : non enim sat exprimit Apostolus, quando lex illa *omnino* fuerit *mortua;* paritas ergo neutiquam adæquata est.

Inst 3. Lex abrogata non obligat, et lex obligans non est *abrogata;* ergo vel lex vetus non desiit in morte Christi, vel post mortem Christi non amplius *obligavit*, vel nonnisi ex *conscientia erronea*, quatenus necdum cognoscebatur lex nova, obligavit, quæ certe vera obligatio non est.

R. — *D. A.* Lex tantum *secundum se*, radicaliter et in actu primo abrogata non obligat *N.* lex formaliter abrogata, vel per expressam revocationem, vel

per legem contrariam sufficienter promulgatam, non obligat *C.* Sic lex in concilio Principis abrogata *secundum se* servat tamdiu vim obligandi, eosdemque parit effectus, donec promulgata sit abrogatio. Dici vero nequaquam potest, quod lex vetus post Christi mortem solum *ex errore* obligaverit, quia alias omnis populus versaretur in errore, dum legem a Principe secreto conditam et necdum promulgatam ignorat.

Inst. 4. Saltem *Christo resurgente* lex mosaica fuit abrogata, quia tunc perfectum est opus nostræ Redemptionis, cum ad Rom. 4, dicatur Christus resurrexisse propter justificationem nostram; ergo.

R. — *D. A.* Perfectum est, quantum ad pretii sufficientiam et solutionem *C.* quantum ad omnia, quæ ad pretii applicationem erant necessaria *N.* Ut sanguinis Christi pretium per idonea instrumenta applicari posset hominibus, necessaria fuit publica fidei et novæ legis prædicatio, sacramentorum administratio, etc.

ARTICULUS III.

DE LEGE MOSAICA POST CHRISTUM TANDEM ILLICITA.

51. *Nota.* Lex dicitur *mortifera* seu *illicita,* cum jam sine peccato observari non potest. Quæstio procedit hic potissimum de præceptis *ceremonialibus,* utrum v. g. circumcisio eo ipso, quod inutilis fuerit jam non potuerit licite adhiberi? Certum quippe est, *ceremonialia* veteris legis jam nunc esse, ac dudum fuisse mortifera : certum, quod *moralia* ex lege tum naturali, tum Evangelica adhuc obligent eum, qui vult ad vitam ingredi : certum quoque, *judicialia* licet mortua, non esse mortifera, quæ nonnisi ad politicam utilitatem ordinata, etiamnum servari ad eumdem finem possint ab iis, qui potestatem habent condendi leges, uti quædam de *decimis,* de *impedimentis matrimonii,* etc., retinentur in lege Evangelica, exceptis tamen iis, quæ Christus expresse abrogavit, ut sunt *libellus repudii, pluralitas uxorum, usuræ* erga alienigenas, etc.

52. *Dico.* **Lex vetus non statim post mortem Christi fuit illicita aut mortifera; sed aliquo adhuc tempore licitum erat exercere legalia.**

Prob. 1° Observatio *legalium,* etiam cessante jam obligatione legis mosaicæ, nulla *lege Dei* vel *Ecclesiæ* prohibita erat, cum S. Hier. adeo solers in oppugnanda S. Augustini sententia nullam allegare unquam potuerit; ergo. 2° Apostoli cœlitus illustrati, et pleni Spiritu S. *legalia* adhuc observarunt aliquamdiu post mortem Christi : nam Petrus Act. 10; abstinuit ab *immundis,* anno jamdum decimo post Christi mortem. S. Paulus Timotheum ex matre judæa natum *circumcidit,* Act. 16 : idem suadente S. Jacobo usus est legali purificatione, Act. 21 : præceperunt Apostoli fidelibus Act. 15, abstinere ab *immolatis simulacrorum,* et *sanguine,* et *suffocato,* etc. 3° Observantia legum *ceremonialium* primis illis temporibus quodammodo necessaria fuit, tum quia difficillimum fuisset, totum populum tam cito avellere a ritibus antiquis, quibus admodum addictus fuerat : tum ne ceremoniæ divinitus institutæ, servantesque adhuc significationem aliquam subjectionis, reverentiæ et cultus divini, ita abominabiles haberentur, sicut illæ gentilium

ceremoniæ : idque in contemptum legis et Dei. Ita cum S. Aug., Beda, Hugo a S. Vict., D. Thom., Scot., Bonav., Suarez.

53. *Obj. I.* Lex *ceremonialis* ut primum mortua, fuit *mortifera,* utpote reprobata a Deo in ratione legis, quia per mortem Christi facta est *reprobatio præcedentis mandati,* ad Hebr. 7, 18; ergo.

R. — *D. A.* Lex *ceremonialis* reprobata fuit tanquam ex se noxia, vel ita, ut simul prohibitum fuerit, eam tunc observare tanquam non necessariam ad salutem *N.* reprobata fuit eatenus, ut non amplius esset necessaria vel obligans *C.* Licet hæc lex non amplius obligaret, tamen ceremoniæ manserunt vere *divinæ,* nec Deo, nec Ecclesiæ injuriosæ, si aliquo adhuc tempore, præcise ut licitæ, observarentur. Hoc tempore elapso, quod Deus Ecclesiæ determinandum reliquit, nec ipsa Ecclesia ceremonias potuit revocare, aut in illis dispensare; quamvis posset alias ceremonias instituere, seclusa tamen *judaica superstitione.*

Inst. 1. Lex ceremonialis jam est *illicita,* quia observatio legalium censetur esse professio fidei de *Christo* primum *venturo :* sed eadem fuit ratio statim post mortem Christi; ergo jam tum erat *illicita.*

R. — *N. M.* Sed ideo', quia nunc a Christo et ab Ecclesia prorsus est abolita; dein post Christi mortem Judæi et Apostoli non sunt usi legalibus ad significandam mortem Christi ut *futuram,* sed ut *factam,* aliosque ob fines. De facto etiam Ecclesia promissiones de Christo factas grata recolit memoria ex Psalmis et Prophetis, non in professionem fidei de *Christo venturo,* sed in testimonium veritatis jam impletæ, et concordiæ utriusque legis veteris et novæ; imo poterant exerceri legalia, abstrahendo a tempore præterito, vel futuro.

Inst. 2. Si legalia non exercebantur propter significationem *futurorum;* ergo non exercebantur ut legalia, et propter finem a Deo intentum, adeoque non erant apta ad cultum divinum, maxime cum pro illo tempore nec *bona,* nec *mala,* nec *indifferentia* dici valeant.

R. — *D. A.* Non exercebantur ut legalia secundum *totam significationem moralem* et *figuralem,* id quod non requiritur, uti patet in circumcisione Christi, et purificatione Deiparæ *C.* secundum nullam plane significationem *N.* Retinebant aliquam significationem *moralem,* et *figuralem* participabant pro ratione temporis et personarum. Distinguit autem S. Aug. tria tempora, primum ante promulgationem Evangelii, quo *legalia* erant *bona et præcepta :* alterum statim post cœptam Evangelii promulgationem, quo quidem *bona* erant, at *non præcepta :* tertium post sufficientem per totum orbem promulgationem Evangelii, et sepultam cum honore Synagogam, quo *nec præcepta, nec bona,* sed illicita fuere.

54. *Obj. II.* Si observatio legalium non statim fuit illicita; ergo diu postea duravit, et adhuc durat. *Prob.* Episcopi Asiæ constanter celebrarunt *Pascha* more judaico luna 14 : Christiani sub finem Seculi II, et initium III abstinuerunt a *sanguine* et *suffocato,* quod præceptum denuo restauratum fuit in Conciliis *Gangrensi, Aurel.* et *Wormat.,* atque etiamnum observatur apud *Græcos* tanquam lex, quam Deus non solis *judæis,* sed jam olim *Noe* et filiis ejus, ac proin omnibus gentibus dederat : denique ad mentem Innoc. III, cap.

un. de *purif.* mulieres post partum ritu hebræo adhuc abstinent ab *ingressu templi;* ergo.

R. *Ad* 1. — *D. A.* Asiæ Episcopi sic celebrarunt *Pascha*, legalium causa, sive in honorem legis mosaicæ *N.* ex *errore,* quo putabant id esse ab Evangelio præscriptum, et S. Joannis Ap., aliorumque Episcoporum exemplo confirmatum, donec a Victore Papa errorem dedocti fuerint *C.* Utramque hanc rationem objecit olim Polycrates apud Euseb., l. 5, c. 23. Victori P., qui Asiaticis propterea excommunicationem vel intulit, vel intentavit; pax tamen utrinque brevi restituta.

R. *Ad* 2. — *D.* Et illa abstinentia servabatur vi legis mosaicæ : erat enim ceremonialis, qua præfigurabatur interna sanctitas, quam lex Christi in Ecclesiam novam esset invectura : *N.* Vi præcepti Apostolici, quod vel consuetudine, vel decretis Conciliorum justis de causis aliquamdiu confirmatum fuit *C.* Nimirum ut magis vitaretur superstitio gentilium, qua carnes suffocatas idolis offerebant, easque religionis causa manducabant, aliarum vero victimarum sanguinem bibebant. Dixi : *vi præcepti Apost.,* scilicet illius Act. 15, 20, quod non tam fuit *ceremonia* legis veteris, quam *præceptum morale,* ad hoc etiam utile, ut judæi et gentiles per aliquod commune præceptum de abstinentia ab *immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione* magis adunarentur, simulque admonerentur, in ipsa arca Noe, dum Deus hoc dedit præceptum, gentium Ecclesiam fuisse præfiguratam, cujus facti prophetia cœpit impleri, gentibus jam ad Christum se convertentibus. Testatur autem S. Aug., hoc præceptum suo jam tempore sublatum fuisse, quamvis forte duraverit, quamdiu Imperatores erant idololatræ, et Christiani gentilibus immixti.

R. *Ad* 3. Talis *separatio mulieris* hodie tantum spectat ad honestam circumspectionem, et moralem verecundiam propter indecentiam aliquam corporalem. Posset autem Ecclesia hodie indifferentia ejusmodi a scandalo et judaismi suspicione sejuncta permittere aut præcipere, non vero omnes veteris legis ritus, prout constat ex perpetua traditione Ecclesiæ.

ARTICULUS IV.

DE LEGALIBUS AB APOSTOLIS ALIQUAMDIU POST CHRISTI MORTEM EXERCITIS.

55. *Nota.* Gravis olim controversia fuit inter SS. Hieronymum et Augustinum de *usu legalium;* quippe contendebat S. Hieronymus, statim post mortem Christi præcepta ceremonialia fuisse mortifera; ut vero *Apostolos* a peccato excusaret, observationem legalium tantum per simulationem ab iis factam esse inferebat; pariter S. Petrum, cum gentiles Antiochiæ coegit judaizare, nullo modo peccasse, et nonnisi ex composito fuisse a Paulo reprehensum aiebat. Contra S. Augustinus docuit, mortua quidem post Christi passionem legalia, at non statim mortifera fuisse, eaque ab Apostolis observata, *non simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ,* vere dicente Apostolo 1 Cor. 9, 20, *et factus sum judæis tanquam judæus, ut judæos lucrarer;* Petrum autem simulate a gentibus se segregando peccasse venialiter docebat, defectu attentionis ad scandalum inde oriturum; his prænotatis

56. *Dico.* Apostoli non *stimulate,* sed *sincere* observarunt legalia, et Paulus Cepham *serio*, non ficte reprehendit.

Prob. 1ª *pars.* S. Jacobus, Act. 21, 24. Paulum hortatus, ut se cum aliis quatuor purificaret, non dixit, *finge, simula*, sed, *sanctificat te cum illis... fac quod tibi dicimus; et scient omnes, quia ambulas et ipse custodiens legem;* ubi præclare S. Aug., ep. 82 : si Paulus legalium observantiam tantum simulaturus erat, non diceret ei Jacobus, *et scient omnes*, sed diceret, *et putabunt omnes.* Et postea additur : *purificatus intravit in Templum;* ipse quoque Paulus Act. 24 dixit : *invenerunt me purificatum in Templo;* in quibus sane omnibus nec umbra simulationis est; ergo. *Conf.* Simulatio illa Apostolorum, ut arguit S. Aug. contra S. Hier., fuisset verum *mendacium* in negotio religionis, et grave *scandalum*, quo scienter induxissent alios ad servanda legalia, cognita ut mortifera : fuisset enim signum falsæ religionis, et superstitionis, quod de Apostolis in gratia confirmatis dicere nefas est.

Prob. 2ª *pars.* S. Paulus ad Gal. 2, 11 expresse ait de Cepha : *quia reprehensibilis erat,* et v. 14 : *quod non recte ambulaverit ad veritatem Evangelii.....* Ibid, 1, 20 : *quæ autem scribo vobis : ecce coram Deo, quia non mentior;* hæc autem tam asseveranter scribere non potuisset, si *Cephas* tantum simulate exercuisset legalia, et ex condito reprehensus fuisset. *Conf.* Ex SS. PP. Cypr., Ambr., Greg. M., Tertull., etc.; quin et Hieronymus postmodum hanc sententiam potius honestam dispensationem esse dixit : imo L. 1 cont. Pelag., c. 8, inter alia testimonia, quibus probat, nullum esse Episcopum omnino irreprehensibilem, profert exemplum Petri, et tandem L. 1 cont. Pelag. amplexus est sententiam Augustini, teste Aug., ep. 260 ad Ocean.

Inter PP. hic contrarios sunt Alexander hæreticus appellatus, Origenes et Didymus in multis reprehensione digni. Profecto cæteri PP. omnes æque ac S. Hieronymus tandem consensissent cum S. Aug., si eadem hujus S. D. argumenta audivissent, unius fere Origenis auctoritate adducti ad oppositam sententiam.

57. *Obj.* 1. De Cepha dicitur ad Gal. 2, *simulationi ejus consenserunt cæteri judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem :* et de S. Paulo, Act. 16, 3, quod circumciderit *Timotheum propter judæos, qui erant in illis locis :* ipse autem 1 Cor. 9, 20 fatetur : *factus sum judæis tanquam judæus..... quasi sub lege essem;* ergo apostoli tantam simulate legalia exercuerunt.

R. Ad 1. — *N. C.* Nam Syrus pro simulatione legit *segregationem*, proinde factum Cephæ vocatur simulatio, non quod Cephas *ficte* egerit, sed quod abstinendo a cibis lege vetitis, aliis ansam dederit judicandi necessario observanda esse legalia.

Ad 2. — *D. A.* S. Paulus circumcidit Timotheum propter judæos, ut judæos facilius lucraretur, et ne videretur repudiare legalia tanquam illicita *C.* propter judæos, h. e. ex metu judæorum simulando et fingendo *N.* Paulus judæis factus est tanquam judæus, non *mentientis astu*, sed *compatientis affectu*, sicut et gentibus et *omnibus omnia* factus. Circumcidit autem *Timotheum*, ne cognationi ejus videretur contemnere sacramenta vetera, omniaque reprobare : *Titum* vero non circumcidit, ut defenderet Evangelii veritatem, ostendens circumcisionem non esse amplius necessariam; vide ep. ad Gal. 2, 3.

Nihil ergo ab Apostolis per *simulationem* et *astutiam* gestum est : non finxe runt *actus ipsos,* quos vere ac physice exercebant : non simularunt *religiosum cultum,* quem interius non haberent pro religioso, quia apertissime legalia referebant ad divinum cultum : non obligationem, nec obligationis in his ritibus opinionem injicere voluerunt, sed accommodabant se tantisper infirmitati judæorum, ut eos facilius Christo lucrarentur.

Inst. 1. S. JACOBUS, Act. 21, hortatur Paulum ad custodiendam legem, quia judæi credentes Evangelio conquesti fuerant de Paulo, non quod legem rejiceret ut *malam,* sed quod legem adhuc *obligantem* non custodiret ; ergo cum Paulus ad sedandas hasce querelas deinceps legem tanquam adhuc obligantem observaret, non ex animo, sed *ficte* illam observarit, nempe certus legem non amplius obligare.

R. Judæi fideles, non quidem omnes, sed plures inducti calumniis judaizantium facilius credebant et querebantur, quod Paulus non solum prædicaret legem desiisse, sed illam adeo ut *malam* rejiciendo, ad apostasiam a lege induceret, juxta illud : *audierunt de te, quod discessionem doces a Moyse,* quam calumniam ut refelleret Paulus, satis erat legem exequi, non ut adhuc obligantem, sed ut licitam, et necdum mortiferam.

Inst. 2. Paulus 2 Cor. 12, 46 ait : *cum essem astutus, dolo vos cepi :* item, quod Cephæ *in faciem* restiterit, h. e. apparenter eum reprehenderit ; ergo simulavit.

R. — *N. C.* Nam 1° verba illa : *cum essem astutus,* non sunt assertiva doli, sed prævenientia tacitam objectionem, nempe ut credidistis; quam tamen statim solvit dicens : *numquid per aliquem, quem misi ad vos, circumveni vos?* ita D. Thom. Ad hæc additur ibidem de *victu* recipiendo ab iis, quibus prædicabat, non de *usu legalium.* 2° Græca, Æthiopica, Syriaca lectio habet, *palam, coram omnibus, in faciem ipsius,* adeoque non mere apparenter ; hinc infra subdit Paulus : *dixi Cephæ coram omnibus,* et qua de causa ? *quia reprehensibilis erat.*

Inst. 3. Textus græcus non legit, *reprehensibilis,* sed *reprehensus;* adde quod Paulus non potuerit serio in CEPHA reprehendere, quod ipse non semel fecerat, exercendo legalia ; ergo *ficte* reprehendit.

R. *Ad* 1. — *N. C.* Quippe *Cephas* antea jam ab aliis fuerat reprehensus, dein vero in faciem et coram testibus, ac demum publice, prout infra dicetur.

Ad 2. — *D. A.* Paulus ipse non semel observavit legalia in iisdem circumstantiis *N.* in circumstantiis omnino disparibus, unde actionum humanarum ratio specifica æstimari solet. *C.* Paulus semper vescendo cum gentilibus satis ostenderat, legem veterem non esse necessariam, CEPHAS vero in civitatibus gentilibus cum gentilibus manducabat : sed quamprimum illuc judæi venissent, juxta præscriptum legis veteris subduxit se a mensa gentilium, sicque priori agendi ratione correcta, ansam dedit gentilibus inferendi *necessitatem* servandæ legis mosaicæ talem segregationem imperantis.

58. *Obj. II.* Non potuit nisi *ficte* exercere Paulus id, quod docuit esse mortiferum : atqui docuit legalia esse mortifera, ad Gal. 5, 2 : *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit... evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis ;* ergo.

R. — *D. M.* Si docuit esse mortiferum ex quacumque cultus intentione obser-

vatum *C.* observatum superstitiose, et judaico errore atque affectu *N.* Nimirum Ebion et Cerinthus docebant, et Galatæ a pseudo-apostolis sibi persuaderi passi erant, circumcisionem non minus in nova lege, quam in veteri *necessariam* esse; ea ergo mente circumcidentibus se denuntiat Apostolus Christum nihil profuturum. Ita explicat S. Aug., qui ait, ideo legalia ab Apostolis aliquamdiu post Christi mortem exercita fuisse, ne, si statim a ritibus mosaicis sicut a ritibus gentilium deficerent, lex Moysis *improbata* potius quam *terminata* videretur.

Inst. 1. Ergo licita etiam nunc erit legalium observatio, si modo citra judaicum errorem et affectum fiat, siquidem nullibi in S. Scriptura exstet præceptum ejusdem prohibitivum.

R. — *N. seq.* Etsi præceptum hoc in Scripturis non legatur, certissima tamen Traditione ad nos pervenit; S. Ign. M. Apostolorum discipulus docet in ep. ad Philipp., nefas esse legalia Evangelio admiscere : *Si quis cum judæis celebrat pascha*, inquit, *aut symbola festivitatis eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt et discipulos ejus.* Primis Ecclesiæ seculis annumerati sunt *hæreticis*, quicumque judaicas ceremonias aut observari vellent, aut retinerent : Aug. hær. 9 de Nazaræis.

Inst. 2. In Synodo Hieros. Act. 15 aliquid ex veteri lege retentum fuit, quin etiam ad gentes id extensum; ergo legalia non evasere mortifera.

R. — *D. A.* Aliquid retentum fuit quoad objectum præcepti *C.* quoad obligationem ex veteri lege manentem *N.* Præceptum, ut a *sanguine* et *suffocato* abstinerent Christiani, versabatur circa partem aliquam materiæ veteri lege prohibitæ, sed non obligabat ex vi legis veteris, nec ullum videtur ad legem veterem habuisse respectum. Apostolici præcepti ratio potissima fuit, ut in unam *Religionis* societatem cum gentibus facilius convenirent judæi, quibus horrori erat sanguinis comestio, eoque opportunius hoc visum est, quod statim a diluvio Deus omnibus interdixerat sanguinis usum. Alteram ex dictis supra rationem Patres afferunt illius prohibitionis, quia in *idolorum* cultu sanguis et suffocatum usitatissimæ erant consuetudinis.

Inst. 3. Saltem *idolothyta* non comedendi præceptum videtur ex lege veteri remansisse, quia illorum usus *per se* malus non est, nec novæ legis præcepto universis Christianis per se prohibitus, ut patet ex 1 Cor. 8 et 9; ergo.

R. — *N. A.* Apostolicum præceptum illud fuit propterea sancitum, quia carnium idolis immolatarum esus, quamvis non *per se* malus, aliquam idololatriæ speciem præferre videbatur, et poterat esse scandalo, præsertim Christianis Syriæ et Ciliciæ, ubi frequentiores erant judæi et fideles ex judæis; at cæterum Christianis omnibus impositam non fuisse eam legem, ex eo conjiciunt Salmeron et Baronius ad ann. Chr. 51, quod Paulus a Corinthiis hac de re consultus Apostolicæ sanctionis non meminerit.

59. *Observa.* Certum est, *legalia* tandem evasisse *mortifera* : quo autem determinato tempore, nec a Scriptura, nec ab Ecclesia determinatum est. Communis sententia determinat annum circiter quadragesimum a Christi morte, dum eversum erat templum Hieros., tum quia Evangelium jam satis intra illud tempus promulgatum fuerat, juxta Apost. ad Coloss. 1, 6. Evangelium *pervenit ad vos, et in universo mundo est* : tum quia necessitas non

fuit diuturnioris œconomiæ cum judæis servandæ, ne fors scandalizarentur gentiles, et Ecclesia videretur favere *Cerintho et Ebioni :* tum quia honos nullus *Synagogæ* habendus, templo funditus destructo, dispersis undequaque judæis, trucidatis sacerdotibus, etc. Porro an *jure divino*, an *ecclesiastico* lex vetus sit abrogata, dubium videtur Suaresio : dicendum autem, quod *præcipua* saltem *legis mosaicæ capita*, quæ directe Evangelio repugnabant, *jure divino* facta sint mortifera, nempe Aaronis sacerdotium, sacrificia, quæ unicum Christi Sacrificium ubique a sacerdotibus novæ legis offerendum secum non compatitur, omnesque ritus Moysis præcipui, quos Evangelium *per se* excludit. Idem est de *judicialibus*, ut est permissio dimittendi uxorem, vel plures simul ducendi, quæ stare nequit cum restitutione matrimonii *in pristinum statum*. Reliquæ ceremoniæ minus principales de vasis, vestibus, etc., *jure solum ecclesiastico* abrogatæ sunt.

ARTICULUS V.

DE CEPHA A PAULO CIRCA USUM LEGALIUM REPREHENSO.

60. *Nota I.* Communior inde a prioribus Ecclesiæ seculis PETRUM a CEPHA fere non distinguit, tum propter unanimem prope sensum SS. Patrum, tum quod Codices antiqui pro *Cepha*, quem nunc legimus, legerent PETRUS, tum quod Paulus CEPHÆ prædicata tribuat, quæ soli PETRO videntur convenire, vocans eum *columnam Ecclesiæ*, recensens eum cum *Jacobo et Joanne* præcipuis Christi Apostolis, simulque ostendens, se Paulum ab hoc CEPHA in societatem Apostolatus receptum fuisse. At sententia recentiorum CEPHAM hunc et lapsum et reprehensum, non apostolum, sed discipulum ex LXX unum, non apostolici collegii Principem, sed cleri Hierosolymitani presbyterum fuisse contendit. Hæc opinio, cum Christi verba ad PETRUM : *Tu es Petra... tu es pastor ovium.., non deficiet fides tua*, etc., a ludicra adversantium crisi, a judaica insania, et risu gentilium vindicet facilius, et Vicarii Christi indefectibilitati ac primatui consulat suavius, omnino videtur præferenda.

61. *Nota II.* Ex epist. ad Galatas deducuntur sequentia : Paulum *convertisse Galatas*, c. 1, v. 6, 8, 11 : falsos fratres *conturbasse Galatas* a Paulo conversos per calumniam Paulo afflictam, quod gentiles a lege mosaica plane eximeret, quamvis aliter edoctus ab Apostolis Hierosolymæ, c. 1, v. 7 : Paulum ad abstergendam hanc labem *scripsisse* prædictam *epistolam ad Galatas*, in qua asseverat, Evangelium suum se non ab hominibus, nec Apostolis, sed a *Christo* immediate didicisse, c. 1, v. 11, 12, etc. Paulum ante scriptionem hujus epistolæ *bis* tantum *venisse Jerosolymam*, primo post annos tres a conversione, ut videret Petrum, et secundo post annos quatuordecim, non a prima profectione, sed a *conversione*, assumptis Barnaba et Tito, c. 1, v. 18, c. 2, v. 1 ; atque hoc secundum iter Pauli idem esse cum illo, quod Act. 11 refertur, nimirum anno æræ vulgaris 44 qui fuit annus maximæ in Judæa famis, accuratissime respondens anno decimo quarto conversionis, cum anni 14 additi annis 30 æræ vulgaris, quorum postremo Paulus converte-

batur, faciant annos 44 : *Cepham et Joannem*, qui videbantur esse aliquid, fuisse *presbyteros Jacobi*, nec fuisse id quod videbantur, c. 6, v. 3 : *Junctionem dexterarum* Jacobi, Cephæ et Joannis cum dextera *Pauli* evenisse ante Concilium habitum anno 50 : *Cepham* fuisse vere lapsum, vereque ter reprehensum. Verba autem præcipuæ hic considerationis sunt ex c. 2, a. v. 7, usque ad v. 15.

62. *Dico.* **Cephas lapsus et a Paulo Antiochiæ objurgatus, non fuit Petrus Apostolus, sed unus ex LXX Discipulis.** *Ratio :* quia *characteres* Petri ac Pauli *locus et tempus* reprehensionis factæ, *nomen* aliæque *circumstantiæ* prorsus incredibile reddunt, hunc Cepham fuisse S. Petrum Apostolorum Principem.

Prob. 1ª *pars.* 1º Petrus Apostolus non potuit *turbasse Galatas*, calumniando, quod Paulus ab hominibus didicerit Evangelium, quia in eodem argumento laudat Petrum cum quo per 15 dies fuisse Jerosolymis deprædicat : Paulus Cepham adnumerat illis, qui *videbantur esse aliquid*, esse *columnæ Ecclesiæ*, quales non erant; sed Petrum revera fuisse aliquid, vere columnam Ecclesiæ, Paulus affirmat v. 7 et 8 : hic Cephas videtur gloriatus fuisse, quod Paulo *aliquid contulerit* quoad Apostolatum; quis autem de S. Petro jactationem hujusmodi vanissimam vel somniet? Paulus Cepham inter *falsos fratres* refert, qui explorata prius libertate utantur, sed postea ex metu judæorum se segregent; et huic Cephæ, ait Paulus, huic simulatori ac turbatori Antiochiæ restiti, eumque publice corripui, qui sane Petrus esse non potest, Paulo sic eum laudante, *Christus operatus est* Petro *in Apostolatum, sicut mihi;* quid autem hæc laus Petri in epistola ad Galatas, ad quos Paulus scribens demonstrare voluit, quod Petrus male egerit? Præterea ex argumento epistolæ *perfidus fuit ille* Cephas, qui prius junxerat Paulo dexteram ad operandum in circumcisionem, sicut Paulus et Barnabas in gentes cum libertate, postea vero gentes ad judaizandum cogens, datam fidem fregit, id quod neutiquam de S. Petro dici potest, qui ad gentes quoque a Deo vocatus fuerat, et jamdum propter *visionem cœlestem* cum illis gentiliter vixerat.

2º Paulus ea nequaquam egisset cum S. Petro, quæ egit cum Cepha, tam acriter et publice suum totiusque Ecclesiæ Caput reprehendendo, ut ter ab eo correptus fuerit Princeps Apostolorum, videlicet *privatim* reprehensus, κατεγνωσμένος ἦν, quia reprehensus erat, ut habet fons græcus, nempe vel a judæis Antiochiæ gentiliter viventibus, vel a genilibus aliter edoctis a Paulo, ac Cephas solebat : dein *coram testibus* κατὰ πρόσωπον, *in faciem ei restiti :* demum eo quod pergeret non recte ambulare ad veritatem Evangelii, alios plures et Barnabam adeo perducere in hyprocrisin, et quod maximum fuit, gentes ad judaizandum cogere comminatione æternæ damnationis, Act. 15, 1, *publice,* coram universa Ecclesia correptus his verbis : *si tu, cum judæus sis, gentiliter vivis et non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* En trinam et Evangelicam correctionem Cephæ juxta normam ab Evangelio præscriptam; hanc certe Paulus contra S. Petrum non adhibuisset, tum quia S. Petrus ob eximiam humilitatem tot aliis modis poterat reduci ad viam veritatis, tum quia nullo modo probabile est, S. Petrum aut tantopere timuisse judæos a Jacobo missos, coram quibus centies idipsum fecerat Jerosolymis, aut ita coegisse gentiles ad judaizandum, qui tot abhinc annis

cum gentilibus palam manducaverat in medio Judææ cordate edicens, id jussu divino a se factum fuisse : ergo *characteres* Petri et Pauli non sinunt credere, quod ille *Cephas* fuerit *Petrus Apostolus.*

Prob. 2ª *pars.* S. Petrus non fuit *Antiochiæ,* cum Paulus Cepham *Antiochiæ* reprehenderet : vel enim Cephas a Paulo reprehendebatur paulo *ante* Concilium Hieros., de quo Act. 15, vel *post* illud Concilium? non *ante,* quia alias S. Petrus egisset manifeste contra visionem et instructionem a Deo acceptam, contra ipsum conscientiæ testimonium, verba et fidem, Act. 11.

Ad hæc Petrum tunc non fuisse *Antiochiæ,* sed Jerosolymis, inde liquet, quia Paulus et Barnabas Act. 15, ascenderunt Hierosolymam ad *Apostolos,* adeoque ad Petrum, ut eos de usu legalium consulerent. Non *post* Concilium Hieros., quia alias Petrus, qui in illo Concilio primus surrexerat dicens : *viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere,* etc. Act. 15, 7, ac in quo tandem v. 28, unanimi consensu sancitum fuit : *visum est Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria,* etc.; si, inquam, *post* hoc Concilium gentes judaizare coegit S. Petrus; ergo contra suammet in Concilio sententiam, contra expressum Concilii decretum, etc., egit Princeps Apostolorum. Dein non potuit Antiochiæ tunc reprehendi a Paulo, qui Jerosolymis post Concilium adventans Antiochiam, post aliquot dies a profectione Legatorum Judææ et Silæ continuo Antiochia discessit. Adde, quod juxta chronologiam recentiorem Petrus *Romæ* fuerit eo tempore, quo Paulus Cepham reprehendit : nam anno 42 æræ vulgaris et 2º Claudii Petrus venit *Romam,* inde non reversus, nisi anno 49ºet Claudii an. 9 præsidens Concilio Hieros. anno 50; Paulus vero anno æræ vulgaris 44 conversionis suæ 14. Cepham convenit Jerosolymis, quem ibidem sibi jungentem dexteram, anno 49 reprehendit Antiochiæ. Cum ergo Petrus anno 44 uti et annis sequentibus Romæ fuerit, nequaquam dici potest, quod Petrus sit ille Cephas, qui Paulo junxit dexteram Hierosolymæ a Paulo Antiochiæ reprehensus; ergo *locus* et *tempus* incredibile faciunt, quod ille Cephas fuerit S. Petrus. De hac chronologia Apost. plura vide in Tr. de *Princ. Theol.* num. 164, etc.

Prob. 3ª *pars.* Paulus in epist. ad Galatas ter exprimit *nomen Petri,* dein vero invectus in simulatorem appellat eum Cepham, quo nomine nunquam solitarie Petrus ab Evangelistis erat nominatus; cur ergo eamdem personam in eadem epistola diversis nominibus exprimat? Sane ad Galatas longissime dissitos cum scriberet Paulus accusans Cepham, nihil ambigui scribendum erat. Porro inauditum est, Petrum, qui ab omnibus Evangelistis propter primatum *primo loco* recensetur, Jacobo in ordine Apostolorum nono, quin et discipulis Domini, qui Apostoli non erant, postponi a Paulo obstupescente, quod *Barnabas* adeo in eamdem simulationem duceretur a Petro, etc.; ergo *nomen,* aliæque *circumstantiæ* vindicant a lapsu et reprehensione S. Petrum.

63. *Obj. I.* Paulus objurgando Petrum probare contendit, se Apostolis dignitate parem fuisse; ergo Cephas, nescio quis, nequit substitui in locum Petri Apostoli.

R. — *N. A.* Sed persuadere Galatis instituit Paulus, ut sua, h. e. *Pauli* sententia de libertate Evangelica, et non illa Cephæ de servitute Mosaica staret,

eo quod ipse Evangelium non ab hominibus didicerit, sed a Christo, sicut PETRUS. Si vero uti CEPHAS, ita Paulus ab eodem Christo doctrinam Evangelii accepit, quare Galatis standum sit doctrina Pauli, et non CEPHÆ? contrarium ergo verum sit necesse est, nempe quod CEPHAS non a Christo, sed ab hominibus didicerit Evangelium; unde liquet, quod Cephas a Paulo reprehensus non potuerit esse PETRUS Apostolus.

Inst. Nonnisi *Apostolus* esse potuit, qui *Barnabam* sua auctoritate in eamdem simulationem pertraheret; ergo CEPHAS idcirco reprehensus fuit PETRUS Apostolus.

R. — *N. A.* Nam quo hæc tempore facta sunt Antiochiæ, *Barnabas* nondum acceperat per impositionem manuum Apostolicarum Spiritum S., missionem et Apostolatum, uti constat ex chronol. Apostol.

Deinde Scriptura dicit: *Barnabas* fuit ductus *ab eis* in simulationem, scilicet a judæis, et non *ab eo*, nempe Cepha, quem parvi faciebat. Demum additur particula *et*, ita ut ET Barnabas... quasi Paulus plus tangeretur lapsu Barnabæ, quam CEPHÆ. Barnabas autem flecti potuit exemplo CEPHÆ, nolens resistere illi, qui *videbatur esse aliquid*, ut et ipse hac ratione judæis gratificaretur.

64. *Obj. II.* S. Scriptura non ubivis observat ordinem dignitatis, uti Act. 18, 2; — ad Rom. 26, 3; — 2 Tim. 4, 19, semper præponit PRISCILLAM AQUILÆ, uxorem marito; ergo nec ordo inversus ad Gal. 2, 8 probat, a Paulo CEPHAM fuisse distinctum.

R. S. Scriptura non temere præponit PRISCILLAM, sed laudis causa invertit ordinem, quia quo sexu debilior PRISCILLA, eo fortior animo suam animam pro Pauli anima supposuerat, ad Rom. 16, 4; causa vero nulla est, cur PETRUS trina vice laudatus tanquam *Apostolus* Jacobo Apostolorum nono postponatur in eadem epistola; ergo ille CEPHAS non *Apostolus* et Princeps Apostolorum, sed cleri Hieros. solum *presbyter* fuit.

Inst. 1. Si CEPHAS ille solum *presbyter* fuit; ergo *Joanni* non erat præponendus, quo utpote Apostolo Cephas fuit inferior.

R. — *N. supp.* quod *Joannes* ille, qui ad Gal. 2, cum Paulo junxit dexteram, fuerit *Apostolus*: nam 1° S. Joannes tum jam discesserat in Asiam, cum anno 39 facta sit divisio Apostolorum, manus vero Pauli, Jacobi, CEPHÆ et Joannis junctæ fuerint anno 44. — 2° Junxerunt dexteras, ut Cephas et Joannes operarentur *in circumcisionem*, cum uterque Apostolus operatus sit *in gentes*, Petrus Romæ, Joannes in Asia; adde juramentum, quo Paulus ad Galatas asseverat, se, nimirum in primo suo adventu Hierosolymæ, præter *Petrum* et *Jacobum* Apostolorum vidisse neminem. 3° S. Joannes Apost. non tantum videbatur esse columna, sed vere fuit, cujus etiam prærogativa nec Paulo, nec Hierosolymitanis incognita esse potuit. Hæc ergo verba Pauli: *videbantur aliquid esse*, quod non erant, cadunt in *Joannem Marcum*, quem utpote consobrinum Barnabæ Act. 12, 25, secum assumpserat Paulus, postea vero deficientem noluerat recipere; in gratiam tandem rediisse, colligimus ex ep. ad Coloss. 4, 10.

Inst. 2. Paulus 1 Cor. 1, 12, et sibi et Apollini postponit PETRUM, dicens: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi*; ergo mirum non est, quod PETRUM Jacobo postponat. Item τὸ CEPHAS hic idem est,

ac PETRUS; ergo etiam in epist. ad Galat., ac proin non denotatur diversitas personæ.

R. *Ad* 1. Quod hic CEPHAS, qui est PETRUS, postponatur Apollini, natura exigit et ordo, cum primo loco ceu infirmo se ponat Paulus, exin Apollinem, posteo CEPHAM, h. e. PETRUM, ac denique Christum.

Ad 2. S. PETRUS nunquam fuit ab Evangelistis *solitarie* Cephas appellatus, præterquam a Joanne, c. 1, v. 43, sed addita cautela : *tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Paulus vel semper Petrum, vel constanter Cepham eumdem nominat, uti 1 Cor. 1, siquidem Corinthii usu haberent, Petrum compellare *voce chaldaica* vel *syriaca* κηφᾶς, qua Christus cum compellaverat, voce syriaca tunc necdum versa in *græcam* πέτρος; cum ergo ad Corinthios Petrum constanter Cepham ad Galatas vero diversis nominibus, ac in diversis quidem argumentis compellet, recte colligo, quod diversas personas in mente habeat, id quod inde roboratur : si enim CEPHAS non fuisset alius a PETRO, inepte dixisset Paulus, *cum vidisset Petrus,* quod mihi creditum esset Evangelium, sicut PETRO, cum dicere debuisset, sicut *sibi :* imo Paulus sibi ipsi contradixisset, supra cum diceret, se jam tertio post sui conversionem anno Jerosolymæ PETRO visum et cognitum fuisse; et nunc modo pro causa movente, cur dexteram daret, visionem et agnitionem PETRI afferat?

Inst. 3. In versionibus *orientalibus*, in antiquis etiam codicibus tam *græcis*, quam *latinis*, quin et in *codice Alexandrino* jam olim legebatur in ep. ad Galatas PETRUS, non CEPHAS, prout hodie etiam fere in omnibus græcis exemplaribus legitur; ergo.

R. Versiones orientales veteres nobis non obstant, quia Petrum nullum alia voce exprimunt, quam Syra vel Chaldæa voce κηφᾶς : *duplex* vero *Cephas* distingui debet, prout *latina vulgata* diversis nominibus duplicem personam indicat. *Codex Alexandrinus* est mutilatus, teste Millio in evolvendis antiquis codicibus versatissimo. Codices alii plerique pro voce Syra κηφᾶς substituerunt πέτρος vocem græcam suæ linguæ conformem, quia idem utraque significat : vocem autem sibi notiorem substituendo, et ubivis ponendo πέτρος, pro κηφᾶς, non meminerunt, voce duplici *Cephas* et *Petrus* denotari duplicem personam. Adjicitur tamen in plerisque codicibus græcis ibi, ubi legendum *Cephas,* obelus, seu nota ad marginem vel infra, v. g. ad Gal., c. 2, v. 11 et 14; non vero 1 ad Cor. 1, 12, per obelum notatur Petrus, ubi legitur Cephas.

Præterea scribæ et interpretes claritatis gratia initio posuerunt in margine vocem *Petrus,* et postmodum librarii græci absque cautela pro *Cephas* in ipsum textum intrusere vocem πέτρος; inde latini interpretes facile decepti sua exemplaria depravarunt. Cum ergo SS. Patres in suis codicibus vel semper *Cephas*, vel semper *Petrus* legerent, mirum non est, quod antiqui scriptores, et plures SS. PP. S. Petrum a Cepha non distinguerent.

65. *Obj. III.* SS. Patres fere omnes aperte et constanter docent, CEPHAM esse indistinctum a PETRO; ergo recentiorum sententia pugnat cum Traditione.

R. — *N. A.* Nam 1° CLEMENS ALEX. sanctitate et doctrina conspicuus non tantum negat, Cepham a Paulo reprehensum fuisse Petrum Apostolum sed

diserte affirmat, fuisse unum ex LXX Discipulis : Clemens Alex., ait Euseb., L. 4, c. 14 *in IV. Hypotiposeon Cephæ mentionem facit, de quo Paulus dixit : cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, et dicit cum unum esse ex LXX Discipulis cognominem Apostolo.* — 2° Irenæus, L. 3, c. 12, gesta SS. Apostolorum, præsertim Petri, Jacobi et Joannis enarrans dicit : *sic Apostoli, quos universi actus, et universæ doctrinæ Dominus testes fecit : ubique enim simul assistentes cum eo inveniuntur Petrus et Jacobus et Joannes : religiose agebant circa dispositionem Legis, quæ secundum Moysen;* ubi vox *religiose* factum Cephæ, de quo ibidem est sermo, nequit attingere, quia alias vel Paulus errasset, hoc factum utpote religiosum publice exprobrando Cephæ : vel Irenæus non intellexit per Cepham Petrum, dum hoc factum laudat, quod Paulus acriter reprehendit. — 3° Chrysostomus homil. 61 testatur, *non neminem putasse, hunc Cepham reprehensum non Apostolum, sed alium quemdam vilem, abjectum, et unum ex multis fuisse.* Similia refert D. Hier. h. l. de scriptore contra errores Porphyrii, qui fuit S. Methodius : non enim Clemens Alex., neque Eusebius, cum neuter ejusmodi verbis utatur, alius vero nullus scripserit contra Porphyrium. — 4° De Eusebio Pamphili refert Dupinius, L. 2, c. 13, *hic distinguit Cepham Antiochiæ reprehensum a Petro Apostolo : fuit autem hic Eusebius teste Caveo pag. 111 exhausta pene omni seculari litteratura impense doctus, antiquitatum Ecclesiasticarum studio summopere incubuit, quo fine Doctorum ante se monumenta diligenter conquisivit.* — 5° Dorotheus Tyrius in Synopsi, Auctor Chronici Alexandrini, et Œcumenius in Comment. ep. ad Gal.

Exinde sic arguo : in Seculo I. Pauli verba cum attentione lecta : Seculo II. Clementis et Irenæi testimonia partim ex Apostolorum discipulis, partim ex horum tyronibus hausta : Seculo III. doctrina S. Methodii, aut alterius Patris contra Porphyrium scribentis, satis confirmant nostram sententiam, et SS. Patrum de ea tunc temporis persuasionem : Seculo IV. moveri cœpit sententia contraria : quippe cum in codicibus suis occidentalibus tam græcis, quam latinis nullum Cepham, et in editionibus orientalibus nullum Petrum reperirent, nullo personarum distinctarum vestigio detecto incedebant bona fide, et qua demum ratione ac energia possent, tantum facinus in Petro Apostolo, quem corrupti codices inducebant, salva fide ac fama excusabant; probabilis tamen permansit in Seculo IV. nostra sententia, imo ne unus SS. Patrum hoc seculo, prout testatur Calmetus ipse, eam refutavit, aut contrariam rationibus evicisse legitur.

Inst. 1. Libri Hypotiposeon Clementis sunt dubii, imo deperditi, proin exiguæ auctoritatis : Irenæus non *Cephæ*, sed Petri nomen habet : Methodii illius non meminit Eusebius, etc.; ergo Patrum auctoritas parum suffragatur.

R. *Ad* 1. Ipse *Photius*, ac *Berti* etiam varios in libris Hypotiposeon errores fraude aliena et hæreticorum malitia adsutos esse judicant. *Calmetus* vero loquens de Petri itinere Simonis Magi causa Romam instituto, item distinguens Thaddæum *Apostolum* a Thaddæo *discipulo*, utitur testimonio librorum Hypotip., uti et in aliis locis; cur ergo hi sint deperditi, et sua careant fide et auctoritate, cum Cepham distinguunt a Petro?

Ad 2. Latinus interpres Irenæi ex depravatis latinis codicibus textui Irenæi inseruit nomen *Petri*, et nomen Cephæ ibidem repertum immutavit. Præ-

terea Petrum Irenæus ibidem defendit, uti et doctrinam Petri : sed quæ defensio, si turpem ejus lapsum adducit in medium? Paulum quoque defendit : at quæ defensio, si reprehensorem facti laudabilis et *religiosi* ostendit Paulum?

Ad 3. Quod Methodii non meminerit Eusebius, factum putant quidam critici ex eo, quod Eusebius non fuerit amicus Methodii, qui suum Origenem oppugnaverat, et fortiter quidem L. de *Resurr. cont. Origen.* Scripsisse autem Methodium contra Porphyrium, videre est in Fragm. apud Damasc. et Nicetam.

Inst. 2. Tertull. Cypr., Hier., Aug., Chrysost. et S. Gregorius aperte refragantur sententiæ recentiorum, ergo hæc non est verisimilis.

R. — *Tr. A. N. C.* Nam cum facta ejusmodi ad dogma non pertineant, falli poterant multi Patres, qui sicut et historiographi Petrum et non Cepham a Paulo reprehensum statuentes, mendum quoddam in suis codicibus habuerunt. Dixi : *Tr. A.*, nam

Tertullianus hoc de Cepha negotium ad S. Scripturæ bilancem non examinavit, sed vocabulo *Petri* comperto in suo codice, non solum *Petrum*, sed et *Jacobum* et *Joannem* ejusdem lapsus et damnationis reos fecit, nullo in ep. ad Gal. fundamento, ubi solus Cephas variasse convictum, et Pauli reprehensionem incurrisse deprehenditur.

Cyprianus ex Tertulliani scriptis eamdem hausit sententiam : illa enim continuo versavit, notario suo dicere solitus, *da Magistrum*. Atque hæc Tertulliani sententia illis temporibus placuit magis, ubi propter baptismum hæreticorum nimio zelo abreptus, a successore S. Petri Stephano Papa dissenserat Cyprianus. Attamen errorem hunc esse, tunc necdum agnoverat, quia in ipsis codicibus suis græcis, vel latinis etiam loco κηφᾶς legerat πέτρος.

S. Hieronymum testatur Tillemontius in præf. comment. ep. ad Gal. esse libere confessum, se *Origenis* commentarios esse secutum, neque definito animo ea defendisse quæ in græcis legerat, sed ea duntaxat expressisse quæ legerat, et lectoris arbitrio approbanda vel improbanda reliquisse.

Quod S. Augustinus ne unica quidem vice alterius Cephæ, quam Petri Apostoli mentionem faciat, inde est, ut Cl. Kerkerdere ait, quia ad manus Augustini nunquam pervenerant VV. Græcorum monumenta de Cepha, prout testis est ejus ad Hier. epistola his verbis : *haud plures de hoc argumento legi aut audivi Patres, quam Ambrosium et Cyprianum*, quorum neuter S. Petrum a Cepha distinxerat; cum ergo mendum quoque haberet in suis codicibus, nullo tangebatur dubio de duplici Cepha, in eam solum inquisitionem intentus, an vere, an simulate, malove animo Petrus Apostolus se a gentibus segregaverit.

SS. Chrysostomo et Gregorio tota epistola ad Galatas exhibebat indiscriminatim Petrum pro Cepha; proin error illorum erat in voce, et non in persona. Mirum itaque non est, controversiam istam antiquioribus non ita fuisse exploratam : nec novum ac insolitum, a multis etiam Patribus aut dubitari aut negari, cujus tamen veritas postmodum elucescit. Do exemplum : tempore S. Augustini quæstio; an nullo unquam casu, etiam ad servandam vitam, liceat mentiri, erat latebrosissima, et tam obscura, ut plerique SS. Patres pro casu servandæ vitæ mendacium esse licitum putarent, atque ipse

adeo Augustinus, quamvis contrarium pro certo haberet, aliis aliter sentire liberum reliquerit hisce verbis in ep. ad Hier. 19 : *In hoc magna quæstio est, sitne aliquando mentiri, viri boni, imo Christiani eligat, quod voluerit, qui hoc existimat, ubi mentiatur,* etc. Hodie vero post damnatas ab Innoc. XI, propositiones 26, 27, 28, nemo ambiget, pro vero ac certo habendum esse, quod contra multos Patres jam tum Augustinus sentiebat.

ARTICULUS VI.

DE LEGE EVANGELICA A CHRISTO PRO OMNIBUS INSTITUTA.

66. *Nota.* Lex Christi dicitur *Nova,* quia per gratiam renovat hominem, et novissimo tempore lata, est antiquæ legi mosaicæ a Christo substituta : dicitur, *Evangelica,* h. e. bonum nuntium de cœlesti beatitudine, remissione peccatorum, filiorum adoptione, mortuorum resurrectione et vita æterna. Luther. et Calvin. negarunt, novam a Christo legem conditam fuisse ; utpote qui veterem duntaxat abrogaverit, cum non obierit munus Legislatoris, sed Redemptoris : docentes insuper, jam nunc *solam fidem* esse necessariam ad salutem, qua fide liberemur ab omni lege. Hobesius autem in suo *Leviathan* dicit, Evangelium eatenus obtinere vim legis, quatenus a potestate civili assumitur in legem, de se consilium esse, non præceptum; contra hos

67. *Dico I.* **Christus non solum abrogavit legem veterem, sed et novam condidit vere præceptivam.**

Est de fide ex Concilio Trid., quod Sess. 6, can. 21 ita docet : *Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant, anathema sit.*

Prob. Christus in Scriptura dicitur *Legislator,* Is. 33 et Jacob 4, utique propter leges ab eo condendas et conditas : Christi Evangelium sæpe vocatur *Lex,* Is. 2, *de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem;* et Is. 41, *legem ejus insulæ exspectabunt.* Christus testatur multa a se imperata esse, quæ jubet a fidelibus in perpetuum observari; Joan. 15, *si præcepta mea servaveritis,* etc., et Matth. 28, *docentes eos, servare omnia, quæcumque mandavi vobis* : sed hæc omnia legem veram ac proprie dictam sonant, atque universorum Patrum consensu de veri nominis lege intelliguntur : ergo. *Conf.* Ecclesia instituta est instar *reipublicæ* spiritualis, cujus Princeps est Christus, et instar *corporis,* quod caput habet Christum, uti constat ex iis Scripturæ locis, quæ Ecclesiam appellant Regnum cœlorum, unum ovile, unum corpus : atqui ea respublica, ut sunt natura et mores hominum, consistere nequit sine legibus, et quidem a *credendi lege* distinctis, cum nulla hominum societas possit permanere, aut etiam coalescere sine legibus, per quas ordo inter varias ejus partes constituatur, et singula membra ad suum, et ad commune totius societatis bonum dirigantur, atque in officio contineri queant, id quod conferre non potest *sola lex credendi;* ergo si respublica Ecclesiæ non est imprudenter ac improvide constituta, quod vel cogitare impium est, veras habet leges.

68. *Dico II.* **Christus in nova lege præter præceptum fidei, alia etiam moralia et ceremonialia condidit pro omnibus hominibus.**

Est de fide ex Concilio Trid., quod Sess. 6, can. 19 ait : *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.*

Prob. 1ª *pars.* Quod lex nova contineat præcepta *moralia,* perspicuum est vel ex uno Matth. 5, 17, ubi Christus præcepta Decalogi, quæ sunt juris naturalis, confirmat : ex Marc. 11, 22, ubi præcipit fidem et in ea spem, quia *fides est sperandarum substantia rerum.* ad Hebr. 11, 1, ex Luc. 10, 27, Joan. 15, 12, ad Gal. 6, 2, ubi charitatem Dei et dilectionem proximi mandat : demum omnia officia proximo debita Matth. 7 et 19 exacte declarat et præcipit. Quod *ceremonialia* præcepta habeat, patet ex Joan. 3 de necessitate Baptismi aliquando imponenda : ejusdem suscipiendi sancitur mandatum, Matth. 28, et Marc. 16. Præceptum Eucharistiæ sumendæ continetur Joan. 6; sed hæc et similia, quæ sive ad Sacramenta, sive ad Sacrificium spectant, non pertinent ad jus naturæ, et cultus divini modum præscribunt; ergo positiva sunt ac ceremonialia. Quod ad leges *judiciales* attinet, unicam habemus, eamque valde generalem, Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus :* eaque idonea est efficaciter componendis circa fidem controversiis, et retinendo in Ecclesia universa ordini ac regimini.

Prob. 2ª *pars.* Matth. 28, 18 dicit Christus : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, euntes ergo docete omnes gentes :* Marc. 16,, 15 *euntes in universum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ,* ergo lex Evangelica obligat universos. *Conf.* Christus est *Redemptor* universalis, ergo et *Legislator* omnium, qui post Christi adventum per observantiam Evangelii salutem et redemptionem participare possunt. Demum Christi Ecclesia non est, ut fuit Synagoga, tantum particularis, sed *Catholica,* h. e. quoad personas, loca et tempora universalis ex institutione Christi.

69. *Obj. I.* Id quod Christus veteri legi substituit, dicitur *gratia :* sed Apostolus sæpe opponit gratiam legi; ergo lex nova non est vere ac proprie lex. Item vocatur *lex gratiæ;* ergo gratis et sine operum conditione confert vitam æternam : *lex libertatis,* perfecta autem libertas liberat ab omni onere legis, peccati et mortis : *lex spiritus vitæ,* sed ubi spiritus, ibi libertas : *si spiritu ducimini, non estis sub lege,* ad Gal. 5, 18; ergo lex nova non est vere præceptiva et obligatoria.

R. *Ad* 1. — *D. M.* Lex nova dicitur *gratia* ex potiore sui parte *C.* ex omni parte *N.* item *D. m.* Apostolus opponit gratiam legi, h. e. eam contradistinguit a lege *C.* h. e. per gratiam excludit legem proprie dictam *N.* Paulus gratiam et legem solum distinguit, et suas unicuique partes tribuit, legi partes imperandi, gratiæ juvandi : aut ubi excludit legem per gratiam, nomine legis intelligit tantum *mosaicam legem,* et gratiæ nomine *statum Evangelicum;* eumdem fere sensum habet illud Joan. 1, 17 : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est,* h. e. Moyses non dedit nisi legem, Christus cum lege impertit gratiam, qua impleatur lex.

Ad 2. — *D. A.* Lex nova dicitur *lex gratiæ* ex eo, quod minus proprie obliget, ac lex vetus *N.* ex eo, quod multo abundantius subministret auxilia

gratiæ, ac quidem vi ipsius legis novæ *C.* In lege veteri parcior erat mensura gratiæ, neque data vi status veteris, in quo nondum solutum erat pretium nostræ redemptionis; tanta vero gratiæ copia in solemni legis novæ promulgatione facta in die Pentecostes in discipulos affluebat, ut vi illius lex nova in cordibus hominum semper conservari potuisset, quamvis scripta non fuisset, ut testatur S. Iren. Attamen docet Apostolus ad Rom. 8, 13 : *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis,* ac proin cum sine gratia obtineri nequeat vita æterna, hæc quidem *gratis* confertur, non tamen sine nostra cooperatione cum gratia.

Ad 3. — *D. A.* Lex nova dicitur *lex libertatis* quia fideles liberat a jugo legis mosaicæ, et a reatu ac dominatu concupiscentiæ *C.* quia liberat ab omni onere præceptorum *N. Hinc qui perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit,* Jac. 1, 25.

Ad 4. — *D. A.* Si spiritu ducimini, non estis sub lege mosaica, quæ est lex timoris, innumeris gravata præceptis ac ceremoniis *C.* non estis sub lege Christi, quæ est lex amoris, vere tamen ac stabiliter obligans *N.* Apostolus adeo non negat, Christum dedisse vera Christianis præcepta, ut ea potius ubivis commendet. Præclare hanc in rem S. Aug. ait enarr. in Ps. 1 : *aliud est, esse in lege, aliud sub lege : qui est in lege, secundum legem agit,* ex instinctu Spiritus S., et affectu justitiæ servans legem : *qui est sub lege, secundum legem agitur,* ex solo timore pœnæ et vindictæ compulsus; *ille ergo liber, hic servus.*

Inst. 1. Quoties Evangelium dicitur *lex,* hæc appellatio temperatur voce aliqua, quæ indicet non esse legem veri nominis, e. g. lex *fidei,* lex *libertatis,* etc. Item Christus ad Gal. 3, 13 : *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum;* ergo liberavit nos et a culpa et a pœna, nullum deinceps fidelibus imputando peccatum, et ab operibus legis, ita ut, *qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sint,* ad Gal. 3, 10.

R. *Ad* 1. — *N. A.* Ea quippe addita non excludunt rationem legis *proprie* dictæ, sed ut significent status Evangelici excellentiam et prærogativas, præceptis a Christo traditis, quæ sunt velut corpus et materia, aliquid adjungunt, quo designetur ejus quasi anima, h. e. Spiritus S. *gratia,* quæ datur per *fidem.*

Ad 2. — *D. C.* Liberavit nos et a culpa et a pœna, merendo nobis gratiam, ut in pœnam et maledictionem transgressorum non incurramus, vel per veram pœnitentiam reatum culpæ et pœnæ deleamus *C.* non imputando peccatum, et salvando unice propter fidem *N.* Deus intentat gehennam peccatoribus propter peccata : undenam autem peccata, si *lex* non datur? Item qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, si absque fide et gratia legem servare, et sic justificari præsumant *C.* si id per fidem et gratiam præstare nitantur *N.* Apostolus ibidem duo declarat, circumcisionem et ceremonias legales non esse amplius *necessarias* ad salutem; et ex operibus legis *sine fide* nullam esse justitiam, quia alias Christus gratis mortuus esset.

Inst. 2. Christus Matth. 11, 30 legem novam vocat *jugum suave et onus leve* : sed præcepta Evangelica e. g. lex confessionis, prohibitio polygamiæ, matrimonii indissolubilitas, etc., essent valde difficilia, imo relate ad cere-

monialia veteris legis tam gravia, ut multos infideles a Christianismo absterreant : ergo lex evangelica non est præceptiva.

R. Lex nova multo *facilior* ac *suavior* est lege veteri : 1° quia hæc ob *præceptorum multitudinem,* Act. 15, vocatur *jugum importabile,* cum in lege nova abolita sint tot sacrificia, tot genera holocaustorum, item legalis ciborum immunditia, carnalis circumcisio, tot purificationes et ceremoniæ prope innumerabiles, ac illa etiam obligatio ascendendi Jerosolymam ad festa et sacrificia ; cum *lex nova* nonnisi paucissima præcepta legi naturali superaddat. 2° Quia lex Christi tota refertur ad *charitatem,* Deo abunde subministrante spiritum bonum petentibus, *in eo* autem *quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur,* ait S. Aug., L. de bono viduit, c. 21. Ad hæc *pœnitentia* iis tantum præcepta est, qui libere contra legem deliquerunt, et hæc sane quam est peccatoribus necessaria et optabilis, tam est illius forma imbecillitati humanæ accommodata. Porro inter præcepta veteris legis plura erant, quæ transgressores *morti* addicerent, cum inter præcepta evangelica vix tria sint aut quatuor aliquantum difficilia, quæ vero aliunde tantum pacis et solatii afferunt, ut pœna iis annexa censenda sit levissima. Demum lex moralis *Evangelica* non debet comparari cum sola ceremoniali *Mosaica,* sed cum ceremoniali simul et morali, atque sic multo facilior est.

Inst. 3. Si Christus condidit legem novam vere præceptivam ; ergo venit in mundum ad judicandum et regnandum, cum tamen dicatur Joan. 3 : *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum ;* et Joan. 8, 15 : *Ego non judico quemquam;* Joan. 18, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo ;* ergo.

R. Cum S. Aug. Christus in hisce textibus duntaxat docet, 1° quod in mundum venerit *potius* ad redimendum, quam ad perdendum mundum, quamvis tot scelerum reum, adeoque quod tunc fuerit tempus misericordiæ, non judicii ; quocum stat eos, qui Salvatorem neglexerint, ac Legislatori non paruerint, Judicem illum esse experturos : 2° quod non judicet quemquam sicut Pharisæi, perhibendo *falsa testimonia :* 3° quod regnum suum non fuerit *terrenum* ac *temporale;* simul autem docet, quod sit Rex et Judex universorum, habens regnum spirituale et æternum, Joan. 5, 22-12, 48 ; hinc nitide S. Aug. Tract. 115 in Joan., *non ait, regnum meum non est in hoc mundo, sed non est de hoc mundo.*

70. *Obj. II.* Lex nova appellatur *fides,* tanquam ab adæquato ejus objecto, ad Gal. 3 : *priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi :* Marc. 16, *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur ;* ergo ab Evangelio *præter fidem* nihil præcipitur.

Conf. SS. Patres passim docent, in lege nova non pervenire hominem ad gratiam *merito* operum præcedentium, sed *fide* credentem justificari sine operibus, adeoque solam fidem in Christum justificare.

R. — *N. C.* Nam fides ibi est ipse *Christus,* objectum fidei, aut *lex evangelica,* quæ ideo fides dicitur, quia propria illius est fides in Christum, quæ est fundamentum eorum, quæ imperat et promittit. Marc. 16, in ipso textu habes positivum de baptismo præceptum ; quod autem tantum dicatur : *qui non crediderit ;* quin addatur, *qui non baptizatus fuerit,* sensus est, qui non crediderit *viva fide* quæ per dilectionem operatur, uti dicitur ad Gal. 5 ; et

subintelliguntur conditiones ad salutem alibi requisitæ. Ad hæc Christus Matth. 25, 41, minatur etiam fidelibus ignem æternum, qui alia mandata sua non servant.

Ad Conf. R. SS. PATRES itidem loquuntur de *fide viva;* non ergo excludunt opera supernaturalia et salutaria in gratia et fide facta, sed opera legis mosaicæ mere naturalia et externa, fidemque præcedentia, quæ utique gratiam non merentur de condigno.

Inst. 1. Lex nova est ita *lex fidei,* ut cum exclusione legis justificet, ad Ephes. 2, 8 : *Gratia estis salvati per fidem, non ex operibus* : ad Rom. 4, 2 : *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum;* ergo sicut sola fides justificat, ita fides sola est præcepta. Ad hæc lex nova dicitur lex charitatis; ergo saltem præter fidem nihil imperat, nisi charitatem.

R. *Ad* 1. — *N. A. et C.* Lex nova est lex *fidei,* tum quia in se habet spiritum, et confert gratiam, cujus fundamentum et radix est fides, tum quia omnia novæ legis præcepta principaliter fundata sunt in fide; hinc explico APOSTOLUM : gratia estis salvati per fidem Christi, debitis conditionibus vestitam, et non ex operibus legis mosaicæ *C.* per fidem Christi nudam, et non ex operibus legis evangelicæ *N.* De Abrahamo Apostolus loquitur *conditionate,* eum non habiturum gloriam apud Deum, si tantum ex operibus naturalibus, quæ non proveniunt ex gratia fidei, justificatus esset, sicut illi qui suis viribus justitiam tribuebant.

Ad 2. — *D. C.* Nihil nisi charitatem, tanquam finem, quo lex referatur *C.* quasi charitas unicum sit præceptum, quod lex nova complectatur *N.* 1 ad Tim. 1, *finis præcepti est charitas* : ad Rom. 13, *plenitudo legis est dilectio* : scilicet mandatorum omnium observatio eo tendit, ut charitas in nobis figatur, augeatur, foveatur; et vicissim charitas præceptorum aliorum observationem exigit ac promovet.

Inst. 2. Lex evangelica legis naturalis præceptis *moralia* nulla superaddit : nullam quoque in naturalibus obligationem naturali obligationi superinducit; ergo nulla præcepta moralia ad evangelicam legem pertinent; imo dici potest, nulla esse in lege nova præcepta positiva etiam *ceremonialia,* quia positiva institutione Baptismi v. g. et Eucharistiæ, ad ea observanda nihil aliud nos obligat, quam naturale præceptum salutis quærendæ per media divinitus instituta; ergo.

R. *Ad* 1. Ut naturæ præcepta esse quoque *evangelica* censeantur, satis quidem est, ut naturæ lex homines sub evangelica lege positos obliget, et Evangelium jubeat naturæ legi satisfieri; attamen Christus in ea materia nihil vetuit, quod nondum esset naturæ lege vetitum, aut quod non esset connaturale prohiberi, posita aliqua institutione : sic v. g. post matrimonium in Sacramentum nova lege assumptum, connaturaliter illicitum est Christianis ad illud accedere in statu mortiferi peccati; nihil item Christus imperavit in eadem materia, quod ipsa naturæ lex non imperet vel *simpliciter* et *absolute,* vel ex *hypothesi* alicujus *novæ cognitionis* vel *conditionis,* v. g. posita revelatione mysteriorum quæ antea latebant, naturæ lex jubet, ut Deo ea revelanti credatur, et fides ad plures, quam prius, articulos extendatur. Nihilominus multa legis naturalis capita Christus perfectius explanavit, additque consilia ad legis illius observationem utilissima.

Ad 2. — *N. A.* Christus auctoritate sua legis naturalis præcepta confirmans, arctiore nos vinculo obstrinxit ad ea implenda; unde *fraternæ dilectionis* præceptum, antiquum sane et naturale, novum vocat et suum. Eadem de causa idem appellatur mandatum vetus et novum, 1 Joan. 2; proin Christiani in violandis illis præceptis ob interpositam tantam auctoritatem delinquunt gravius.

Ad 3. — *N. A.* Non satis fuit institui ritus illos, ut incumberet necessitas eos frequentandi, prout patet exemplo baptismi ante Christi mortem instituti; oportebat præterea voluntate Christi præceptum injungi, quo fierent ad salutem necessarii, aut imponeretur obligatio illis utendi.

Inst. 3. Non est potior ratio, cur Christus dicatur condidisse præcepta moralia et ceremonialia, quam *judicialia;* ergo sicut hæc nulla de novo condidit, ita nec illa.

R. — *N. A.* Christus uti *principibus secularibus* liberum esse voluit, ea statuere, quæ ad publicam tranquillitatem videbuntur aptiora, salva fide et salvis bonis moribus : sic neque pro *Ecclesia* tales leges per semetipsum tulit, curam hanc et potestatem committens Apostolis eorumque successoribus, ac præprimis supremo Ecclesiæ capiti juxta illud Matth. 16, 19 : *quodcumque ligaveris...* et Joan. 21, 17 : *pasce oves meas;* videlicet Christus tantum statuere voluit perpetuo futura ac immutabilia; cum ergo leges *judiciales* pro temporum et occasionum varietate sæpius mutare expediat, non expediebat ferri a Christo leges, quæ mutarentur. Satis tamen provisum Ecclesiæ per illam legem generalem : *qui Ecclesiam non audierit,* etc. vide num. 68.

71. *Obj. III.* Si Christus novam legem instituit *pro omnibus;* ergo infideles etiam sicut tenentur, ita compelli poterunt ad Evangelium : sed hæc potestas ostendi nequit a Christo data Ecclesiæ; ergo.

R. — *D. M.* Compelli poterunt ad non resistendum prædicationi Evangelii *C.* ad audiendam Evangelii prædicationem, *subd.* infideles subjecti principibus Christianis *C.* his non subjecti *N.* Principes Christiani ceu advocati Ecclesiæ possunt prædicationem Evangelii contra infideles eam impedire volentes defendere, et contra eos, si resistant, armis et bello agere, nec non ex ipso jure belli eos subjugare. Probabilius tamen non possunt cogi infideles ad audiendam prædicationem Evangelii, cum hic sit actus *jurisdictionis.* Quamvis autem ad id cogi possint infideles subjecti Principibus Christianis (sicut judæi Romæ sub mulcta compelluntur ad concionem, seu instructionem catholicam) cum hic actus auditionis subsit *externæ jurisdictioni;* non tamen ad amplectendam fidem, quia fides *interna* libera esse debet.

Inst. Auditio mere *materialis* non assequitur veritates fidei : *formalis* ordinata ad assensum internum est res gratiæ et arbitrii; ergo ad neutram possunt compelli.

R. Compelluntur ad auditionem præcise, quæ sit dispositio ad assensum libere obtinendum cooperante gratia; idipsum autem solvi debet de prædicatione pœnitentiæ ad fideles. Attamen Princeps ethnicus suos cogere non potest ad audiendam prædicationem *gentilismi,* non quidem ob defectum potestatis, sed materiæ.

72. *Observa.* Lex nova, quoad gratiam et charitatem diffusam in cordibus nostris, tradita non est : quoad externas bene operandi leges, quodammodo *per accidens* est tradita, non *per se* uti lex vetus, quæ prius scribi debuit quam dari : cum lex Christi ante sit data quam scripta, tum vivæ vocis oraculo, tum in die Pentecostes, post aliquot a Christi morte annos primum scripta, quatenus ad fidelium preces vita Christi consignanda litteris, et contra CERINTHI ac EBIONIS hæreses agendum fuit. Porro differt a lege veteri non tam quoad *substantiam*, cum utraque habeat *auctorem* eumdem, Deum, *finem proximum* eumdem, qui est cultus Dei et puritas cordis, item *remotum*, qui est vita æterna, eadem *præcepta primaria*, scilicet fidei per charitatem operantis, quæ est plenitudo legis; quam quoad *accidentia*, videlicet lex vetus a Moyse, lex nova a Christo fuit promulgata, lex nova præcellit revelatione mysteriorum, perfectione consiliorum, doctrinæ moralis exactitudine : est diversa in præceptis circa Sacramenta et Sacrificia, totum orbem, non solos judæos obligans, lex amoris, non timoris, facilius implens præcepta, ex se justificans, quia ex *opere operato* Sacramenta gratiam conferunt sanctificantem, et Sacrificia gratias actuales, ob merita Christi jam exhibita, et pretium pro redemptione nostra persolutum : denique lex nova finis est ac perfectio veteris legis. Notare hic juvat QUESNELLII propositiones 6, 8, 63, 65.

ARTICULUS VII.

DE LEGE EVANGELICA POST SUFFICIENTEM SUI PROMULGATIONEM UNIVERSOS OBLIGANTE.

73. *Nota.* Certum est, Baptismum, Eucharistiam, Sacerdotium, Sacrificium ante mortem Christi *instituta*, et post resurrectionem ante Ascensionem Christi Sacramentum Pœnitentiæ, Ordinem Episcopalem, Ecclesiæ regimen, cæteraque *consummata* esse. Verior etiam sententia est, Sacramenta statim post sui institutionem fuisse *utilia* et contulisse gratiam, uti de Baptismo testatur S. AUG. ep. 108 collato Apostolis jam ante mortem Christi : cum verisimile non sit, Christum Apostolis non baptizatis dedisse Eucharistiæ atque Ordinis Sacramenta. Itaque de sola *obligatione* quæstio est, quandonam facta fuerit *universalis*.

74. *Dico.* **Lex evangelica primum cœpit obligare die Pentecostes, non quidem omnes statim, sed successive, ita tamen, ut ante mortem Apostolorum orbem universum cœperit obligare per modum legis.**

Prob. 1ª *pars.* Omnis lex, ut tanquam regula publica obliget in actu secundo debet solemniter ac sufficienter promulgari : sed hoc contigit die Pentecostes, quo Act. 2 Apostoli repleti Spiritu S. congregatis ex omni natione, quæ sub cœlo est, populis in Metropoli judæorum prædicarunt fidem in Christum, necessitatem baptismi et pœnitentiæ; ergo.

Min. patet : non enim promulgata est *ante mortem Christi*, quia Testamentum novæ legis in mortuis confirmandum erat, quamvis fides in Christum ceu Mediatorem semper necessaria jam tum obligaverit : non ipso *passionis tempore*, quo dispersæ erant oves pastore percusso, nequicquam cogitantes

de promulganda lege : non tempore intermedio *passionem* inter et *resurrectionem*, quin et *Pentecosten*, quia Christus ascendens in altum præcepit Apostolis, ut solitarii sederent, quoad usque induerentur virtute ex alto, nec statim post Ascensionem, sed primum die Pentecostes facta est promulgatio Baptismi ad salutem necessarii; hinc verba illa, *nisi quis renatus fuerit*... Joan. 3 item illa : *ite, docete omnes gentes, baptizantes eos*, quamvis diu ante Pentecosten prolata, non induxere actualem obligationem Baptismi suscipiendi, nisi pro tempore, quo præceptum Baptismi erat imponendum; uti nec illa verba : *nisi manducaveritis carnem filii hominis*... quæ solum significant, Eucharistiam aliquando necessariam fore.

Conf. Christus noluit suam legem prius obligare, quam *formata* esset *Ecclesia*, pro qua illam ferebat : sed hæc formata non fuit ante tempus proximum Ascensioni, quia Joan. 20, primum instituit Sacramentum Pœnitentiæ, Joan. 21. Petrum constituit summum Pontificem juxta promissionem Matth. 16, factam; ergo. Ad hæc lex positiva ostendi nulla potest, quæ ante hoc tempus obligaverit.

Prob. 2ª *pars.* Lex nova non potuit obligare omnes, nisi post sufficientem apud omnes promulgationem : atqui non statim omnibus fuit sufficienter promulgata, imo non potuit ubivis terrarum sufficienter promulgari, nisi *successive*; ergo primum cœpit promulgari *judæis*, ut testatur S. Petrus Act. 3, 15, et S. Paulus, Act. 13, 46; dein post annos aliquot *gentibus* etiam, prout constat de Cornelio baptizato, Act. 11, 18; ac demum *omni creaturæ* in multis et variis partibus orbis terrarum, partim per Apostolos, partim per Discipulos, *ubique Deo cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis*, Marc. 16, 20 ita, ut Christi et promulgati Evangelii notitia ad omnes universim ante mortem Apostolorum potuerit humano modo pervenire, licet per malitiam aut negligentiam hominum non pervenerit ad omnes.

Hunc vero ordinem in promulgatione Evangelii servarunt Apostoli, quem Christus præceperat Act. 1, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.*

75. *Obj. I.* Lex fidei in Christum, tanquam Messiam, judæos obligavit jamdum ante mortem Christi, dicente Christo : *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, Joan. 15, 24; ergo alia quoque præcepta moralia. *Conf.* Præceptum Christi in ultima cœna, *hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22, 19, statim obligavit Apostolos; ergo etiam alia præcepta alios.

R. — *D. A.* Lex fidei *naturalis* jamdum obligavit judæos, quibus scilicet per signa credibilitatis sufficienter propositum fuit Christum esse Messiam *C.* obligavit lex *positiva* fidei *N.* necdum enim ante mortem Christi Ecclesia nova fundata, necdum Testamentum novum erat confirmatum : et quamvis Christus ante passionem suam multa instituerit Sacramenta, mysteria revelaverit, dederit præcepta morum; hæc tamen nonnisi privatim docuit, et respective coram paucis, adeoque necdum lex nova tanquam regula publica et præceptum communitatis obligabat, id quod solemnem ac publicam promulgationem requirit. Illa vero lex *naturalis* fidei ex ipsa natura rei inducit obligationem credendi Christum esse Messiam, quandocumque per signa et

prodigia id satis innotuerit; quin et obligationem obediendi, si quid vel publica vel privata lege sanciret.

Ad Conf. R. Præceptum illud Luc. 22 datum Apostolis erat duntaxat *privatum,* non statim, sed post Christi mortem et *suo tempore* exercendum.

Inst. 1. Promulgatio publica requiritur ex sola hominum institutione ad legem humanam, non vero ad divinam; hinc in illa verba Joan. 3, 5 : *nisi quis renatus...* notat Aug., L. 1 de orig. anim., c. 9 : *ex quo illud a Christo dictum est, nemo fit membrum Christi sine baptismo aquæ vel sanguinis;* ergo.

R. — *D. A.* Promulgatio publica non requiritur ad legem divinam ex parte ipsius Dei, cum nemo modum ferendi leges Deo præscribere possit *C.* Non requiritur ex parte ac conditione hominum, ut leges pro communitate latæ publice innotescant *N.* Hinc Deus jussit legem suam tum veterem tum novam publice promulgari. S. Aug. solum intendit, sine baptismo nullum esse Christianum aut membrum Ecclesiæ Christi : hæc vero ante mortem Christi non erat fundata.

Inst. 2. Saltem in die Pentecostes simul *omni creaturæ* prædicatum fuit Evangelium; ergo hoc statim die omnes obligavit. *Prob. A.* Hoc die cum Petrus prædicaret Christum, aderant ex toto orbe Judæi et proselyti; ergo.

R. — *N. C.* Quia Judæi qui aderant non omnes crediderunt, nec statim ad suas regiones redierunt, reduces autem non statim potuerunt sufficientem fidem facere; gentiles vero primum cœperunt obligari post revelationem Petro factam de conferendo illis baptismo, Act. 10; quamvis enim multi gentiles vel habitantes vel peregrinantes inter Judæos doctrinam Apostolorum audiverint, et signa viderint, propterea non statim ad suscipiendum baptismum adstringebantur lege evangelica, ad quem tunc nequidem admittebantur; at *lege naturali* tenebantur credere ac colere Deum verum, vel Christum etiam, et ad salutem sperandam per ipsum.

Inst. 3. Ante revelationem Petro factam discipuli jam dispersi prædicabant Evangelium *Samaritanis,* Act. 8; et Paulus, Act. 11 in primo statim ingressu Jerosolymæ egit cum *gentibus* et *græcis;* Philippus autem baptizavit *Eunuchum Reginæ Candacis* prius, quam Petrus Cornelium; ergo.

R. Samaritani fuere Judæi, sed in doctrina et moribus errantes. Paulus non prædicavit, sed tantum locutus est gentibus, et disputavit cum græcis; si tamen vere gentiles erant, et non Judæi potius aut *proselyti,* qui ex gentium provinciis venerant Jerosolymam : et talis probabilius erat *Eunuchus* ille, quod ex insigni ejus pietate, reverentia et affectione ad S. Scripturam colligit S. Chrysost. Denique Act. 11, manifeste dicit Scriptura, quod discipuli, qui ob persecutionem usque Phœnicen et Cyprum pervenerant, *nemini locuti sint verbum, nisi solis judæis.*

Inst. 4. Lex evangelica Jerosolymæ in Metropoli totius Judææ promulgata statim orbem universum obligavit, sicut lex Principis in sua Metropoli, aut lex ecclesiastica Romæ promulgata obligat omnes; ergo non debuit *successive* promulgari.

R. — *Tr. A. N. C.* Christus Marc. ult. præcepit Apostolis prædicare Evangelium *omni creaturæ in universo mundo,* facta insuper potestate miraculorum, quibus confirmarent Evangelii prædicationem. Ad hæc neque lex civilis, neque ecclesiastica obligat subditos, si non potuerit moraliter certo

innotescere, licet in *Metropoli* promulgata. Verum Evangelii promulgatio ut sufficienter innotesceret, satis non erat, eam in die Pentecostes factam esse Jerosolymis; sed *successive* facienda erat in multis aliis mundi partibus, simulque per signa et prodigia confirmandum, quod revera hæc promulgatio divina auctoritate fiat.

76. *Obj. II.* Non est credibile, solos Apostolos tam brevi tempore promulgasse Evangelium *in universo mundo;* ergo ante mortem Apostolorum necdum omnibus successive facta fuit promulgatio. *Conf.* Orig., Aug., Bern. docent, ne sua quidem ætate prædicatum fuisse Evangelium *in toto orbe;* ergo.

R. — *N. A.* Id factum esse ex peculiari providentia Dei per Apostolos eorumque Discipulos, saltem moraliter quoad famam et evulgationem notitiæ de Christo, colligimus inde, quia in mundum universum ire jussi prædicaverunt ubique, et quia *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*, ad Rom. 10; et quia Christus ipse dixit Apostolis, Act. 1 : *eritis mihi testes in Jerusalem... et usque ad ultimum terræ*, id quod impletum esse docent SS. PP., Hier. in c. 24, Matth. Chrysost., hom. 76 in Matth. D. Thomas, etc.; hinc

Ad Conf. R. Explicandi sunt SS. PP. quod Evangelium ab Apostolis prædicatum non sit in quavis particulari provincia, sed in orbe solum *moraliter* universo : vel non ita *universim*, ut per ignorantiam invincibilem excusari nemo potuerit : vel non *cum effectu*, sive omnium gentium ad Christi fidem conversione, prout exponit D. Thom. hic q. 106, a. 4, ad 4; secus prædicti PP. cum reverentia deserendi forent.

Inst. Hodie adhuc sunt plures *ethnici*, qui nihil de Evangelio audierunt; vel si prædicatum jam nunc est Evangelium in universo orbe; ergo advenit consummatio et finis mundi, juxta illud Matth. 24, 14, *et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.*

R. — *Ad 1.* Notitia Evangelii vel olim ad illas gentes pervenerat, et successu temporis ejus memoria iterum deleta est : vel si ad illas non pervenit, id earum negligentiæ et peccatis tribui debet; si vero inculpabili ignorantia laborant, obligantur lege evangelica saltem in *actu primo*, quia lex jam per sufficientem promulgationem in suo statu completa, ad omnes moraliter potuit pervenire, ut proinde ignorantia tantum *per accidens* se habeat, et lex evangelica *per se* obliget universos.

Ad 2. Textus Matth. 24, solum probat, non fore legem aliam legi evangelicæ semper duraturæ posthac surrogandam, nec prius venturum esse finem mundi, quam facta sit prædicatio Evangelii in universo orbe; non item quod, ut primum annuntiatum fuerit Evangelium Christi omnibus gentibus, confestim sequatur *consummatio seculi.*

ARTICULUS VIII.

DE LEGE EVANGELICA INDISPENSABILI AC PERPETUO DURATURA.

77. *Nota I.* Indubium est, quod Deus *dispensare* valeat in lege evangelica, quam libere tulit; sicut ergo mosaicam abrogavit, ita et evangelicam mutare potest, contentus sola lege naturæ : hæc tamen *dispensatio* aut *immutatio* nunquam est credenda aut asserenda, nisi per Ecclesiæ auctoritatem vel aliam revelationem certam de illa constet. Certum quoque est, Reges ac Principes, Episcopos et Prælatos summo Pontifice inferiores *dispensare* non posse in jure divino, quia illis non est concessa alia potestas, quam temporalis sufficiens ad gubernationem politicam, Episcopis vero potestas ita *dispensandi* non est necessaria, ob usum illius rarissimum, ac præterea velut causa gravissima Sedi Apostolicæ reservata est. De solo igitur Romano Pontifice procedit quæstio; sunt vero, qui indistincte affirmant, eum posse *dispensare* in omnibus, quæ sunt juris divini, præterquam in articulis fidei : alii id restringunt ad casum, quo majus Dei obsequium videtur exigere *dispensationem;* verum hi non satis se discernunt ab opinione priore, cum utique Papa nunquam *dispensaret* sine gravi causa : demum communissima TT. sententia simpliciter denegat Papæ hanc potestatem.

II. Legem evangelicam circa annum 173 finitam esse, blasphemus docuit Montanus; Manes sensit cum blasphemo : postea Mahumes asseruit Evangelium cessasse adveniente *Alcorano,* sicut cessavit lex mosaica adveniente Evangelio, contra quæ putida mendacia hic agendum.

78. *Dico I.* **In lege evangelica ne Papa quidem dispensare potest.**

Prob. Inferior nequit *dispensare* in lege superioris, nisi ab eo specialem acceperit potestatem : sed hanc Papa a Christo non accepit, tum quia de ea non constat, tum quia nullus unquam Pontifex agnovit hanc sibi potestatem competere, dispensandi e. g. in formis, materiis et ministro sacramentorum; ergo.

Conf. 1°. Lex evangelica non alia continet præcepta positiva, quam de sacramentis, sacrificiis, auctoritate Ecclesiæ, et aliis vel secundum se, vel ex institutione Christi necessariis; ergo si hæc fidei et religionis fundamenta variari possent, decursu temporis vix agnosceretur unitas Ecclesiæ; adeoque hæc potestas immutandi et dispensandi non esset in ædificationem, sed in destructionem.

Conf. 2°. Non potest esse gravior causa dispensandi, quam spirituale bonum vel damnum animæ, et salus reipublicæ : sed neque in his dispensatio locum habet; ergo. *Min. patet,* quia alias ob defectum aquæ aut sacerdotis liceret baptizare sine aqua, aut absolvi a laico, ne infans sine baptismo, aut adultus moriens sine absolutione a peccatis decederet; imo liceret violare sigillum ad servandam rempublicam : quæ sane omnia repugnant perpetuæ praxi Ecclesiæ, cui magis expedit firmitas horum præceptorum divinorum, quam quælibet alia ratio, quæ pro dispensatione excogitari potest; Atque hinc *Adverte,* quam intolerabilis laxitatis sit damnata Quesnelli propositio 71 : *Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus*

propter ipsius utilitatem condidit : si enim divinas leges ne ipsi quidem Ecclesiæ concessum est relaxare; si humanas leges privatus nemo, sed solus superior relaxare potest, uti cum S. BERN. et D. THOM. TT. ad unum omnes docent : quomodo cuique privato liceat secum dispensare in lege divina, præsertim cum illa *Quesnelliana propositio* nullam legem distinguat, ut adeo LUTHERI errorem hac in re superaverit?

79. *Obj.* Christus hisce verbis Matth. 16 : *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis,* etc.; generalem Petro ejusque successoribus dedit potestatem; ergo et potestatem dispensandi in lege divina.

R. — *D. A.* Dedit generalem potestatem plane illimitatam *N.* alias etiam poterit PAPA tollere sacrificium a Christo institutum, mutare substantiam sacramentorum, etc.; quod pugnat cum Apost. 2 Cor. 10, 8, et cum Concilio Trid., Sess. 11, c. 2 : Dedit generalem potestatem, sed limitatam ad sensum et praxin Ecclesiæ *C.* Summi Pontifices, quorum est declarare, quantam iis verbis potestatem Christus Petro dederit, nunquam in se illam *dispensandi* potestatem agnovere, alias certe ea usi, sicut utuntur aliis facultatibus sibi concessis. Illa igitur verborum generalitas ut sit conformis traditioni, rationi consentanea, et ne repugnet stabilitati ac unitati legis Christi, restringenda est, prout verba illa semper intellexit Ecclesia cum exceptione rei tam gravis et extraordinariæ.

Inst. 1. Ex verbis Christi Matth. 16 citatis asseritur Papæ potestas dispensandi circa vota et juramenta, circa matrimonium ratum et spirituale vinculum inter Episcopum et Ecclesiam, quod INNOC. III, c. *Inter corporalia, de transl. Episc.* sentit esse juris divini; ergo Papa dispensare potest in jure divino.

R. — *N. C.* Papa dispensans in *votis* et *juramentis* non dispensat in jure naturali, aut divino, ut supra dictum, sicut nec promissarius, qui promissioni juratæ renuntiat : sed Papa pro concessa sibi a Deo potestate in *voluntates* et *actus fidelium*, hos annullat, et sic per se cessat obligatio *voti* ac *juramenti*. Idem dicendum de translatione Episcopi, ubi pariter supponitur vinculum *humana voluntate* contractum, eaque ex parte dissolvi potest per voluntatem superioris potestate divinitus concessa, uti et vinculum matrimonii rati, quod quidem negant esse juris divini. Sed in jure divino *absoluto*, et a voluntate hominis independente, ut sunt materiæ et formæ sacramentorum ac sacrificii, item præcepta fidei, spei et charitatis, nullo modo obtinet *dispensatio*, uti nec in matrimonio consummato, quod majorem jam firmitatem habet ex jure divino, quam alii contractus humani : cum de voto etiam solemni constet ex Bulla, *Ascendente Domino*, quod a jure tantum ecclesiastico firmitatem habeat.

Inst. 2. Quamvis minister *Confirmationis* ex institutione Christi debeat esse Episcopus, aliquando tamen ex dispensatione Sedis Apostolicæ is fuit simplex sacerdos; item tametsi jure divino *Eucharistia* confici nequeat, nisi in utraque specie, tamen ob necessitatem in defectu vim dispensavit interdum Pontifex, ut docent S. ANTONIN., TURRECR., et alii apud SUAREZ, præsertim de INNOC. VIII, quod NORWEGIS ob vini penuriam concesserit in altera tantum specie consecrare; ergo.

R. *Ad* 1. Episcopus de jure divino est minister *ordinarius*, non absolute ita, ut nunquam gravibus de causis simplici presbytero hoc ministerium

committi a Papa queat : id quod constat ex Traditione et Conciliis, quæ dicunt Episcopum esse ministrum, non absolute, sed *ordinarium;* nulla ergo legis divinæ relaxatio fit, sed est *exceptio* ab ipsomet Christo apposita, tantum indigens speciali Papæ concessione, quam EUGEN. IV in Decr. ad Armen. improprie vocat dispensationem.

Ad 2. Negant SUAREZ, VASQUEZ et alii plures, summum Pontificem unquam dispensasse, cum de tali facto non constet authentice; imo probabilius censent, id ne posse quidem, quia per consecrationem in una tantum specie non satis aperte significaretur separatio sanguinis a corpore, ideoque nec mors Christi. Dein si in hoc dispensari queat, cur non in materia et forma aliorum sacramentorum? Demum *transmissa probabilitate* hujus sententiæ, Papa pro eo casu non tam dispensaret in jure divino, quam declararet per modum interpretationis doctrinalis præceptum naturale dictans, sacrificium, si Deo offertur, integrum ac perfectum offerendum esse, ad illum casum se non extendere : cum videri possit Deo acceptius, et hominibus esse utilius sic offerre, quam nullo modo offerre. Verum cum res hæc sit gravissima, admodum dubia, et contra universalem Ecclesiæ praxin, id sine decreto Pontificis neutiquam permittendum est; ita SUAREZ hic.

Inst. 3. In legem divinam cadit *interpretatio,* et frequens esse casus potest, quo alicujus præcepti divini observatio magis obsit, quam prosit; ergo et *dispensatio.*

R. — *D. A.* Interpretatio per *epikeiam,* quæ sit emendatio legis *N.* interpretatio solum *doctrinalis* de obligatione, verbis et vario sensu legis *C.* hæc in præceptis etiam naturalibus affirmativis reperitur. Sunt vero præcepta positiva legis gratiæ paucissima, et per se ac directe affirmativa, non negativa; proinde ad occurrendum casibus emergentibus sufficit interpretatio doctrinalis, quæ in Ecclesia pertinet ad clavem scientiæ, et legi haud nocet neque illam relaxat. Sicut ergo nec *epikeia,* nec *dispensatio* locum habet in jure naturali, ita nec in divino, quoad præcepta ex natura rei inclusa in institutione, v. g. accedendi ad Sacramenta cum debita dispositione, ut sancta sancte tractentur, quia hujusmodi præcepta, supposita institutione, sunt juris naturalis. Idem est de institutione reipublicæ ecclesiasticæ quoad congregationem universalem, ingressum ad illam per fidem explicitam Trinitatis in baptismo, unionem sub uno capite, Christi in terris Vicario, item quoad Hierarchiam spectata tum ordinis, tum jurisdictionis spiritualis potestate, in quantum spectat ad jus divinum.

Inst. 4. Multa præcepta, quamvis contenta in SS. Bibliis, hodiedum abolevit Ecclesia : sic cessat prohibitio de *esu suffocati,* præceptum de *velatione mulierum* in templo, cessat *communio bonorum* inter fideles non religiosos, ac demum ritus *eligendi Prælatos* longe alius est, quam fuit olim v. g. in electione S. Matthiæ; ergo Ecclesia potest immutare jus divinum.

R. — *N. C. vel. D. A.* Multa præcepta Christi in Evangeliis contenta *N.* præcepta Apostolorum in eorum epistolis et Actibus Apostolorum contenta *C.* Quamvis enim hæc quoque afflante Spiritu S. scripta sint, idcirco non sunt divina præcepta : sicut non omnia hominum facta, quæ in SS. Bibliis recensentur, propterea approbantur. Equidem potestas legislativa Apostolorum *origine* est divina, illorum tamen præcepta sunt humana, et mutatis rerum ac temporum circumstantiis mutabilia.

Inst. 5. Summi Pontifices sæpe dispensarunt circa legem vere divinam, v. g. concedendo, ut *defuncti fratris uxorem frater ducat*; ergo. *A.* patet ex eo, quod JULIUS II, HENRICO VIII Angliæ Regi idipsum concesserit, et CLEMENS VII postea declaraverit hanc dispensationem validam fuisse.

R. — *D. A.* Et tale matrimonium prohibebatur lege divina veteri *C.* divina lege nova *N.* Equidem vetatur Levit. 18..., sed non omnia, quæ illic prohibentur, pertinent ad jus naturæ, cum præceptis *moralibus* quædam ibi sunt intermixta *judicialia*; et c. 20, ubi pœnæ statuuntur illis, qui conjugium inter prohibitos gradus contraxerint, pœnæ diversitas indicat quædam impedimenta illic recenseri necessitatis longe gravioris, quam alia : iis v. g., qui conjugium in primo consanguinitatis gradu inierint, *mors* decernitur; de illis autem, de quibus est objectio, dicitur tantum, *absque liberis erunt*, h. e. liberi ipsis non adscribentur; hinc ait Trid., Sess. 24, can. 3 : *Si quis dixerit, Ecclesiam non posse in nonnullis illorum* (graduum consanguinitatis et affinitatis, qui in Levitico exprimuntur) *dispensare, anathema sit.*

Inst. 6. Antiquæ legis sacerdotibus licebat legem divinitus datam *interpretari* : sic 1 Reg. 21. Sacerdos Abimelech Davidi dedit *panem propositionis*, quos comedere licebat nemini, nisi sacerdotibus, et 1 Mach. 2. Judæi interpretati sunt, se ingruentibus hostibus non teneri lege quiescendi *in sabbato*; Christus autem Matth. 12, excusat factum Apostolorum die sabbati *spicas vellentium* et fricantium; ergo novæ etiam legis Pontifici eadem potestas competit.

R. — *N. A.* Illic non fuit interpretatio per *epikeiam*, qua lex quodammodo emendatur, et redigitur ad casus pauciores, quam quos spectavit legislatoris intentio; fuit ergo *interpretatio minus proprie dicta*, qua ostenditur lege, quamvis paucis generalibus verbis expressa, ne multitudine vocum et exceptionum fiat molestæ prolixitatis, lege, inquam, non comprehendi certos casus, eosque esse præter intentionem legislatoris. Apostoli spicas vellicarunt, permittente Christo, præterquam quod necessitas, in qua tunc versabantur, legis rigori non subjaceret.

Inst. 7. Interpretatio, seu declaratio ejusmodi non indigeret *Ecclesiæ auctoritate*; ergo cum in quibusdam casibus interpretatio ab Ecclesia petitur, fit per epikeiam.

R. — *D. A.* Non indiget Ecclesiæ auctoritate, cum exceptio ab una lege evidens est sive per legem alteram, sive per necessitatem, cujus casum lex excipit *C.* quando dubia est ea exceptio *N.* Verbi divini interpres est Ecclesia; ab hac ergo quærendum est, quousque extendatur divinarum legum sensus et obligatio, cum res *dubia* est : in *manifestis* autem, inquit D. THOM. 2, 2, q. 120, a. 1, non est opus interpretatione, sed *executione*.

80. *Dico II.* **Lex evangelica durabit usque ad finem mundi.**

Prob. Præcepta *moralia* legis evangelicæ sunt simul juris naturæ; ergo nunquam abrogari possunt : de *ceremonialibus* dicit Apost. ad Hebr. 7 : *Christus sempiternum habet sacerdotium*, proin etiam sacrificium et sacramenta; hinc 1 Cor. 11, 26, dicitur *mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, scilicet ad judicium, in quo, ut ait S. THOM., datur intelligi, quod hic ritus Ecclesiæ non cessabit usque in finem mundi. Demum Christus ait Matth. 28, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, ex quibus

verbis veritatem hanc deducit S. Aug., ep. 199 ad Hesych.; similia vide Luc. 1, 33; Dan. 7, 14; Ps. 109, 4, etc.

Conf. Sicut lex vetus figurabat Christum venturum ut *redemptorem;* et auctorem novæ legis, hujus ipsa præparatio : ita lex nova prædicit ac promittit Christum venturum in gloria ceu *judicem* ac *remuneratorem* : atque ad hunc Christi adventum lex nova per fidem, spem et charitatem disponit. Ad hæc nulla legi evangelicæ potest succedere *lex præstantior,* quæ jamdum in hac vita hominem Deo conjungit, ipsum Dei filium offert in sacrificium, et totidem fœcundissimos salutis fontes habet, quot sacramenta.

81. *Obj.* Lex Mosaica est abrogata, quamvis diceretur *in æternum* permansura : quæ de regno et sacerdotio Christi *perpetuo* testatur Scriptura, exponi possunt de regno et sacerdotio *in cœlis;* Lex etiam evangelica est imperfecta, quia 1 Cor. 13 dicitur : *ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit, quod perfectum est,* etc., quin et Apostolos nonnullæ veritates latuerunt, cum iis dictum sit : *vestrum non est nosse tempora vel momenta,* etc.; ergo si lex mosaica non duravit perpetuo, nec evangelica ad finem mundi perseverabit.

R. — *Ad* 1. Lex mosaica erat *imperfecta,* a lege Christi perficienda, hac vero nova lege Christi nulla dari potest lex perfectior : deinde promittebatur in lege veteri Doctor ac Legislator alter, cui auscultare ac parere lex jubebat, Deut. 18. In nova lege illis, qui post Christum venturi sunt, a Christo diversa prædicantes, tanquam a pseudo-prophetis in antecessum detrahitur fides, Matth. 24, et dicitur anathema, ad Gal. 1.

Ad 2. Quæ a nobis adducta sunt, intelligi debent de regno et sacerdotio Christi in cœlis quoad excellentiam et plenum fructum : in terris autem quoad exercitium. Regnum Christi in terris prædictum fuit tanquam æternum, tum alibi, tum Ps. 71; idcirco maxime Christus juxta Patrum interpretationem dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quia legis novæ sacrificium in speciebus panis et vini offertur, sicut in pane et vino erat sacrificium Melchisedech : atqui jurejurando affirmat Deus, Christum esse sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech; ergo.

Ad 3. — *D. A.* Lex evangelica *imperfecta* est comparate ad statum patriæ *C.* ad statum viæ *N.* Comparat Apostolus cum viæ statu statum patriæ... *videmus nunc per speculum in ænigmate,* ait : *tunc autem facie ad faciem.* Tametsi vero multiplex veritas Apostolos latuit, quæ ad salutem, et religionis institutionem nihil conducebat; tamen post acceptum in Pentecoste Spiritus S. donum, quod ipsis Act. 1 promittitur, nullam ignorarunt earum veritatum, quæ ad salutem hominum, atque Ecclesiæ institutionem vel utiles, vel necessariæ erant.

CAPUT III.

DE LEGE POSITIVA HUMANA.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE LEGISLATIVA HUMANA GENERATIM.

82. *Nota. I.* Sicut præter legem divinam ad gubernandam rite Ecclesiam necessario in terris a Christo relicta fuit potestas ferendi leges ecclesiasticas : ita præter legem naturalem ad ordinandam rite rempublicam profanam necessaria est potestas ferendi leges civiles; de utraque distinctius agendum, et quidem contra Wilcleff., Huss., Luther., Calvinum et horum asseclas, qui potestatem *ecclesiasticam;* item contra Waldenses et Anabaptistas, qui potestatem etiam *politicam* proterve calumniantur.

Definitur autem *lex humana,* ordinatio rationis a potestate humana legitima ad bonum commune promulgata : si ad bonum spirituale ac supernaturale, dicitur *ecclesiastica,* si ad politicum ac naturale bonum ordinatur, lex *civilis* dicitur.

Dividitur universim in *scriptam,* seu litteris consignatam, ut sunt Rescripta, et in *non scriptam* sola voce vel usu introductam, qualis est Consuetudo : in *imperativam,* quæ præcipit vel prohibet aliquid, estque vel affirmativa vel negativa, et in *permissivam,* quæ actum præcise tolerat, si non sit malus, vel pœnam dissimulat, si malus sit; multi tamen negant dari legem seu jus *proprie* permissivum, cum permissio non sit lex, sed silentium legis, obligatio autem, quæ in aliis oritur, ne te impediant in usu libertatis tuæ circa rem permissam, oriatur ex lege naturali negativa : in *favorabilem,* quæ primario prodest aliquibus, licet aliis secundario fortassis noceat, v. g. leges de dote, causa pia, percussione clerici : et in *odiosam,* quæ primario intendit incommodum seu pœnam, quamvis redundet in bonum commune, v. g. leges tributorum et vectigalium; odia vero restringenda et favores ampliandi sunt, Reg. 15 de R. J., et in dubio lex censenda est favorabilis, quia de Principe beneficium potius, quam odium est præsumendum : in *pure præceptivam, pure pœnalem* et *mixtam :* in *prohibentem* tantum et in *irritantem,* de quibus deinceps : demum in *publicam* et *privatam,* quarum hæc in privatorum, illa in bonum communitatis vergit.

II. Triplex hic occurrit quæstio : 1ª sitne lex humana ipsa duntaxat lex *naturalis* magis evoluta, id quod nonnulli recentiores autumant? 2ª an potestas legislativa inferat *inæqualitatem hominum* legi naturæ aut gratiæ repugnantem, quam hæretici ex ea inferri criminabantur? 3ª utrum ferendarum legum humanarum potestas etiam in *improbis* perseveret, contra Wickleffum et Joannem Huss, qui eam solis fidelibus et justis permittebant?

83. *Dico I.* **Lex humana, sive ecclesiastica, sive civilis, non est lex mere naturalis applicata.**

Prob. 1ª *pars.* Vera Religio, cui observandæ ac propagandæ deserviunt leges ecclesiasticæ, est supernaturalis quoad pleraque tum credenda, tum agenda; ergo imprimis *vera religio* non est ipsa lex naturalis magis evoluta. Deinde *præcepta Ecclesiæ*, quamvis jus divinum hinc inde ad certum tempus, aliamve circumstantiam determinent et applicent, propterea non dicuntur præcepta divina, quod constat in præcepto confessionis annuæ; ergo multo minus præcepta naturæ sunt.

Prob. 2ª *pars.* Lex civilis debet ac potest esse conformis juri naturæ, si sit *honesta,* h. e. non repugnans rectæ rationi, *justa,* h. e. spectato fine, agente et forma legis honeste lata, *utilis,* h. e. quæ pro tempore, quo fertur et obligat, prudenter profutura, nec certo obfutura cognoscitur, quin propter hanc conformitatem cum lege naturæ dicatur ipsa lex naturæ; vel certe cum lex naturæ sit *immutabilis,* et ratio naturalis passim *obvia,* lex nulla civilis unquam a jure canonico aboleri aut corrigi, neque Doctores maximi in assignanda legum ratione tantopere a se invicem dissidere potuissent. *Conf.* Lex naturæ et lex humana inter se differunt quoad originem, objectum, subjectum et finem; vide dicta de *jure gentium* num 37; ergo.

84. *Dico. II.* **Potestas legislativa humana non repugnat libertati hominum, seu naturali, seu christianæ.**

Prob. 1ª *pars.* Homo, cum jus naturæ nec prohibeat subjectionem, nec præcipiat libertatem, utpote ad naturæ finem non determinate necessariam, nascitur saltem subjicibilis : homo ceu animal natura sociale nascitur propensus ad civilem societatem : homo, quæ provida Dei ordinatio est ad conciliandam inter homines pacem et charitatem, maxime indiget humana societate ad congruam hujus vitæ conservationem; ergo actu subjici potest, et non esse liberum juri naturæ haud repugnat. *Prob. C.* Quam parum communitas sine pace et justitia, tam parum pax et justitia sine gubernatore, qui potestate præceptiva et coactiva polleat, conservari potest, prout testantur Scriptura S. Prov. 11, 14 : *ubi non est gubernator, populus corruet,* S. Aug., et D. Thom., Philosophus, et ipsi adeo Ethnici : cum talis communitas esset corpus sine capite, navis sine rectore, exercitus sine duce; ergo inæqualitas hominum qua imperantium, qua subditorum adeo non est adversa juri naturæ, ut sicut in statu *conjugali* superioritas mariti, et potestas patria parentis ex jure naturæ oritur, illa saltem in statu *herili* et *civili* inæqualitas juri naturæ sit consentanea.

Prob. 2ª *pars.* Libertas christiana est libera servitus, *libera,* quia ex amore et charitate potius, quam ex timore servili, at *servitus* tamen, quia potestatibus sublimioribus subdita propter Deum, cum non sit potestas, nisi a solo Deo; quamvis ergo eximat fideles vel a jugo legis mosaicæ, vel a timore servili, neutiquam vero a justo hominum imperio, divinitus concesso una cum coactione ad vindicanda mala contra pacem, justitiam, aliasque virtutes commissa : vide num. 69, de *lege evangelica.*

Conf. Christus Luc. 20 et Matth. 22, docens : *reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo;* item jubens Matth. 17, pro se et Petro tributum reddi, verbo et facto confutavit errorem *Judæ Galilæi,* qui

teste S. Hier. Christo et Apostolis coævus multis persuaserat, nullum debere Dominum vocari præter solum Deum, et eos, qui ad templum decimas deferrent, Cæsaris tributum non reddere. Idipsum docent Apostolorum principes. Petrus. ep. 1, c. 2, v. 13; Paulus ad Rom. 13, 1; item SS. PP., Iren., Justin., Aug., etc.; ergo regimen humanum non repugnat christianæ libertati, quam potius juvat, et cujus defectum supplet per coactionem.

35. *Obj.* Homo natura *liber* est, nec cuiquam, nisi creatori obnoxius; ergo potestas imponendi leges repugnat ordini naturæ.

Conf. Principatus inter homines ex peccato ortus et per tyrannidem introductus est, uti de Nemrod Gen. 10, 8 dicitur: *ipse cæpit esse potens in terra... Fuit autem principium regni ejus Babylon*: et de Alexandro ait Lucanus, fuisse felicem terrarum prædonem: ergo legitima non est Principum potestas.

R. Homo natura *liber* est, sicut bona olim natura erant *communia*; at sicut divisio bonorum non repugnat juri naturæ, ita nec subjectio hominum quia sicut communio bonorum non determinate requiritur ad felicitatem naturæ, ita nec libertas hominum: neutra ergo est jure naturæ præcepta. Quin hoc ipso, quod homo vivere velit vitam socialem, ceu membrum societatis subditur ejusdem capiti ac rectori, qui ex officio intendit bonum communitatis: fere sicut uxor marito, filius patri, supposita generatione vel pacto conjugali, subjicitur.

Ad Conf. D. A. Principatus ex peccato ortus est quoad vim directivam. *N.* nam inter Angelos etiam ordo aliquis et principatus est, fuissetque inter homines in statu innocentiæ aliqua superioritas directiva. Quoad vim coactivam *Tr.* quia ne hæc quidem in peccato fundatur, quamvis pro exercitii sui necessitate præsupponat aliquam deordinationem. Cæterum potestas regia *per se* nec est a tyrannide, neque cum tyrannide, ut videre licet in Israelitarum Regibus, et ante istos in Melchisedech, Job, Abraham et aliis; ab auctoritate paterna initium duxisse videtur regia paternæ tunc simillima. Equidem per vim et injuriam primus vicinas ditiones invasisse dicitur Nemrod, cujus ambitionem multi exinde sunt imitati; verum ea cupiditas et iniquitas est ex abusu regiæ dignitatis, ad intrinsecam ejus rationem non pertinens.

Inst. 1. S. Aug., L. 19 de Civ. expendens illa verba Gen. 1: *faciamus hominem... ut præsit piscibus maris, volatilibus cœli, bestiis terræ...* rationalem factum ad imaginem sui, inquit, noluit Deus nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori. Greg., M., L. 21 Moral., c. 10 docet, homines cunctos natura æqualiter genitos, diversitatem accepisse ex vitio; ergo contra creatoris voluntatem ipsamque naturam est suprema auctoritas.

R. — *N. C.* Nam. 1° S. Aug., non loquitur de potestate Principum in subditos, sed de dominorum in servos dominatu; *conditio servitutis*, inquit, *jure intelligitur imposita peccatori*. Deinde non ait hunc dominatum esse contra creatoris voluntatem supposito peccato, sed tantum contra primam ejus intentionem ante peccatum; addit quidem, homines magis *pastores pecorum*, quam *reges hominum* fuisse constitutos, ut hinc insinuaret Deus, quid ordo postularet creaturarum, et quid etiam meritum exigeret peccatorum: verum non agit de dignitate regia, sed de illius abusu, quo principes quidam sub-

ditos suos instar mancipiorum habent, contra quem abusum L. 5, c. 12 dixerat : *Rex dicitur a regendo et consulendo, non a regnando et dominando.*

2° S. Greg. vel de eodem abusu loquitur, cum ibidem dicat : *nam contra naturam superbire est, ab æqualibus* natura et specie humana, *velle timeri;* aut intelligit principatum non simpliciter cum vi dirigendi, sed adjuncto terrore et vi cogendi, quam peccatum efficit necessariam.

Inst. 2. Regnare et leges ferre, solius Dei est, 1 Cor. 8, 6, *unus Dominus,* Jacob. 4, *unus est enim legislator et judex;* hinc Oseæ 8, 4 dicitur : *ipsi regnaverunt, et non ex me : principes extiterunt, et non cognovi eos;* ergo nulla est inter homines regnandi potestas nec participata, quia 1 Cor. 7, 23 ait Apost., *pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.*

R. 1°. — *D. A.* Regnare cum suprema et independenti potestate *C.* cum potestate divinæ subdita *N.* Dei solius est, regnare legesque condere potestate sibi propria et essentiali a nemine accepta, nemini obnoxia; is primi textus est sensus, idem et secundi, statim enim additur : *qui potest perdere et liberare,* in æternum scilicet. Præterea τὸ *unus* non tam singularitatem, quam identitatem judicis ac legislatoris significat, ad excludenda temeraria hominum judicia; unde subditur : *tu autem quis es, qui judicas fratrem tuum?* Oseas loquitur de Regibus Israel præter voluntatem Dei introductis, quos sibi populus contra primam Dei institutionem per rebellionem constituerat : vel τὸ *non regnare ex Deo,* idem est, ac non regnare secundum voluntatem Dei, aut non ex ordinatione Dei, sed ex mera permissione, quæ quidem de omnibus tyrannis, Regibus iniquis, aut ineptis ad regnandum applicari possunt : vel denique increpantur Reges Israel, quod regia potestate abuterentur ad populum avertendum a Deo ad idola, hoc quippe est *regnare non ex Deo,* et statim additur : *argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent.*

R. 2°. — *N. C.* Nam Apostolus l. c. jubet, homines sub alterius potestate constitutos non hominibus propter homines, sed in hominibus Christo servire qui tanto nos pretio redemit, ac sibi mancipavit : aut eos, qui libertate fruuntur, deterret ab ea cuiquam obstringenda propter salutis pericula et impedimenta, quæ præsertim id ætatis ex conditione servitutis nascebantur.

86. *Dico III.* **Potestas legislativa seu politica seu ecclesiastica perseverat etiam in improbis.**

Prob. 1ª *pars.* Apostolus ad Rom. 13 jubet obtemperare hominibus in potestate constitutis, qui tunc temporis erant infideles : talibus etiam in Christianos sævientibus parebant summa religione Christiani in omnibus, quæ divinæ legi non adversarentur. Similiter in antiqua lege Regibus a morum atque etiam a fidei rectitudine deflectentibus sua permanebat auctoritas; et ante datam legem Joseph Gen. 47 Pharaoni idolorum cultori terras Ægypti fecit tributarias; ergo.

Conf. Bono publico et communi capitaliter repugnat, ut potestas illa pendeat a fide vel moribus Principum, quia cum alterius mens et animus nemini pateat, vix ullum valere præceptum constaret, si illorum validitas ex legislatoris fide ac moribus suspensa esset.

Prob. 2ª *pars.* Ecclesiasticam potestatem quæcumque Scripturæ loca adstruunt, eam sine ulla exceptione, sine apposita probitatis conditione stabi-

liunt; ergo hæc non est apponenda. *Prob. C.* Restringenda non sunt sacri textus testimonia, quæ restringi non postulat vel auctoritas, vel manifesta ratio, neque etiam aut alia Scripturæ loca, aut Traditio, aut Ecclesiæ praxis vel definitio significat esse restringenda; quin potius restrictioni huic adversantur; ergo potestas ecclesiastica talis non est, quæ nequeat in improbis permanere, aut per improbos rite valideque exerceri : non enim e re Ecclesiæ est, ut Pastorum auctoritas per improbitatem ipsorum extinguatur, tum quia regimen ejus non foret satis conspicuum, tum quia spernendarum Ecclesiæ legum frequens prætextus occurreret.

Conf. Matth. 23 ait Christus : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi; omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate et facile; secundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt;* ergo cathedræ, h. e. docendi et præcipiendi auctoritas non minuitur per improbitatem insidentium cathedræ. Quamvis autem de antiquæ legis Pontificibus ac ministris sermo sit; ea tamen quoad nostros ratio valet. Adde censuram hujus articuli, qui est Wickleffi 15, et a Constantiensi Synodo Sess. 8 reprobatus : *Nullus est Dominus civilis, nullus Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali.*

87. *Obj.* Eccli. 10 dicitur : *regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias;* ergo mali Principes amittunt potestatem politicam; imo non potest Deus hanc improbis potestatem tribuere, tum quia sunt inimici Dei, tum ne abusum potestatis approbare videatur : propterea Saul ut malus evasit, a Deo reprobatus est, 1 Reg. 13; ergo carent potestate, quæ non est nisi a Deo.

R. — *N. C.* Nam 1° textus citati sensus est, divinam efficere providentiam, ut contra injustos dominatores ingruant hostes, qui devictos regno ejiciant. 2° Deus etiam inimicos suos muneribus et donis afficit, Matth. 5, 45, *solem suum oriri facit super bonos et malos,* etc. 3° Improbi etiam potestate sua recte uti possunt, eaque non conceditur a Deo, ut illa abutantur, sed ob fines dignos sapientia, bonitate ac justitia divina. Demum a Saule non valet argumentum ad cæteros, tum quia Saul fuerat a Deo proxime Rex electus, non ita cæteri : tum quia Saul etiam diu, postquam factus fuit improbus, regnare perstitit : tum quia nisi Deus ita expresse statuisset, licuisset nemini Saulis auctoritati propter ejus improbitatem se subducere, atque ipse David divinitus illi designatus successor aggressus non est eum throno deturbare.

Inst. 1. *Quæ sunt, a Deo ordinata sunt,* ad Rom. 13; ergo impiorum potestas non est a Deo : unde Apostolus obsequium erga tales Principes solum commendat, vel ut evitentur majora incommoda, vel tanquam aliquid perfectius, non vero illud imperat.

R. *Ad* 1. Ea lex, quam nonnulli afferunt, nec Vulgatæ, nec græcis Codicibus consonat, utrobique sequitur : *quæ enim sunt* (potestates) *a Deo ordinatæ sunt;* ita legendum esse patet tum ex serie, *itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit,* tum ex circumstantiis temporum in quibus ea jubebat Apostolus, cum scilicet Principes et Magistratus essent infideles. Itaque non a vita Principum inordinata, sed a Deo pendet Principum potestas, in qua nihil inordinatum.

Ad 2. — *N. A.* Utraque interpretatio evertitur, tum per contextum : *necessi-*

tate igitur subditi estote, infert Apostolus, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam;* tum Christianorum praxi, qui persecutionum tempore facile potuissent in Principes Religionis hostes rebellare, stragemque imperio inferre, ut testantur TERTULL. Apolog., c. 33, et S. GREG. Naz., orat. 3 in Julian. Apost.

Inst. 2. S. AUG., L. 19 de Civ., c. 21, negat apud infideles posse esse justitiam, jura, verum populum aut rempublicam; ergo per infidelitatem amittitur suprema potestas : hæc enim improborum potestas bono communi nequaquam conducit.

R. — *N. C.* Nam 1° S. Doctor, ut sæpe alias, intelligit veram justitiam, vera jura ea, quæ ad æternam vitam perducant, uti L. 4 cont. Julian., c. 3. — 2° Multo minus bono communi conducit, ut ex privata Principis probitate ac fide pendeat saprema potestas : cui enim perdito civi ac novarum rerum cupido non promptum sit, hoc vel illud Principis vitium suæ perduellioni prætexere?

Inst. 3. Potestas ecclesiastica est *supernaturalis;* ergo in improbis non perseverat : est ad regendam *Christi sponsam;* ergo inimicis Christi ea non concreditur : est in *ædificationem,* sed in improbis potius foret ad destructionem; ergo per improbitatem ea deperditur.

R. — *N. C.* Tum quia supernaturalia dona illa, quæ vocantur gratis data, h. e. quæ sunt in aliorum magis quam habentis utilitatem, non amittuntur per peccatum; ejusmodi autem donum est potestas ecclesiàstica : tum quia Christus in utilitatem suorum etiam inimico uti potest : tum quia malus etiam legislator potest commissa sibi potestate non abuti; certior autem foret pernicies, si justa etiam peccatorum imperia detrectare licitum esset. Non tamen negandum, quin probis et justis *convenientius* conferatur ecclesiastica jurisdictio, cum res integra est.

Inst. 4. Saltem per *hæresin* aut *infidelitatem* amittitur ecclesiastica potestas; ergo.

R. 1. De hæresi vel infidelitate *mere interna* hoc dici non potest ob easdem rationes, quæ probant potestatem illam non amitti per quodcumque aliud mortiferum peccatum. 2. Si hæresis vel infidelitas *externa* quidem sit, sed *occulta* maneat, probabilius quoque est, non propterea jurisdictionem amitti; equidem in excommunicationem incurrit, at postulat tamen bonum Ecclesiæ, ut, quamdiu *occulta* manet hæresis, censuræ hujus suspendatur effectus quantum ad jurisdictionis amissionem : nisi dicere malis, ipsam interire jurisdictionem, valere tamen illius actus, eo quod Ecclesia illam ad actus ejusmodi transeunter conferat, aut suppleat ejus defectum, quod nonnulli asserunt. 3. Si hæresis vel infidelitas fuerit non tantum externa, sed *manifesta* etiam, v. g. in Episcopo, iterum distinguendum videtur : aut enim is toleratur, aut non toleratur : si *secundum,* jurisdictione spoliatur saltem vi excommunicationis huic crimini annexæ : si *primum,* vel ex tacito Ecclesiæ consensu suspensus remanet excommunicationis effectus quoad jurisdictionis privationem, vel certe jurisdictionis defectus ab Ecclesia suppletur saltem quoad acta ex jurisdictione pendentia, quæ cedunt in gregis innocui commodum et favorem. Alterutrum fieri videtur exposcere pietas Ecclesiæ et fidelium, quibus non alter præficitur pastor, necessitas longe præpollens ratione,

quæ adduxit Ecclesiam, ut in Constantiensi Concilio permitteret communicationem cum excommunicatis *non denuntiatis*.

Inst. 5. Fides est fundamentum spiritualis ædificii; ergo et spiritualis potestatis : atque ideo negant SS. PP., hæreticis esse posse in Ecclesia jurisdictionem : S. Cypr. ep. ad Magnum ait : *Dicimus omnes omnino hæreticos et schismaticos nihil habere potestatis ac juris* : S. Coelestin. I. ep. ad clerum et populum Constantinopolitanum, inquit : *Si quis ab Episcopo Nestorio, aut ab aliis qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cæperunt, vel excommunicatus est, vel exutus, seu antistitis seu clerici dignitate, hunc in nostra communione et durasse et durare manifestum est, nec judicamus eum remotum : quia non poterat quemquam removere ejus sententia, qui se jam præbuerat ipse removendum*; quæ verba tanquam regulam ab Apostolica Sede sancitam refert Nicolaus I, ep. 7 ad Mich. Imp.; ergo invalidi sunt hæreticorum actus juridici.

R. *Ad 1.* — *D. A.* Fides est fundamentum spiritualis ædificii, h. e. internæ justitiæ ac donorum, quæ illam comitantur *C.* h. e. donorum et gratiarum, quæ per se spectant ad salutem cæterorum *N.* ad hæc enim seu recipienda seu retinenda sufficere potest baptismi character.

Ad 2. — *D. A.* SS. Patres negant jurisdictionem posse competere hæreticis ab Ecclesia rescissis *C.* in Ecclesia adhuc aliqua ex parte hærentibus, ut sunt hæretici occulti, atque etiam publici, sed tolerati *N.* Nihil contra probant allati textus : S. Cypr. loquitur de hæreticis et schismaticis in separata secta constitutis, eoque argumento utitur ad firmandam suam opinionem de illis iterum baptizandis, cum redeunt ad Ecclesiam : S. Coelestin. pronuntiat quidem, invalidos fuisse jurisdictionis actus a Nestorio ejusque sequacibus tentatos; sed 1° non loquitur de actibus illis, qui erant in gregis commodum et favorem, sed de iis tantum qui erant a coactiva potestate : 2° declarat tempus, ex quo cœperunt irriti esse actus isti, non esse illud, quo eorum auctores male de fide senserunt, sed illud, quo perversa sensa *prædicare* cœperunt, quod manifestationem hæresis indicat.

ARTICULUS II.

DE POTESTATE LEGISLATIVA CIVILI.

88. *Dico.* **Princeps politicus, aut qui in republica gaudet suprema auctoritate, habet potestatem ferendi leges civiles ac politicas.**

Prob. I. Ex Script. Prov. 8 : *per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt;* Matth. 22, Christus de tributis ex Principis lege pendendis, *reddite,* inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari;* ad Rom. 13 Apostolus, *omnis anima,* inquit, *potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas, nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*; ergo Principum, seu supremæ in republica auctoritatis potestas a Deo manat, atque ad sanciendas leges extenditur.

Prob. II. Ex Traditione. S. Justin., Apol. 1 ad Antonin. Imp. : *vectigalia sane,* ait, *et collationes eis, qui a vobis ordinati sunt, exactoribus præ omnibus ubique inferre contendimus quemadmodum a Christo sumus instituti.*

Tertull. in Apologet., Orig., L. 1 et 9 cont. Celsum, cæterique christianæ Religionis defensores ipsos ejusdem Religionis hostes ac persecutores appellant ceu testes constantiæ et alacritatis fidelium in legibus ejusmodi observandis.

Prob. III. Ex ratione. In omni perfecta societate necesse est, supremam esse illius gubernandæ potestatem, sive in uno positam, sive in pluribus : atqui unus ex actibus potestatis illius maxime necessariis est legum latio ; ergo necesse est, in societate perfecta esse legiferam potestatem. *Maj.* evidens est ex natura societatis ; *min.* quoque ex dictis exploratam habet veritatem. Hæc vero potestas perseverat in christianis Principibus : namque Principes, cum se ad Christum adjunxerunt, eo, quo antea gaudebant, jure non sunt spoliati : tum quia id minime æquum fuerit, cum potius reverentia et obsequio digniores per accessum ad fidem evaserint, juxta illud 1 Tim. 6 : *qui fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti* : tum quia vehementer id obfuisset propagandæ fidei : tum quia inter Christianos perseverat potestatis istius necessitas, uti etiam observat Aug., L. 19 de Civ. c. 17, *politici regiminis finis est pax et concordia in rebus ad mortalem vitam pertinentibus, quæ pax etiam Christianis hanc vitam agentibus est necessaria.*

89. *Obj. I.* Potestas legifera civilis vel est in *singulis*, vel est in *communitate* : non 1um quia singuli non sunt cæteris superiores, nec quisquam ex natura rei habet jus imperandi : non 2um alioqui leges ab universis ferrentur, quod inauditum est ; ad hæc communitas neque a seipsa id juris habet, neque a Deo concessum legitur ; ergo nullatenus est in omnibus ea auctoritas.

R. — *N. m. quoad 2 part.* Homines ad socialem vitam a Deo conditi sunt : vitæ autem societas nec commoda, nec justa, nec firma permanebit, nisi in unum finem et in unum corpus politicum conveniat frequens hominum multitudo : in ea multitudine non ordo, non concordia vigebit, nec finis communis obtinebitur, quin eidem regimini legibusque iisdem pareatur, ergo ex rei natura in communitate residet legifera potestas. Quia tamen hæc ab universa multitudine exerceri vix potest, ex communi consensu transfertur in aliquem unum, aut in aliquos vel plures vel pauciores pro modo ac specie regiminis, quod eligere placuerit ; hinc

R. *Ad 1.* — *N. seq.* Leges erunt proxime a Principe vel a Magistratu, in quem translata fuerit summa potestas.

Ad 2 seq. Ea potestas est ab auctore naturæ Deo, quatenus hominem fecit sociabilem, et societatem ipsam constitutam sequitur ex natura rei potestas ejusmodi ; nec est necesse usquam scriptum esse, quod a natura ipsa dicitur.

Inst. 1. Sequitur, eam potestatem derivari *ex consensu singulorum*, qui in societatem conveniunt ; sed hoc repugnat Apostolo ad Rom. 13... *non est potestas, nisi a Deo* ; repugnat et *rationi*, quia ab hominibus nequit esse auctoritas ulciscendi privatorum injurias, obligandi in conscientia, pœnis ipsaque morte mulctandi ; ergo.

R. — *N. seq.* Equidem supponitur libera hominum potestas, qua in unam corporis politici compagem coeant, at constitutæ societati ex natura rei adhæret legum ferendarum potestas, per hoc ipsum a Deo proveniens, quod

homines Deus ad societatem aptos condiderit, ad eum fere modum, quo matrimonium non initur, nisi ex conjugis utriusque consensu, quo semel emisso ex natura rei divinaque voluntate talis existit vinculi firmitas, quæ humana auctoritate resolvi non potest.

Inst. 2. Juxta hanc expositionem dicendum erit, communitatem nunquam suprema et legifera potestate spoliari posse : ab hominibus esse regiam dignitatem, non a Deo, et communitatem esse superiorem Rege : atqui *primum* adversatur experientiæ, et *secundum* Scripturæ ; ergo.

R. *Ad* 1. — *N. seq.* Potest enim communitas seipsam exuere illa potestate et sui regendæ arbitrium transfere in alterum, sive per electionem capitis alicujus, aut in tempus, aut in perpetuum, sive per spontaneam accessionem ad majus aliquod imperium, cujus legibus tanquam pars regi ac vivere incipiat; potest item in pœnam alicujus delicti v. g. injuste suscepti belli, ea potestate privari victoris arbitrio, et tunc censetur virtualiter consensisse in sui juris translationem, cum sese exposuit periculo eorum, quæ nata sunt sequi ex bello injuste suscepto.

Ad 2. — *N. seq.* Nam potestas, quæ conceditur Regi, secundum se est a Deo *mediate* (*proxime* autem, ubi Deus ipse Regem constituit, uti apud Israelitas) quia sunt a Deo tum *natura,* quæ inclinat homines ad societatem; tum *recta ratio,* quæ persuasit efficere Principem vel Magistratum reipublicæ, a quo regatur. Quamvis ergo hominum fuerit, supremam auctoritatem sub hac vel illa forma determinare, et in hunc vel illum transferre; tamen posito eorum consensu is, in quem translata est, fit communitate superior, sicut homo fit homine superior, si hic illi in servum se venumdedit.

90. *Obj. II.* Saltem Magistratus aut Principis arbitrium sine legibus erit sufficiens ad communitatem continendam; ergo necesse non est ejus auctoritati legiferam annecti potestatem.

R. — *N. A.* Societas hominum *per se* diu constare nequit sine legibus, licet ex accidenti ob Principis alicujus virtutem et sapientiam ac populi exiguitatem id aliquando contigerit, uti de primis Regnis cogitari potest, et Livius L. 3 testatur de initiis reipublicæ Romanæ : quapropter legislatio, ut per se necessaria, regiæ aut supremæ auctoritati annexa est.

Inst. Invigilent Principes *naturalium legum* observationi, et florebit respublica : ergo positivis legibus, earumque ferendarum potestate opus non est.

R. — *N. A.* 1° Quia in applicandis aut conciliandis nonnullis naturæ legibus occurrit interdum difficultas, quæ positivarum duntaxat legum determinatione tolli potest : sic oportuit definiri tempus, intra quod ii, qui rei ab altero possessæ dominos se contenderint, possent suum sibi jus titulis certisve argumentis demonstratum vindicare, et ultra quod bonæ fidei possessores pacifica possessione non possent exturbari : ne fieret aut contra eam naturæ legem, quæ vetat rei dominum invitum, aut sine justa causa spoliari; aut contra alteram, quæ prohibet, ne bonæ fidei possessores possent in infinitum dejici diuturna et pacifica possessione, atque nullus litium sit finis.

2° Quia sunt quidam usus communi bono valde conducibiles, qui ad naturæ legem non pertinent, ut feuda, census annui et similia, quæ humanis legibus dirigi necesse fuit.

3° Quia lege naturæ nullæ temporales pœnæ sceleribus decernuntur quibus tamen solis improbi solent coerceri.

91. *Observa.* In Imperio Romano-Germanico leges universales civiles fert Imperator cum consensu statuum : Status imperii etiam soli condunt leges seu statuta particularia pro suis territoriis; hinc jus civile dividitur in publicum et privatum.

Jus civile publicum de causis publicis ad publicam utilitatem directe, principaliter et immediate est constitutum : concernit sacra, sacerdotes et magistratus : continetur *recentius* saltem *Aurea Bulla* de electione Imperatoris et juribus Electorum; *Pace publica profana* a Maximil. I, an. 1495 stabilita, et a successoribus renovata pro tranquillitate publica, atque indemnitate Statuum ac subditorum Imperii; *Ordinatione cameræ et judicii imperialis aulici,* potissimum erecta ad justitiam Statibus ac subditis Imperii administrandam in controversiis a tribunali inferiore non decisis; *Pace religiosa* et Osnabrugo-Monasteriensi; *Capitulatione cæsarea* seu conventione, qua Imperator electus ante inaugurationis solemnia certas conditiones sibi propositas acceptat juratus; *Recessibus imperii,* sive Decretis comitialibus, quæ sub finem comitiorum a Statibus et Imperatore concluduntur. Legibus hujusmodi publicis omnes Status imperii ac subditi obligantur, etiam Principes ecclesiastici, qui ob acceptas ab Imperatore in feudum integras provincias vasalli sunt. Atque ex his videtur Imperium nostrum habere formam Monarchiæ certis pactis et receptis usibus temperatæ.

Jus civile privatum auctoritate Principis secularis conditum, ad singulorum civium utilitatem temporalem immediate, principaliter ac directe ordinatur. Plura de jure civili vide in *Tr. de Princip. Theol.,* num. 240 et apud JCtos.

ARTICULUS III.

DE POTESTATE LEGISLATIVA ECCLESIASTICA.

92. *Nota.* Potestas vere legislativa dicit potestatem tum *præceptivam,* h. e. imponendi obligationem et obedientiæ necessitatem, tum *coactivam* in violatores legum etiam invitos : nam sine hac illa nec utilis, nec satis efficax, imo futilis esset gubernatio; unde Philosophus L. 10 Ethic., c. 9 docet : *lex est sermo ab aliqua prudentia ac mente profectus, vim habens cogendi.* Potestas jurisdictionis ecclesiasticæ alia est pro foro interno v. g. pœnitentiæ, alia pro foro externo ad gubernandam Ecclesiam, seu corpus Christi mysticum a statu politico contradistinctum; de hæc duntaxat quæstio est, et quidem dogmatica contra hæreticos : nam præter Aerium, Waldenses etiam, Wicleff, Huss, Lutherus, Anabaptistæ, Trinitarii, Melanchton, Calvinus, Marsilius Paduanus, etc., denegarunt Christi Ecclesiæ potestatem ferendi leges, quæ fideles obligent in conscientia, idcirco ab Ecclesia in variis Conciliis damnati. Lutherus adeo totum jus canonicum publice combussit : Calvinus Pontificem et Episcopos dixit esse tyrannos et carnifices conscientiarum : Marsilius docens jejunia Ecclesiæ non esse servanda, negat omnem aliam potestatem, quam prædicandi et administrandi sacramenta, a Christo concessam Ecclesiæ, vultque clericos et Prælatos Ecclesiæ jurisdictioni Principum quoad omnia subjectos. In Galliis nonnulli innovarunt eumdem errorem, quem itidem secutus in Anglia Henricus VIII, edito libro potestatem eccle-

siasticam confudit cum civili, et se ipsum Ecclesiæ Anglicanæ summum Pontificem objecit. Illyricus auctoritatem ecclesiasticam ministris et populo, Calvinus cœtui seniorum, Brentius Principibus secularibus adjudicat, Episcopos inter mancipia Magnatum abjiciens; contra hos

93. *Dico I.* **Datur in Ecclesia vera potestas præceptiva.**

Prob. I. Ex Scriptura. Datur in Ecclesia potestas regendi fideles, quia quod Christus Petro promiserat Matth. 16, 19 : *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris,* etc., implevit Joan. 21, 17, dicens : *Pasce oves meas;* et quæ Apostolis facta promissio Matth. 18, 18 : *Quæcumque alligaveritis super terram,* etc.; impleta est Joan. 20, 21 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* ergo datur etiam in Ecclesia potestas *præceptiva*, qua regantur fideles.

Prob. Cons. 1° Scriptura eodem nomine *Rectorum et Pastorum* compellat Ecclesiæ Prælatos, quo Reges et Principes : *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei,* 1 Petr. 5, 2 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,* Act. 20, 28 : 2° Apostoli et successores Apostolorum eamdem a Christo, cui *data est omnis potestas in cœlo et in terra*, ad Ephes. 6, 20 potestatem participant, quia ejus legati 2 Cor. 5, 20, quibus dixit, *sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* item quia se futurum cum illis promisit *usque ad consummationem seculi*, ac demum quia necessario in terris relinquenda erat hæc potestas pro regno Christi spirituali, quod Luc. 1, 32 : prædicebatur æternum. 3° Quia Apostoli hanc potestatem sæpius exercuerunt : *Scitis, quæ præcepta dederim vobis* 1 Thess. 4, 2 : *Præcipio tibi coram Domino* 1 Tim. 6, 13 : et quidem cum obligatione obediendi, *Obedite præpositis vestris et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri,* ad Hebr. 13, 17; item 2 Thess. 3, 14.

Prob. II. Ex Traditione. Unanimis Patrum consensus testatur, plura ab *Apostolis* lata fuisse præcepta, et nonnulla durare adhuc in Ecclesia, v. g. de non ordinantis bigamis in Episcopos, de jejunio sumendæ Eucharistiæ præmittendo, de Sabbato et Paschate die dominica celebrando, etc. Deinde *Ecclesia* eamdem potestatem tribus primis seculis exercuit, prout editi canones demonstrant. Ad hæc vix ullum est *Concilium*, quod non præcepta vel interdicta decreverit, quod probant Tomi Conciliorum et Collectiones juris canonici. Tot denique prostant *epistolæ decretales* Pontificum præceptis et censuris refertæ; ergo.

94. *Dico II.* **Datur in Ecclesia vera potestas coactiva.**

Prob. I. Ex Scriptura. Christus Matth. 18, 15 per illa verba : *Si peccaverit in te frater tuus...* pro jurisdictione contentiosa instituit judicem, *dic Ecclesiæ*, h. e. Prælatis ecclesiasticis : egit ibidem de accusatore et testibus, *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum :* expressit pœnam externam, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus,* h. e. excommunicatus et expulsus a publica fidelium communione; ergo.

Prob. II. Ex Traditione. Ecclesia semper in se agnovit et exercuit hanc potestatem; 1° Paulus, 2 Cor. 10, 6 ait : *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam,* et 1 Cor. 4, 21 : *Quid vultis,* inquit, *in virga veniam ad vos, an in charitate, et spiritu mansuetudinis?* 2 Cor. 13, 2 et 10 : *Prædixi et prædico ut præsens, et nunc absens iis, qui ante peccaverunt, et cæteris om-*

nibus, quoniam, si venero iterum, non parcam... ad Tit. 2, 15 : *Argue cum omni imperio.* 2° Paulus 1 Tim. 1, 20 : *Hymenæum* et *Alexandrum* propter hæresin tradidit Satanæ : 1 Cor. 5, 4 et 5, excommunicavit *incestuosum Corinthium* : Act. 5 mors repentina *Ananiæ* et *Saphiræ* a Petro : Act. 13 excæcatio *Elymæ* inflicta a Paulo miraculorum potestate. 3° Concilia et Pontifices idipsum fecisse patet ex dictis supra, et quidem Concilia Senonense et Cameracense anathematizarunt Marsilii ac Lutheri hæresin e diametro oppositam, etc. 4° Idem testantur SS. PP. apud Suarez de LL. et Bellarm. de Rom. P.; exempla item plura Episcoporum, uti illud Ambrosii adversus Theodosium.

Cum ergo potestas tam *præceptiva* quam *coactiva* constituat auctoritatem perfecte *gubernativam* seu *legislativam*, hæc datur in Ecclesia : maxime cum utraque sit ordinaria, Prælatis Ecclesiæ competens vi muneris, perpetua tum ob Christi eam dantis, tum ob Ecclesiæ eam recipientis ac exercentis indefectibilitatem, et quidem supra communitatem perfectam, qualis certo est Christi Ecclesia.

95. *Obj. I.* Præter leges divinas et humanas civiles non requiruntur *leges ecclesiasticæ*, præsertim cum ad salutem sufficiat lex Evangelii, Christus vero ipse sit supremus legislator, et solus Deus possit hominem dirigere ad finem supernaturalem; ergo non datur in Ecclesia vera vis *præceptiva.*

R. — *N. A.* Nam leges *civiles* minime sufficiunt ad regendam Ecclesiam, tum quoad objectum, tum quoad finem discrepantes a fine communitatis sacræ : leges *divinæ* sunt nimis universales, adeoque per præcepta Ecclesiæ magis determinandæ; hinc Paulus 1 Cor. 11, 2, aperte distinxit sua præcepta a divinis, dicens : *laudo vos, quod præcepta mea teneatis.* Porro lex evangelica non sola fide et libertate evangelica absolvitur, sed præcepta etiam ecclesiastica complectitur, quorum observatio perducit ad salutem; quippe ordinate constituta est *respublica christiana*, tanquam unum corpus Christi mysticum; ergo cum Christus ipse jam non sit amplius caput visibile, ut pax, unitas et integritas perstaret suæ Ecclesiæ, alium in terris sui Vicarium visibilem constituit, cum potestate ad eam rite gubernandam proportionata. Denique homines etiam ad finem supernaturalem dirigere possunt, non quidem ex virtute sua, sed adjuti Spiritu S., qui, dum homines plantant ac rigant, dat efficaciam et incrementum; potest etiam vis Ecclesiæ *directiva* et *coactiva* impedire pericula, scandala, occasiones, et sic peccata in ordine ad æternam salutem.

Inst. 1. In lege *naturæ* nulla erat potestas ferendi leges ecclesiasticas : in lege *mosaica* Deus prohibuit, ne quid præceptis divinis addatur vel dematur, punitis propterea Achaz, Uria et Manasse : Christus etiam in lege *evangelica* damnat ceremonias, præcepta, et doctrinas hominum; ergo.

R. 1°. Jamdum in lege *naturæ* erat potestas publica, sed principaliter penes reges, determinandi sacrificia et ritus divini cultus : illa ex V. et N. lege intelligenda sunt de legibus humanis, quæ vel sunt inutiles, vel contrariæ divinis, et quibus illæ præponuntur; neutrum obest præceptis ecclesiasticis, maxime cum Christus jam antea docuerit illis obediendum esse : *si Ecclesiam non audierit...* Adde, quamvis singula quæque non ad mores tantum, sed etiam ad judicia et præsertim ad divinum cultum spectantia Deus

ipse in veteri lege minutatim determinaverit, nihilominus Esth. 9, Judith. 16 et 1 Mach. 4 legimus adjecta fuisse quædam præcepta *ceremonialia*, imo *judiciale* etiam aliquod 1 Reg. 30.

R. 2°. Rex uterque non tam novas leges statuit, quam idolorum cultum et ritus gentilium inferre voluit; atque hoc ipsum judæis prohibitum, ne quid addant *ex ritu gentilium*, inter quos vivebant et victuri erant. Cum ergo in veteri lege novæ leges non essent necessariæ, quia a Deo singula fuerant determinata, non aliud sacerdotum legis veteris munus erat, quam ministrare, sacrificare, gubernare pertinentia ad res sacras, et dubia circa legem decidere.

Inst. 2. Christus ab Ecclesia sua abstulit *jugum* legis mosaicæ; ergo multo magis *jugum* tot legum ecclesiasticarum, quæ sunt longe plures, ac illæ judæis impositæ. *Conf.* S. Aug., ep. 119, c. 19 docet, voluisse Christum *quam paucissimis sacramentis religionem esse liberam*, hanc vero libertatem servilibus oneribus premi, et humanis præsumptionibus subjici; ergo.

R. — *D. A.* Leges ecclesiasticæ *absolutæ* et pro universa Ecclesia latæ sunt longe plures *N.* hæ namque solum quatuor vel quinque sunt, scilicet de annua confessione et communione paschali, de jejuniis et diebus festis. Leges *conditionales*, et pro certis tantum statibus libere susceptis *Tr.* hæ enim tantum gravant eos, qui libere eligunt SS. Ordines, cœtus Religiosos, officium judicis ecclesiastici : vel sunt determinationes juris divini, explicationes dogmatum fidei, censuræ et pœnæ ad conservationem juris divini necessariæ, etc. Præcepta vero legis mosaicæ erant innumera pro toto populo, valde onerosa, et figura figuratorum; ergo veniente veritate iis cedendum fuit.

Ad Conf. S. Aug. l. c. solum improbat quosdam abusus et consuetudines, quæ sine ratione et auctoritate in quibusdam locis invaluerant; sic enim ibidem ait : *Omnia, quæ neque SS. Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt... sine ulla dubitatione resecanda existimo*; atque his ipsis verbis aperte declaratur potestas legislativa.

Inst. 3. S. Ambros. de potestate ecclesiastica erga subditos ita sentit : *Lacrymæ meæ arma sunt; aliter neque debeo, neque possum resistere.* S. Chrysost., L. 2 de sacerd. hoc inter *Pontificem* et *pastorem ovium* discrimen statuit, quod hic animalia vi coercere valeat, ille nonnisi suasionibus subditos emendare; ergo Prælatis Ecclesiæ non competit vis coactiva.

R. S. Ambr. solum vult, contra tyrannos et rebelles non esse stringenda *arma sensibilia et materialia*; ibidem vero loquitur de Gothis et Barbaris Imperii romani invasoribus : quod vero plus sibi potestatis competat in hæreticos et fideles improbos, ostendit ipse tum scriptis in ep. 14 ad Marcellinam, tum facto adversus Theodosium, quam post cædem Thessalonicensem a templi aditu prohibuit. S. Chrys. docet morbos fidelium curari, et *mores internos* emendari non posse, nisi illis volentibus, cum sint *voluntarii*, dum morbi ovium irrationalium utpote *naturales*, iis etiam invitiis sanari, et cives cogi possint ad *mores externos* immutandos. Aliis videtur loqui de jurisdictione interna pro foro pœnitentiæ. Demum hom. 70. ad pop. sat clare potestatem legislativam asserit : *Si, quod absit, contempti fuerimus, minas ad rem deducere cogemur, vos ecclesiasticis cogentes legibus... nec ullus ecclesiastica*

despiciat vincula; non enim, qui ligat, est homo, sed Christus qui nobis hanc contulit potestatem, et tanti dominos honoris constituit.

Inst. 4. S. Bern. L. 1. de consid.: *Non monstrabunt, puto, qui hoc dicunt, ubi aliquando quispiam Apostolorum Judex sederit;* ergo Ecclesia caret potestate judiciaria, multoque magis legifera. Quin et Origen. Tr. in Matth. c. 20 : *Sicut omnia carnalia,* inquit, *in necessitate posita sunt, non in voluntate : spiritualia autem in voluntate, non in necessitate; sic et principes spirituales : principatus eorum in dilectione subditorum debet esse positus, non in timore corporali;* ergo Ecclesia caret potestate obligandi et cogendi.

R. *Ad* 1. — *D. C.* Caret potestate judiciaria in civilibus causis *C.* in his, quæ ad religionem pertinent *N.* Summum Pontificem alloquens Bernardus negat ei convenire, ut de terrenis ac civilibus causis judicet : quidni contemnant, inquit, judicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus et Angelos judicabunt; ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra, quoniam propter illa, non propter has accepistis claves regni cœlorum.

Ad 2. — *N. C.* Potestatem non negat Origenes, sed ostendit quid expediat, nimirum ut a Prælatis amore alliciantur magis, quam compellantur terrore subditi : quia salutis negotium, qui est finis regiminis ecclesiastici, a volentibus, non ab invitis obtinetur. Quod tamen non impedit, quominus ab Ecclesia sint cogendi, qui ad recte agendum se sponte adduci non sinunt.

96. *Obj. II.* Ecclesia non est *vera respublica;* ergo non indiget potestate legifera.

Prob. A. Si Ecclesia est respublica, datur status in statu, quod repugnat; hinc ait Optatus Milev., L. 3 cont. Parmen. : *non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est*; ergo.

R. — *D. A.* Datur status in statu ejusdem generis et sine subordinatione *N.* diversi generis et cum subordinatione *C.* Item Ecclesia est in republica quoad temporalia *C.* quoad spiritualia *N.* Sicut Ecclesia in temporalibus subordinatur imperio seculari, ita in spiritualibus imperium sacerdotio. Optatus Milev. scripsit de schismate Donatistarum, exprobans Donato Carthaginensi Episcopo suam arrogantiam, qua eleemosynas a Constante Imp. per singulas Ecclesias pauperibus submissas respuebat dicens : *quid est Imperatori cum Ecclesia?* atque sic injuriam faciens potestati regiæ, pro qua tamen Paulus monet quotidie Deum orare, ut quietam vitam cum ipsis agamus : *non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia est in republica,* scilicet quoad temporalia, quoad eleemosynam, quoad dona templis ac pauperibus a Regibus submissa. Quamvis ergo Ecclesia est in Imperio, h. e. composita ex fidelibus quoad statum politicum Principi cuidam subjectis; tamen inde neutiquam sequitur, eidem Principi competere etiam regimen Ecclesiæ, quia Christus suam Ecclesiam longe super aliud fundamentum ædificans, eam Apostolis eorumque successoribus regendam commisit, non tantum quoad internam gubernationem circa dogmata fidei, sacramenta, etc., sed externam quoque politiam et rectum ordinem quoad ministeria clericorum, jejunia, dies festos, etc.

Inst. 1. Ecclesiam *quoad substantiam* est unio fidelium cum Christo per

fidem, gratiam et virtutes; ergo inter suos fideles non exigit legislatores ecclesiasticos.

Conf. Religio est de jure naturæ *libera*, sicut cuivis liberum est eligere id quod sibi videtur bonum; ergo non est subjecta potestati humanæ, uti subjecta non fuit in statu naturæ, pro quo nemini licebat aut determinare cultum divinum, aut alios ad eumdem compellere.

R. *Ad 1.* — *D. A.* Est unio fidelium qualiscumque sine ordine ad caput visibile et rectores Ecclesiæ *N.* est unio rite ordinata et subordinata Christi in terris Vicario, aliisque Ecclesiarum præsidibus *C.*

Ad 2. — *D. A.* Jure naturæ liberum et æquum est eligere id, quod videtur bonum per consilium rationis qualecumque, quomodocumque et quandocumque *N.* per consilium rationis conforme legibus vel naturalibus vel etiam positivis *C.* Equidem jure naturæ nulla certa religio imperatur, neque homo ad credendum proprie cogi potest; attamen jus naturæ dictat, ut eligatur religio simpliciter digna Deo, et illa quidem qua Deus se coli cupit et mandat: sed Christus in nova lege hanc determinavit, omnesque fideles jurisdictioni ecclesiasticæ subjecit; ergo. Si enim quævis religio cuivis libera est, modo sibi videatur conveniens, etiam judaica, mahumetana, imo indifferentismus, ac demum nulla plane religio erit naturaliter illicita.

Adde, quod falsum sit, religionem in statu naturæ fuisse *absolute* liberam ab omni lege, quod patet ex legibus naturæ, ex præcepto divino Adæ dato, ex sacrificio Caini a Deo rejecto, etc.; falsum, nemini licuisse statuere quidquam de cultu divino per revelationem determinato, quod patet in Enoch, qui *cœpit primo invocare nomen Domini*, scilicet cultu novo et publico. Ad hæc fuit potestas saltem patriarchalis et œconomica, quæ filios ac subditos ad Dei cultum adigebat, uti constat in Sethi posteris. Demum perperam confunditur lex naturæ cum lege gratiæ, cum in hac revelato Dei cultu libertas præceptis evangelicis adstricta sit in obsequium fidei; nempe libertas hominis, maxime post lapsum, semper indigebat directione legum, unde illi provisum de legibus *naturæ*, *timoris* et *amoris*.

Inst. 2. Religio est *personalis* et dependens ab *assensu mentis*; ergo est extra imperium; imo mens hominis cogi non potest, ac ne Deus quidem cogit ad determinatam religionem; ergo potestas coactiva in rebus fidei nulla est penes Ecclesiam.

R. — *D. C.* Religio est extra imperium respectu *infidelium*, et mens cogi ad eam non potest *directe C.* respectu *fidelium*, et mens ne *indirecte* quidem cogi potest *N.* Fide Christiana libere semel acceptata, non est deinceps liberum credere quod vis, sed quod præcipit Ecclesia; alias eris *sicut ethnicus et publicanus*. Ecclesia coercendo hæreticos, perturbatores ac seductores fidelium non tam imperat voluntatibus, quam punit perversas voluntates, et ex officio coercet non libertatem, sed licentiam. Sic Deus etiam cogit *indirecte* ad bonum, interminando judicium et pœnas æternas. Nonne, licet religio sit personalis ac mentalis, Confessionistæ in Pace Religiosa Calvinisticam, et Protestantes in Pace Westphalica omnes alias ab utraque Protestantica et antiqua Catholica diversas religiones totis viribus exclusere? Nonne fatentur Protestantici, posse prohiberi religionem falsam, et a suo Magistratu civili subditos compelli, ne Judaismum aut Mahumetismum amplectantur?

Inst. 3. Potestas ecclesiastica circa fidem et religionem semper fuit *turba-*

rum causa; imo dum viguit, ac ubi viget libertas credendi et vivendi nullis legibus adstricta, pacatius et felicius vivebant vivuntque subditi, quod patet v. g. in *Batavis,* quamvis religione inter se plurimum discordent, in *Turcis,* etc.; ergo.

R. — *N. A.* Quæ enim Regnorum ac Imperii tranquillitas felicitasque fuerit tum, cum leges passim omnes divinæ et humanæ negligebantur, testantur annales, bella, patriæ clades, etc. At permissio etiam, quod sane falsissimum est, credendi vivendique libertatem promovere pacem et bonum reipublicæ; tamen, *quod non est honestum, utile esse nequit,* prout morale axioma habet; et tametsi utile foret, aptum profecto medium tranquillitatis veræque felicitatis *per se loquendo* esse non potest, quia illicitum, et legibus divinis humanisque adversum.

Turcis et *Batavis* non est, quod invideant orthodoxi cives, quorum reipublicæ Christianæ cum tranquillitate status externa vel maxime internam quærunt, suisque procurare subditis debent. Demum teste experientia Imperium et Regna, quamdiu unius fidei erant sub uno Ecclesiæ capite, longo tempore optata pace fruebantur, et si quando inter potestatem sacram et politicam orta dissentio fuerat, ea ex abusu et *per accidens* acciderat, cum potestatem utramque Christus ipse discreverit ad quietem publicam melius conservandam.

ARTICULUS IV.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA PONTIFICI ET EPISCOPIS PROPRIA.

97. *Nota.* Jurisdictionem ecclesiasticam in omnes Christianos, esse penes Pontificem et Episcopos, sicut olim fuerat penes Petrum et Apostolos, quorum illi successores sunt, docent Catholici omnes. Negant vero Novatores, tum quod Reges ac Principes subsint jurisdictioni ecclesiasticæ, tum quod hæc si vera quædam potestas directiva et coactiva, utpote mere *pædagogica,* vi cujus Prælati ecclesiastici tantummodo dirigant ac doceant fideles, salva semper auctoritate Principum; Calvinus etiam vitio vertit ac tyrannidi, a solis Episcopis usurpari jurisdictionem, a senioribus conscia et approbante Ecclesia exercendam. Ex hisce putridis hæreticorum fontibus Edmundus Richerius, prout ipse fatetur in Apolog. 2, hausit eumdem errorem, quod claves Ecclesiæ sint penes communitatem fidelium; eumdem adoptarunt Quesnellus et plerique Jansenistæ. Verum hic hæreticorum error multoties ab Ecclesia damnatus, et libellus Richerii altero mox anno a Concíliis Senonensi et Aquensi, a Sorbona et a Sede Apost. fuit confixus; item condemnata in Constitutione *Unigenitus,* hæc Quesnelli propositio 90ª : *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis;* hinc

98. *Dico I.* **Potestas et jurisdictio ecclesiastica est penes Pontificem et Episcopos, non tantum ministerialiter, sed et formaliter.**

Prob. 1ª pars. Tum *ex Scriptura* : Christus, antequam Ecclesia coaluisset, Petro ceu capiti et sub eo Apostolis commisit jurisdictionem sacram, ad eorum successores transituram, uti patet ex Matth. 16, 18; Joan. 20, 21-23, 21-15, 17 vide num. 93; ergo sacræ potestatis origo est a Christo, et data a

Christo non communitati ac multitudini fidelium, sed Prælatis Ecclesiæ : tum *ex Traditione* : Optatus Milev., L. 7 ait : B. Petrus *præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cœlorum cæteris communicandas accepit;* Chrysost., hom. 6 in Act. Ap. vocat Petrum *Coryphæum Apostolici chori, cui creditæ sunt claves regni cœlorum;* Cyryll. Catech. 17 : *Principem Apostolorum ac regni cœlorum clavigerum;* S. Leo, Serm. 3 de sua Assumpt. ad Pontif. : *De toto mundo unus Petrus eligitur... omnes proprie regit Petrus, quos principaliter regit et Christus;* idem docent Theophyl. in c. 22 Lucæ, et alii.

Prob. 2ª *pars.* In Scriptura comparatur Ecclesia *corpori*, ad Rom. 12, 4, membrorum autem varietas exponitur 1 Cor. 12, 27 : *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro... et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas... numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ?* Vocatur *grex* et *ovile* Joan. 10, 16, ad Hebr. 13, 20 : *domus* ac *familia* ad Hebr. 3, 5; Matth. 24, 25; Luc. 12, 42; ergo sicut functio, vis et potestas agendi non est in corpore, sed in diversis membris, et sicut potestas regendi non est in grege, sed in domino aut pastore gregis : ita jurisdictio ejusque exercitium non est penes communitatem, sed penes Episcopos, qui potestatem regendi non accipiunt ab Ecclesia, sed a Deo.

Conf. 1. Pontifex et Episcopi a Deo habent suam potestatem, tum quia Act. 20, 28 : *Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* et ad Ephes. 4, 11 : *Ipse,* Christus, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas... in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi;* tum ex text. supra cit. In potestate, nomine ac virtute Christi exercent suam jurisdictionem, uti de Paulo constat ex 2 Cor. 13, 10, et 1 Cor. 5, 3; ergo eam non habent a communitate fidelium, sed *formaliter* a Deo et Christo, cujus auctoritate eam sibi propriam exercent.

99. *Dico II.* **Pontifex et Episcopi habent supremam jurisdictionem in omnes Christianos.**

Prob. I. Ex Scriptura. Christus dans Petro et Apostolis potestatem clavium, *quodcumque solveritis, quodcumque ligaveritis,* et committens curam ovium, *pasce oves meas,* universaliter de omnibus ovibus et de omnibus actibus fidelium, quibus vita æterna amitti vel obtineri potest, locutus est; ergo omnes omnino Christianos subjecit potestati ac jurisdictioni ecclesiasticæ. Cum vero imperium Ecclesiæ inutile foret ac inefficax sine potestate *puniendi;* cumque boni pastoris officium sit, non solum errantes revocare oves, sed et lupos arcere, Christus etiam reliquit potestatem *ligandi,* qua rebelles quoslibet pœnis spiritualibus coercere possit; vide num. 94.

Prob. II. Ex Trad. et perpetua praxi Ecclesiæ. Bullæ Pontificum, jus canonicum, et historia ecclesiastica abunde testantur, semper tum intra tum extra Concilia a Prælatis Ecclesiæ exercitam fuisse supremam in omnes Christi fideles potestatem tum directivam, tum coercitivam; ergo. Ita Greg. Naz., hom. 17 ad primarium Imperii administrum dicebat; *vos quoque imperio meo ac tribunali lex Christi subjicit : imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam, præstantius ac perfectius; alioquin carni spiritum, et terrenis cœlestia cedere oportebit.* Symmachus P. ad Anastas. I Imp. ait : *Tu, si Christianus princeps es, qualiscumque Præsulis Apostolici vocem debes pa-*

tienter audire. S. Chrysost., hom. 34 in ep. ad Hebr. scribit : *audiant et Principes, nec solum iis subjecti, quemadmodum morigeri debent esse...* Ipsi adeo summi Principes, præsertim Carolus M., Ladislaus Rex Hungariæ, Ludovicus Rex Galliæ, Alphonsus Rex Hispaniæ, Eduardus Rex Angliæ, Kenulphus Rex Merciorum, et plures alii apud Suarez in Defens. fid. cath., L. 3, c. 21, suos Patres spirituales et Reges Regum appellarunt summos Pontifices, iisque filialem obedientiam et spoponderunt et præstiterunt, una quasi voce dicentes cum Carolo M., *Honoremus sanctam Romanam et Apostolicam Sedem, ut, licet vix ferendum ab illa Sede imponatur jugum, tamen feramus et pia devotione toleremus.*

100. *Obj. I.* Ecclesia non est cœtus hierarchicus, sed *collegium æqualium*; ergo in Ecclesia non sunt Principes, qui aliis imperent, Pontifex et Episcopi.

Prob. Ant. Christus verbis his, *quæcumque alligaveritis*, præmiserat ista, *dic Ecclesiæ*; ergo si datur potestas jurisdictionis in Ecclesia, hæc est penes populum et omnes fideles. *Conf.* Paulus, 1 Cor. 5 nonnisi de consensu fidelium excommunicavit incestuosum Corinthium, dicens : *judicavi eum, congregatis vobis et meo spiritu, tradere Satanæ*; ergo.

R. Verba illa, *dic Ecclesiæ*, innuunt Prælatos Ecclesiæ; id manifestum est tum ex contextu, in quo Christus ad Apostolos conversus ait : *amen dico vobis, quæcumque alligaveritis.... quæcumque solveritis*; tum ex interpretatione S. Chrysost., hom. 61 in Matth., et Theophyl. in c. 18 Matth. tum ex consuetudine, item ex absurdo; quæ demonstrant, non posse, nec debere toti fidelium cœtui, aut Concilio generali ex Episcopis peccatum fratris denuntiari.

Ad Conf. — *D. A.* Et hoc fecit Paulus ex obligatione ac necessitate *N.* ex prudenti œconomia *C.* Paulus hisce verbis : *judicavi congregatis vobis*, ostendit modum judicandi ubi 1° attingit *congregationem fidelium*, non quod Principis potestas in judicando pendeat a populi consensu, sed quia delicta gravia concordi multorum deliberatione punienda sunt, prout judices in porta sedentes publice dijudicarunt; 2° suum assensum, *et meo spiritu*, h. e. mea voluntate et auctoritate; 3° auctoritatem principalis Domini, *cum virtute D. N. J. C.*, unde suum robur habent judicia Prælatorum Ecclesiæ.

Inst. 1. S. Paulus etiam in absolvendo excommunicato requirebat consensum populi, dicens v. 10 : *cui autem aliquid donastis, et ego : nam et ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*; ergo penes populum sicut potestas absolvendi, ita et potestas judicandi fuit.

R. — *N. C.* Sicut Paulus, præsente vel etiam consentiente populo, voluit denuntiari condemnationem fornicarii, nimirum ut et ipsi Corinthii tam enorme flagitium damnarent, quod antea in suo concive non arguebant : tum ut præpotenti Corinthio hac via occasionem turbandi Ecclesiam præcluderet, adeoque ob prudentem œconomiam; ita ex simili ratione in ejusdem absolutione voluit intervenire populi preces, vota et executionem sententiæ suæ, uti S. Chrysost. in h. l. ait : *Sicut cum Paulus juberet hominem resecari, non passus est penes illos auctoritatem condonandi, dicens : decrevi tradere ejusmodi Satanæ; ac rursus assumpsit eos in consortium dicens : congregatis vobis tradere illum, duas res curans, ut et proferretur sententia, et ne fieret absque illis, ne videretur hic illos hoc facto lædere, ipsosque contemnere : itidem et hic facit.* Attamen ipse, ceu Christi Vicarius sua auctoritate con-

donavit pœnam, prout verba citata testantur. Denique ex facto particulari, unico et libero male infertur conclusio universalis et dogmatica.

Inst. 2. Potestas excommunicandi sæpe exercita *injuste*, ac fere semper in Ecclesia et Imperio *turbarum causa* fuit; ergo non est a Christo concessa Prælatis Ecclesiæ, utpote cedens in destructionem potius, quam in ædificationem.

R. — *N. A.* Id quidem asserunt, at non probant Acatholici haud absimiles Arianis, Eutychianis, cunctisque aliis schismaticis et hæreticis, qui ab Ecclesiæ primordiis hoc se fulmine injuste tactos criminabantur. Similia oggerunt de Regum ac Imperatorum excommunicationibus, sed authenticis testimoniis non comprobant: quod si probarent, quemdam nos abusum fateri oporteret, non vero in præjudicium usus legitimi, quibus incommodis sat cavit Concilium Trid., Sess. 25, c. 3 de Reform. statuens, *excommunicationis gladium sobrie, magnaque circumspectione exerendum esse.* Si quando majores turbæ inde exortæ sunt, id factum ex obstinatione fulminatorum : non enim ambitio aut tyrannis Pontificum, sed plerumque gravissima scelera, schismata, hæreses, discrimen proximum Religionis fuerunt causæ excommunicandi, prout æquiores policiti etiam acatholici fatentur. Quam vero salubris sit in Ecclesia hæc potestas, Lutherus adeo testatur Tom. VIII. Jenensi scribens ad suos : *bene faceretis, mihique placeret, si excommunicationis usum denuo reducere possetis... vel maxime opus foret ejusmodi medio : nam effrænis licentia agendi quodvis pro libitu, in dies crescit.*

101. *Obj. II.* Apostolus vocat omnes Christianos *regale sacerdotium* et *genus electum;* quamvis autem fideles non qua homines præcise, tamen qua Christiani possunt habere potestatem spiritualem, et constituunt communitatem fundatam in religione supernaturali; ergo.

R. — *D. A.* Vocat Christianos *regale sacerdotium* in sensu stricto, ac si sacerdotium existat in populo tanquam subjecto exercente *N.* in sensu lato, quia populus est subjectum recipiens et obediens sacerdotio *C.* Est ergo potestas sacra principaliter penes Pontificem, formaliter penes Episcopos, finaliter penes populum fidelem; alias omnes etiam Israelitæ in veteri lege fuissent sacerdotes, quia Exod. 19, 6 de iis dicitur : *vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta.*

Dein esto, potuisse communitati fidelium concedi potestatem supernaturalem; at concessa non est, nisi Prælatis Ecclesiæ, et rectoribus fidelium : quippe Christus instituit Ecclesiam ceu rempublicam sacram, ejusdemque regimen ordinavit longe excellentiore modo, quo sub uno capite pax membrorum, fidei unitas, et morum puritas per totum late orbem conservarentur.

Inst. 1. S. Aug., L. de doctr. Christ., c. 17 docet, quod *Ecclesia* acceperit claves regni cœlorum in *Petro;* ergo potestas et jurisdictio est penes multitudinem fidelium; præsertim cum jure divino et naturali gubernatio communitatis immediatus competat communitati, quam personæ singulari.

R. — *D. A.* Ecclesia, h. e. caput et præcipua membra Ecclesiæ *C.* Ecclesia, h. e. communitas fidelium *Subd.* accepit formaliter et subjective pro omnibus membris Ecclesiæ *N.* finaliter, scilicet in utilitatem totius Ecclesiæ, et ita, ut perpetuo maneret in Ecclesia, ad successores transitura *C.* Equidem communitati immediatius competit gubernatio, ubi sua sponte homines perfectam

ineunt societatem; secus ubi Deus et formam tribuit societatis, et potestatem distribuit pro suo beneplacito : sicut autem ordinavit regimen Synagogæ Thearchicum, ita Monarchico simile illud novæ Ecclesiæ esse voluit.

Inst. 2. Docet idem S. Doctor Serm. 13 *de Verb. Dom.*, et serm. 108, c. 2, quod Petrus, cum claves cœlorum accepit, sustinuerit personam Ecclesiæ; ergo potestas est penes Ecclesiam, Pontifex autem et Episcopi sunt tantum *ministri*.

R. — *D. A.* Personam Ecclesiæ sustinuit historice, velut caput et princeps Ecclesiæ *C.* solum parabolice, velut legatus, qui non proprio, sed Ecclesiæ nomine eam potestatem recipiat et exerceat *N.* Pontifex et Episcopi in potestate, nomine ac virtute Christi suam jurisdictionem exercent, *secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus*, 2 Cor. 13, et 1 Cor. 5 *judicavi... eum in virtute D. N. J. C. tradere Satanæ. Dist.* etiam *C.* Pontifex et Episcopi sunt *ministri* respectu Dei et Christi, uti se et cæteros Apostolos multoties vocat Paulus *C.* per hoc autem ministerium non excluditur ipsa potestas, quia Paulus etiam Reges ac principes *Dei ministros* nuncupat, et Christus ipse *minister circumcisionis*, imo servus appellatur. Sunt *ministri* respectu populi et Ecclesiæ *Subd.* h. sensu, quod sint constituti in utilitatem et bonum Ecclesiæ ceu finem *C.* alio sensu, qui excludat proprietatem potestatis *N. Spiritus S. posuit Episcopos*, Act. 20; et *ipse*, Christus, *dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas;* ergo potestas sacra, ejusque ministerium a Deo est, non ab Ecclesia.

Inst. 3. Juxta S. Cypr., de unit. Eccl., et S. Aug., L. 3. de Bapt., c. 18 claves non alia de causa datæ sunt Petro; quam ad unitatem Ecclesiæ significandam; ergo potestas sacra est penes Ecclesiam.

R. — *D. A.* Ita tamen, ut Petrus tanquam ordinarius ac primus pastor, et caput cæterorum eas acceperit *C.* secus *N.* Petro in persona propria promissæ sunt claves, quia Matth. 16. Christus Petrum ut singularem personam alloquitur secundum nomen tum recens impositum, tum a nativitate acceptum, addito etiam nomine patris; confirmatur ex contextu, quia ei facta est promissio, qui statim in persona utique propria fuit a Christo reprehensus; item ex interpretatione SS. Patrum. Aug., L. 2 cont. 2 epist. Gaudent., c. 23, etc.

Nec obstat, quod Petrus dicatur gessisse *figuram Ecclesiæ :* hanc enim gessit ratione Primatus, sicut Rex personam regni gerit, *Ecclesiæ Petrus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam*, Aug. Tr. ult. in Joan., et in Ps. 108 *cujus*, Ecclesiæ, *ille agnoscitur gessisse personam propter primatum, quem in discipulis habuit;* non ergo inter se pugnant figura Ecclesiæ, et proprietas potestatis ecclesiasticæ : nam et Christus vere baptizatus fuit, ac simul figura Ecclesiæ, Joannes vere supra pectus Domini in cœna recubuit, simul autem symbolum erat Ecclesiæ triumphantis ac vitæ contemplativæ, etc.

Inst. 4. S. Aug. Tr. 124 in Joan. docet, peccata remitti a *charitate Ecclesiæ*, et *gemitu columbæ;* ergo hæc potestas est penes Ecclesiam et justos in Ecclesia.

R. — *D. A.* Remitti a charitate Ecclesiæ, h. sensu, quod Ecclesia justorum auctoritatem hanc sibi uni propriam habeat *N.* h. sensu, quod nemini remittantur peccata, nisi ad eum extendatur Ecclesiæ charitas, isque fiat

vivum membrum *columbæ*, particeps orationis aliorum justorum *C.* Paradoxum videbatur Donatistis, posse ab *hæreticis* justificari homines per baptismum et introduci in Ecclesiam; cum ipsimet sint cooperti peccatis, atque extra Ecclesiam; illis proin respondet S. Augustinus, non tam eum, qui baptizat, peccata remittere, quam *gemitum columbæ*, h. e. orationes Sanctorum, quibus impetratur pœnitentia interior, et charitas, per quam formaliter justificantur, quicumque justificantur; item non illum, qui baptizatur, ideo justificari, quia ab hoc vel illo baptizatur, sed quia per baptismum a quocumque exhibitum in eum extenditur *charitas Ecclesiæ*.

102. *Obj. III.* Potestas ecclesiastica, quam Christus instituit, est sejuncta a potestate politica; et potestas, quæ est penes Pontificem et plerosque Episcopos, est conjuncta cum potestate politica; ergo penes Papam et Episcopos non est potestas ecclesiastica a Christo ordinata. *Maj. prob.* Christus dixit Matth. 20, 25, Petro et Apostolis : *Principes gentium dominantur eorum, non ita erit inter vos,* et Luc. 12 de seipso : *O homo! quis me constituit judicem inter vos?* unde Apost., 2 Tim. 2 ait : *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus;* ergo.

R. *Ad* 1. — *D. A.* Vos autem non sic, h. e. more gentium dominando dominatu superba æmulatione quæsito, et despotica tyrannide exercito *C.* dominatione cum humilitate suscepta, debitaque moderatione exercita *N.* Hinc græcus textus habet, κατακυριεύουσιν, h. e. violenter dominantur. Sacerdotium et Imperium de *juræ naturæ* inter se non pugnant : in *lege veteri* utrumque jungebant Moyses, Melchisedech, Heli, Samuel et Machabæi : in *nova lege* hic quoque nexus juvat et ornat Ecclesiam, cum ampla judicandi gubernandique potestas decus sit insigne Sacerdotii, et fructus ferat plurimum : nam facilius Dei verbum audiunt populi, audito obtemperant, mores corrigunt, terrentur contumaces, et validius arcentur hostes, si a regio Pontifice mysteria tractentur, doctrina explicetur, grex et ovile custodiatur.

Ad 2. Christus non rejecit *absolute* munus judicandi, sed ne per minutias impediretur a majoribus. Ideo Apostoli etiam Act. 6 omisere curam ministrandi mensis, quin omitterent officium præsidendi toti Ecclesiæ in temporalibus, uti constat ex eleemosynæ collectione Act. 11 et ad Gal. 2. Præterea Christus in terris non assumpsit personam Principis, sed meri Pastoris; hæc ergo documenta dedisse videtur Prælatis mere ecclesiasticis.

Ad 3. — *D. A.* Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, h. e. negotiationibus, nimiisque curis circa vitam temporalem *C.* h. e. nemo regimini politico debita cum moderatione se impendit *N.* Teste Bellarm. ly *Deo* nec in græco, nec in ullo codice latino legitur. Dein quomodo salvis Scripturæ textibus citatis acatholici Principibus secularibus attribuunt jus in sacra? quomodo Episcopi Angliæ, et per Germaniam Magdeburgensis, Lubecensis aliique Principes esse possunt ecclesiastici simul et politici? scilicet in subjecto acatholico contraria bellissime quadrant, quæ in catholico summopere repugnant.

Inst. 1. Christus longe aliam Ecclesiæ formam et regimen instituit; ergo a lege *naturali* et *mosaica* nulla fit paritas. Ad hæc dignitates seculares, opes magnæ, Principum magnificentia requirunt magnas curas temporales, quæ a Deo avocant, et adversantur tum exemplo Christi, tum ejus Evan-

gelio, quod paupertatem præhabendam esse docet, maxime ab illis, qui Christum repræsentant magis. Demum Apostoli et primi Episcopi salubriter rexere Ecclesiam sine potestate politica; ergo.

R. *Ad 1.* — *D. A.* Aliam Ecclesiæ formam instituit, componibilem tamen cum principatu seculari *C.* hujus absolute exclusivam *N.* Idipsum retorquetur in Lutheranos Germaniæ, et Calvinianos Angliæ Episcopos, sic dictos.

Ad 2. — *D. A.* Requirunt magnas curas, quæ *per se* avocant a Deo, quamvis ad prudentiæ christianæ leges, Deique servitium ordinentur *N.* quatenus ex prava cupiditate assumuntur, adeoque *per accidens C.* Videlicet avara pauperies *Prædicantium* has promit querelas, cum tanta non raro sit, ut vix honestus quispiam illorum munus ambiat, prout Bezæ et Saraviæ testimonium habet, qui ipsi consultissimum esse censent, quod Episcopi politicis etiam honoribus splendeant.

Ad 3. Christus et Apostoli fecere aliqua, aliqua omisere, quæ nos non obligant; alias nulla in terris matrimonia, nullæ possessiones aut divitiæ esse deberent. Christus suo exemplo perfectissima monstravit, non cogendo *præceptis,* sed alliciendo *consiliis.* Evangelium paupertatem suadet iis qui sibi solis vivere eligunt, non item iis qui et aliis vivunt : hi enim, ut præclare agant, facultatibus non debent destitui; hinc in omni lege divites fuere sacerdotes, scilicet Moyses, Levitæ, etc.

Ad 4. Apostoli et primi Episcopi rexere Ecclesiam necdum diffusam per orbem terrarum, sed perexiguam ac fere latentem in cryptis; adde, quod primis Ecclesiæ temporibus etiam *laici* pauperes fuerint.

Inst. 2. S. Greg. anathematha dicit Episcopo, qui jubet, agris more fiscali titulum imprimi : S. Bern., L. 2. de Consid. ait : *forma Apostolica hæc est : interdicitur dominatio, indicitur ministratio :* Nicol. I docet, Christum verum Regem ac Pontificem *regnum* ac *pontificatum,* quæ ante ipsius adventum conjuncta erant; *disjunxisse;* ergo.

R. *Ad 1.* Tempore S. Gregorii necdum Ecclesia habuit principatum politicum; ideo agros suos, quos ad instar privatorum civium tunc possidebat, non propria auctoritate, sed per legitimum judicem vindicare et recuperare debuit.

Ad 2. S. Bern. docens Pontificem non debere ovibus dominari, sed eas pascere, negat Pontificem *qua talem,* ex institutione Christi esse principem politicum, cum ibidem subdat : *esto, ut alia quacumque ratione hæc tibi vindices, sed non Apostolico jure : nec enim ille dare, quod non habuit, potuit.*

Ad 3. Nicolaus P. ipsemet possederat temporale dominium Romæ, Ravennæ aliarumque ditionum, solum ergo negavit, competere Pontifici imperium totius orbis etiam in temporalibus, siquidem Christus sicut Tiberio relinquens Imperium, Petro solum Pontificatum concessit : ita pro conservanda humilitate voluit Imperatorem indigere Pontificis directione *in spiritualibus,* et *in temporalibus* auctoritate Imperatoris Pontificem, quin propterea repugnet principatus sacerdotio junctus in summo Pontifice aut Episcopis.

ARTICULUS V.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA PONTIFICI ET EPISCOPIS EX JURE DIVINO PROPRIA.

103. *Nota.* Certum ex antiquissima Traditione, quod dignitas Episcopalis a Christo sit instituta; male proin Protestantes contra Episcopos insurgunt, ac si ambitione et superbia inflati sua sponte *jura collegialia* invaserint, et malesana regendi cupidine se supra cæteros elevarint, varia jura, titulos et dignitatum prærogativas sibi arrogantes. Certum, Episcopis tam ordinis, quam jurisdictionis potestatem divinitus esse concessam ita, ut ex institutione Christi veri sint Hierarchæ, Ecclesiæ Principes ac Judices. Certum, quod potestas ordinis et jurisdictionis Episcopalis non tam indissolubili nexu jungantur, ut una sine altera stare nequeat, cum sint et fuerint in Ecclesia Episcopi *Regionarii, Titulares* et mere *Honorarii* sine determinata, aut saltem sine actuali jurisdictione, sint vero etiam Cardinales, Abbates, aliique, qui sine charactere quidem Episcopali, potestate tamen quasi Episcopali gaudent; proin certum quoque est, præcipue ex Conciliis Later. IV, Florent. et Trident., potestatem jurisdictionis aliam esse *completam* et proxime expeditam, aliam vero *incompletam,* sive ex parte principii, sive ex parte termini complendam, ut *valide* exire possit in actum secundum. Nec minus certum videtur, conferri vi ordinationis Episcopalis utramque potestatem et ordinis et jurisdictionis, quamvis hæc posterior per *confirmationem Pontificiam* compleri debeat, ut sit proxime expedita: sane vix unus est ex Scriptoribus catholicis, qui id hodie in dubium vocet. Atque ut hæc doctrina fors perperam a nonnullis intellecta reddatur experrectior, de potestate Episcoporum legifera eodem ac de jurisdictione sensu hic disseremus : leges quippe sunt actus jurisdictionis.

104. *Dico.* **Sicut summus Pontifex universæ Ecclesiæ, ita Episcoporum quisque suæ Diœcesi leges ponere potest jure divino.**

Prob. Sicut potestas, quæ Petro Matth, 16 promissa, et Joan. 21 concessa, juxta perpetuam Traditionem et constantem Ecclesiæ praxin fuit transmissa ad Petri successores, *Romanos Pontifices :* ita potestas Apostolis Matth. 18 promissa, et Joan. 20 tradita transiit ad successores Apostolorum, quales esse pronuntiant *Episcopos,* non tantum Cypr., ep. 42, Hier., ep. 54, et Aug., in Ps. 44, sed etiam Eugen. IV in Concilio Flor., item Concilium Trid., Sess. 33, c. 4, etc., ergo sicut illa Pontificis potestas legifera, ita hæc Episcoporum est *juris divini. Prob. C.* Hæc potestas legifera est *necessaria* Episcopis ad regimen suarum Ecclesiarum; ergo nulla est ratio, cur dicantur Episcopi successisse Apostolis quoad ordinis, non item quoad jurisdictionis potestatem : sicut ex adverso alia dona et gratiæ gratis datæ Apostolis quidem, non autem omnibus Apostolorum successoribus a Christo concessæ sunt, eo quod ad prædictum finem deinceps *necessariæ* non essent.

Prob. Ant. Qui *simpliciter* et *absolute* dicitur positus a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, hic intelligitur jure divino constitutus cum omni potestate necessaria ad ordinarium Ecclesiæ regimen : sed Episcopi dicuntur *simpliciter* et *absolute* positi a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, Act. 20, et aliunde

potestas legifera illis est necessaria ad ordinarium suarum regimen Ecclesiarum ; ergo. Quæ textus modo citati efficaciam pro asserenda jurisdictione Episcoporum *immediate* a Christo collata infirmare videntur, sunt fere illa, quæ habentur ad Ephes. 4 : *Christus dedit pastores et doctores*, utpote ab Apostolis prius nominatis alios et distinctos : ad Rom. 13 : *omnis potestas est a Deo* : Prov. 8 *per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt*, etc., quibus verbis simpliciter et absolute dicitur potestas conferri a Deo, quin Deus censeatur *immediatus* ejusdem collator; vide Tract. de Princ. Theol., num. 181.

105. *Obj. I.* Episcopi dicuntur Apostolis successisse, quantum ad potestatem *ordinis* et consecrationem ; ergo non quoad *jurisdictionem* : alias Episcopi essent æqualis auctoritatis cum Apostolis, quod admitti non potest.

R. — *N. C.* Ex Christi institutione est, ut Ecclesiæ regantur ab Episcopis, et ordinarium regendi munus æque potestatem jurisdictionis, quam ordinis exigit; nihil ergo est, cur dicatur, Episcopos quoad hanc, non item quoad illam Apostolis successisse, siquidem Christus consecrationi Episcopali utramque potestatem alligaverit. *Seq. D.* Æqualis forent auctoritatis ratione activi principii *C.* passivi *N.* Jurisdictio considerari potest ratione principii vel *activi* vel *passivi*, h. e. vel quoad ipsam potestatem, vel quoad determinationem materiæ ac subditorum ; si principium passivum consideres, longe diversa est ab Apostolica Episcopalis jurisdictio : Apostolica in universum mundum patebat, Episcopalis in quamdam Ecclesiæ portionem contrahitur : et quidem Apostolis ab ipso Christo assignatus est orbis universus, Episcopis partem Ecclesiæ regendam assignarunt primum Petrus cæterique Apostoli, postea vero summus Pontifex aut ampliorem aut restrictiorem, prout rerum adjuncta postulant : denique non omnes ii actus conveniunt Episcopis, qui Apostolis, e. g. fundare novas Ecclesias, etc.

Inst. 1. *Activa* potestas dicit necessarium ordinem ad *passivam;* ergo nequit intelligi Episcoporum jurisdictionem esse *immediate* a Christo ex parte principii *activi*, et ab Apostolis vel a summo Pontifice ex parte principii *passivi*.

R. — *D. A.* Dicit necessarium ordinem ad *passivam* aliquam indeterminate *C.* determinate *N.* Exemplo res declaratur : Rex mittere post quempiam in provinciam instructum facultate judicandi de causis civilibus et capitalibus, nullis determinate subditis assignatis, sed cum mandato Proregi dato, ut in ea provincia huic assignet subditos, in quos possit concessam a Rege jurisdictionem exercere ; juris dicendi potestas ex parte principii *activi* tunc erit a Rege, neque ordinem dicet ad subditos, nisi indeterminate acceptos : ex parte autem principii *passivi* potestas illa erit a Prorege, qui determinabit subditos, in quos dicatur jus. Eodem fere modo se res habet cum jurisdictione Episcoporum a Christo collata, et per Pontificiam confirmationem saltem ex parte termini complenda.

Inst. 2. Si jurisdictio Episcoporum immediate a Christo est, non satis intelligitur Episcoporum subordinatio erga summum Pontificem : videtur exinde sequi, quod jurisdictio Episcopalis nequeat restringi a Rom. Pontifice etiam in Conciliis gen. : imo extenderetur in totum orbem cujusvis Episcopi potestas, sicut illa Pontificis.

R. — *N. A.* Nam 1° Christus *immediate* instituit Episcopos cum subordinatione ad Petri successorem, sicut instituerat Apostolos cum subordinatione ad Petrum; quin et dependentia Episcoporum eo magis elucet, quod pars gregis, in quam exerceant suam jurisdictionem, ipsis a Pontifice assignetur. 2° Sicut Christus voluit, Episcopis assignari subditos plures vel pauciores, prout expediret regimini Ecclesiæ : sic etiam potestatem hanc, quoad materiam, auctoritate summi Pontificis ac totius Ecclesiæ voluit pro communi bono vel extendi posse vel restringi; unde Episcopus nihil potest in illis, quæ Rom. Pontifex sibi specialiter reservavit, nihil contra jus commune. 3° Quia summo Pontifici a Christo immediate traditur Ecclesia universa gubernanda, Episcopis vero pars aliqua tantum committitur, eaque indeterminate sumpta, primum ab Apostolis, nunc a Rom. Pontifice determinanda; quam ob rem extra Diœceses sibi definitas, et erga eos, qui ipsis non sunt assignati, jurisdictionem exercere non possunt.

Inst. 3. Si potestas jurisdictionis Episcopalis æque *immediate* est a Christo, ac potestas ordinis; ergo Episcopus etiam gradu dejectus impediri non posset a valido, sed tantum a licito jurisdictionis usu : sicut effici non potest, quin valide is, quamvis illicite, confirmet ac ordinet; falsum consequens, ergo et antecedens.

R. — *N. seq. Disp. est,* quod potestas ordinis præcise sumpta sit quid absolutum, neque aliud exigat, quam characterem, adeoque tota perseveret, quamvis nulli adsint subditi : potestas autem jurisdictionis necessario refertur ad subditos, qui cum substracti fuerint Episcopo per ejus depositionem aut degradationem, jam uti non potest ea potestate, sive erga eos quos ipsi subtraxit Ecclesia, sive erga alios quos nemo illi subdidit.

106. *Obj. II. Monarchicum* est Ecclesiæ regimen; ergo ab uno in cæteros tota jurisdictio derivatur.

R. — *D. A.* Est Monarchicum ita, ut penes unum sit et summa et tota potestas ecclesiastica *N.* summa, sed non tota, id est, omnis potestas *C.* Regimen Ecclesiæ non est ita *Monarchicum,* ut omnia unius nomine et auctoritate administrentur, a cæteris omnibus tanquam ab ejus delegatis et vicariis, id quod ipse reprobat Greg. M., dum oblatam sibi ab Episcopis nuncupationem universalis Episcopi respuens ait : *vobis substrahitur, quod alteri, plusquam ratio exigit, præbetur.* Sed est ita duntaxat *Monarchicum,* ut, quamvis penes solum Pontificem sit potestas summa, tamen penes Episcopos etiam velut Hierarchas et Principes Ecclesiæ sit vera jurisdictio ac legifera potestas divinitus concessa, cum subordinatione ad supremum Ecclesiæ caput; atque ita etiam regimen Episcopi pro sua Diœcesi, servata proportione debita, *Monarchicum* dici poterit.

Esto itaque, summum Ecclesiæ Antistitem in sensu explicato dici *Monarcham* posse, utpote cujus suprema et infallibilis auctoritas nec a plebiscitis, nec ab Episcoporum suffragiis pendet; tamen ab hac invidiosa et modestiæ Rom. Pontificum nunquam probata voce philosophica rectius abstinendum : quis enim eorum unquam se *Monarcham* dixit? aut Episcopum Episcoporum, aut Episcopum universalem? quis eorum Episcopos dici voluit meros Papæ vicarios? notus est ille titulus : Clemens *Episcopus servus servorum Dei* : notum, quod summi Pontifices Episcopos omnes, etiam Titulares, quamvis

clerum et populum non habeant, *Venerabiles Fratres* compellent, idque ad exemplum Christi, qui cum Dominus Dominantium esset, discipulos suos *fratres* compellavit, et *minister circumcisionis* dici voluit.

Inst. 1. TERTULL. in Scorpiaco, c. 11 ait, *Dominum cœli claves Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse.* OPTATUS MILEV. de eodem ait: *Cæteris omnibus Apostolis præferri meruit, et claves regni cœlorum cæteris communicandas solus accepit.* GREG. NYSS. contra eos qui ægre ferunt reprehensiones, *per Petrum,* inquit, *Episcopis dedit claves bonorum cœlestium;* ergo Episcopi a Petro, h. e. a. Rom. Pontifice suam jurisdictionem accipiunt.

R. — *N. C.* Nam 1° claves, de quibus Tertull., non sunt claves *jurisdictionis,* sed facultas ingrediendi regnum cœlorum, *quas hic unusquisque interrogatus et confessus feret secum.* 2° OPTAT MILEV. dicit solum Petrum accepisse claves, quia solus Primatum regiminis et potestatis accepit a Christo; at non dicit claves a *Petro* cæteris communicandas, atque id si diceret, recte intelligeretur de potestate clavium *completa* et proxime expedita ad actum secundum. GREG. NYSS. id solum intendit, quod in Petro collocata sit potestatis plenitudo, quam potestatem conferat ipse Christus Episcopis cum subordinatione ad Petrum ejusque successores, qui subditos et materiam Episcopis determinent,

Inst. 2. S. CYPR., L. de unit. Eccl. Petri sedem comparat *capiti, radici, soli, fonti:* atqui sic quidquid Episcopis inest jurisdictionis, a Romana Sede proficisci intelligitur, uti virtus membrorum a capite, vigor ramorum a radice, etc.; ergo.

R. S. CYPR. non semel pronuntiat, ab ipso Christo fieri Episcopos; epist. 63 ait: *Apostolos,* h. e. *Episcopos et præpositos Dominus elegit; quod si nos aliquid contra Deum audere possumus, qui Episcopos facit, possunt et hi,* Diaconi, *contra nos audere, a quibus Diaconi fiunt:* itaque in morali sensu, non physico accipiendæ sunt illæ similitudines. Nempe in eo Sedes Romana convenit cum corporis *capite,* cum *radice,* etc., quod sit unitatis centrum, quocum debeant cæteræ Ecclesiæ communicare, quod quisquis ab ea recedit aut proscinditur, instar deserti rami arescat, quod Episcopalis potestas sit Pontificiæ subordinata, ita quidem, ut si Episcopus contra Episcopum, Synodus contra Synodum præjudicatis opinionibus insistant tenacius; si Scriptura Scripturæ, Traditio Traditioni opponantur, uti factum tempore S. CYPRIANI circa Anabaptismum hæreticorum, ad supremum Ecclesiæ Caput, velut ad centrum unitatis Catholicæ recurrendum sit; nec ideo quidquam decedit Episcoporum dignitati tum supra laicos, tum supra presbyteros eminenti, si *os suum aperiat* successor illius, qui potestate *fratres confirmandi* accepta, *exurgens in medio fratrum* dicat Episcopis, quæ fidei morumve doctrina verbo Dei scripto traditoque congruat, quæ tanquam nova et peregrina damnari ac vitari debeat.

Inst. 3. Summi Pontifices docuerunt, a Romana Sede totam Episcoporum jurisdictionem esse; ergo.

Prob. Ant. 1° SS. ANACLETUS, ANICETUS et ALEXANDER I in suis Decretalibus aiunt, in Petro tanquam in fonte *totam,* in cæteris Apostolis nonnisi *derivatam* esse jurisdictionem. 2° INNOC. I in epist. ad Concilium Carthag. ait: *A Petro ipse Episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit;* et in epist. ad Concilium Milev. *Arbitror omnes fratres et Episcopos nostros non-*

nisi ad Petrum, h. e. sui nominis et honoris auctorem deferri debere. 3° S. Leo Serm 3 de Assumpt. sua dicit : *Si quid commune cum Petro aliis voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quod aliis non negavit* et in ep. 89 : *Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertingere, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.* 4° Greg. M. relatus, Q. 6, c. 2 : *Romana Ecclesia,* inquit, *vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis;* ergo.

R. *Ad* 1. Suppositiæ sunt Decretales istæ, quare nulla earum auctoritas; neque in hujusmodi Decretalibus, sed in Primatu Petri ejusque sucessorum divinitus instituto fundatur Episcoporum dependentia et subordinatio; jurisdictio autem a Christo collata Episcopis pariter ex S. Scriptura deducitur.

Ad 2. Innoc. I in utroque textu Petrum Episcopalis nominis et honoris *auctorem* vocat, quia primus fuit Petrus, cui Christus contulit Episcopatum, et quia primus omnium Ecclesiæ singularis, scilicet Antiochenæ Episcopus extitit; verum cum id non satis liquido constat, sive ex verbo Dei, sive ex antiquis Ecclesiarum documentis, verisimilior hæc erit ratio, quia Petro tanquam capiti Ecclesiæ cæteri Episcopi omnes eo, quo exposuimus modo, subordinati sunt, maxime ut circa exortas hæreses ac fidei controversias consulant Sedem Apostolicam, atque illuc suorum Conciliorum decreta mittant approbanda, nempe, ut ibidem loquitur Innocentius I., *antiquæ traditionis exempla servantes, et ecclesiasticæ memores disciplinæ.* Sane si vox, *auctor,* pro institutore aut largitore acciperetur in sensu naturali, aperte nimium probaretur, cum solus Christus sit *auctor* dignitatis et auctoritatis Episcopalis.

Ad 3. S. Leo in primo textu docet Petri potestatem fuisse exemplar, cujus ad similitudinem Christus reliquis Apostolis contulerit jurisdictionem : ibidem enim sic ait : *Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit : sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur : Petro enim hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur.* In secundo textu docet S. Leo, Christum dona sua a Petro in omne corpus diffudisse, eadem fere locutione, qua Num. cap. 11. Deus Moysi dixit : *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis,* 70 Senioribus, *ut sustentent tecum onus populi tui,* quod, interprete S. Aug. in hunc librum, nil aliud significat, quam ex eodem spiritu gratiæ illos quoque habituros adjutorium, ex quo habebat Moyses; itaque non negat S. Leo, Apostolos et Apostolorum successores Episcopos suam a Christo jurisdictionem habere. Aliis videtur textus Leonis nimium probare, eo quod loquatur de diffusione *donorum Episcopalium,* quæ Christum, non vero Petrum auctorem habent; hoc ergo sensu diffundi a Petro jurisdictionem in Episcopos volunt, quod inter hos et illum ceu caput Ecclesiæ summa esse debeat concentratio, ita ut Episcopus esse nequeat Episcopus cum jurisdictione, nisi communicet cum Papa; hinc ibidem subdit S. Leo : *ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.*

Ad 4. Sensus est, in Rom. Pontifice plenitudinem inesse potestatis, vi cujus potestatem Episcoporum a Christo collatam compleat, materiam et subditos

assignando : non enim secum ipse pugnat S. Greg.; in epist. ad Joannem Jejunat. et alibi, a sententia, quæ diceret Papam esse *universalem Episcopum*, cujus cæteri sint tantum vicarii, abhorret tanquam a blasphemia.

Inst. 4. Nam 1° In creandis Episcopis summus Pontifex hac utitur formula : *Providemus Ecclesiæ de NN., et eum præficimus in pastorem atque Episcopum ejusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus et spiritualibus.* 2° Jurisdictionis usum non habent Episcopi, donec Pontificiis Bullis instituantur. 3° Ipsimet Episcopi profitentur, quidquid in se auctoritatis est, ab Apostolica Sede acceptum, cum scribant se *Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopos;* ergo tota eorum potestas est a Pontifice.

R. — *N. C.* Primis Ecclesiæ seculis inusitatæ erant illæ formulæ, nam primitus Apostoli ex potestate sibi a Christo facta in variis mundi partibus constituebant Episcopos et fundabant Ecclesias, non requisito Petri consensu : deinceps per secula XII in regionibus extra specialem Pontificis Patriarchatum plebs, clerus, Episcopi comprovinciales cum Metropolita elegerunt Episcopos, confirmavit et ordinavit idem Metropolita cum suis Episcopis comprovincialibus, inscio plerumque Romano Pontifice. Ubi tamen advertendum, Apostolos id fecisse *specialiter* a Christo ad id constitutos, Metropolitas vero et Patriarchas hanc suam auctoritatis prærogativam obtinuisse a Rom. Pontifice ac proin confirmationem ab iis factam saltem *remote* obvenisse a Sede Apostolica.

R. — *Ad* 1. Summus Pontifex ita loquitur, quia Episcopis assignat illam Ecclesiæ partem, quam isti a Christo sibi collata et per Pontificiam confirmationem completa potestate gubernent.

Ad 2. Bullæ sunt hodie una ex conditionibus requisitis, ut Episcopo electo vel nominato subditi assignentur a Christi Vicario, et sic potestas illorum compleatur ex parte termini, fiatque proxime expedita.

Ad 3. In Oriente non est in usu ea formula, in Occidente initium habuit a seculo XIII, neque illam usurpant omnes Occidentales, et qui suum erga Sedem Apostolicam obsequium per ejusmodi formulam testantur, (id quod Galliarum Episcopi omnes, omnesque Germaniæ Præsules in suis ad Papam litteris exprimere solent) significant a prima Sede sibi assignatam esse jurisdictionis a Christo acceptæ materiam et subditos, suamque auctoritatem Pontificiæ subordinatam esse, ita ut penes Rom. Pontificem sit potestas et arbitrium, juxta dictamen justitiæ, Episcopos deponendi, ad Ecclesiæ utilitatem transferendi, eorumque jurisdictionem vel ampliamdi vel restringendi, depositos a potestate inferiore suis sedibus restituendi, de libris et dogmatibus Episcoporum aliorumque irreformabili judicio judicandi, abusus Ecclesiarum particularium corrigendi, synodos confirmandi aut reprobandi, etc.

107. *Observa.* Igitur *jure divino* summus Pontifex ferre potest leges ecclesiasticas universales totam Ecclesiam obligantes, tum in Conciliis œcumenicis, quæ ab ipso tanquam Capite auctoritatem habent, tum extra Concilia : Episcopi pro sua quisque diœcesi : cæteri leges ecclesiasticas condunt *jure* tantum *humano*, nempe Cardinales in suis Titulis, Prælati gaudentes jurisdictione quasi Episcopali pro suis subditis, nisi obstet Ordinis vel Capituli aut Communitatis Privilegium, prout constat ex Dist. 3 de Consecr. : similiter alii quidam, quibus id in *jure can.* conceditur; videlicet dignitates et

communitates illæ divino jure non existunt, et suam, quam habent potestatem, a summo Pontifice concessam esse jura testantur. Porro Metropolita vel Patriarcha nequit ferre leges in totam provinciam, nisi in Episcoporum Synodo ex illo Patriarchatu vel Provincia, ex eadem ratione. Vocantur autem leges ecclesiasticæ universales, vel *Canones* qui eduntur in Conciliis, vel *Decreta* quæ fiunt a Pontifice ad nullius consultationem; *Epistolæ Decretales* scripto transmittuntur ad alicujus consultationem; *Mandata* ad disciplinam et mores, *Dogmata* ad doctrinam fidei pertinent; *Interdicta* sunt, quæ aliquid prohibent, *Sanctiones*, quæ in transgressores pœnas statuunt; sæpe tamen ejusmodi vocabula promiscue adhibentur.

De jure ecclesiastico, sive pro *lege*, sive pro *legum collectione* accepto, vide Tract. de Princ. Theol., num. 230, ubi et de jure novissimo tam absoluto, quam hypothetico, item de Concordatis Germaniæ scitu necessaria delibantur.

ARTICULUS VI.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA A CIVILI ET POLITICA OMNINO DISCRETA.

108. *Nota.* Principes seculares, uti speciosa advocatorum, defensorum et vindicum nomina præseferunt, ita ex officio sunt *Dei ministri* et *vindices in iram*, qui ausus nefarios comprimendo, quæ bene statuta sunt in Ecclesia defendant, et veram pacem his quæ sunt turbata restituant, depellendo perversos juris alieni et antiquæ fidei reformatores : et in hoc facilius cum orthodoxis consentiunt heterodoxi. In eo autem dissentiunt, quod *jus in sacra* et potestatem ferendi leges ecclesiasticas tribuant Principibus secularibus, eo quod hi repræsentent Episcopum, vel quod apud summos Imperantes deposita sit suprema jurisdictio, uti in Regna et Imperia, ita in jura, res et personas ecclesiasticas : idque alii fundant in P. R., vel in Instrumento P. W., alii in illo brocardico, *cujus est regio, illius est religio*, alii in Scriptura et factis Imperatorum, etc. Contra hos

109. *Dico.* **Magistratus seu Principes seculares non habent jus in sacra, seu potestatem ferendi leges ecclesiasticas.**

Prob. Ecclesiæ regimen a regimine politico prorsus separatum est, et quidem

Quoad *auctorem.* Potestas ecclesiastica suam originem habet a Deo, tanquam auctore *gratiæ* et Ecclesiæ, politica et secularis a Deo ut auctore *naturæ* : hæc prout est in Principe vel Senatu, est juris mere humani, et quoad se spectata naturalis est, non Principi utpote personæ singulari, sed potius communitati propria; cum ergo certum sit ex artic. præced., quod potestas ecclesiastica non resideat penes communitatem, neque hæc potuit illam transferre in Reges ac Principes seculares.

Quoad *finem.* Hic, respectu potestatis politicæ, est felicitas naturalis, respectu ecclesiasticæ vero supernaturalis; hinc ad Hebr. 13, 17 dicitur : *Obedite præpositis vestris : ipsi enim pervigilant, tanquam rationem pro animabus vestris reddituri :* Quamvis autem leges ecclesiasticæ non dirigant immediate internam æternamque salutem, quam cooperante Spiritu S. per sacramenta aliaque media spiritualia consequimur; attamen ad hunc finem

externum Ecclesiæ regimen eæ leges unice intendunt, quem et hodie insigniter promovent, nequicquam ringentibus acatholicis.

Quoad *objectum* et *quantitatem*. Potestas politica solum temporalia et naturalia ordinat, Ecclesia habet pro objecto principia fidei et gratiæ supernaturalis, pœnas et censuras spirituales : illa se non extendit ultra limites imperii temporalis, hæc per totum orbem diffusa est, ac una sicut fides; si vero tot sint capita Ecclesiæ, quot sunt Reges ac Principes, Ecclesia non est *una*, sed multiplex, sicut potestas suprema Principum : non est *infallibilis*, quia assistentiam Spiritus S. nulli Regum ac Principum Christus promisit : ac demum rueret ordo Hierarchicus ad unitatem Ecclesiæ necessarius.

Quoad *subjectum*. Potestas politica, utpote mere naturalis ac temporalis, potest esse in laicis, in fœminis etiam, quin et in Principibus ethnicis : Potestas ecclesiastica saltem ordinaria ex institutione Christi, utpote spiritualis et supernaturalis, competit solis personis ecclesiasticis, nempe Apostolis eorumque legitimis successoribus : nam ex num. 93 et 98, potestas ecclesiastica a Christo promissa et data fuit illis, qui Principes seculares non erant, et illo quidem tempore, quo nullus Princeps laicus fuit in Ecclesia; ipsi vero Apostoli eorumque successores eamdem potestatem non Regibus ac Principibus, sed aliis Ecclesiæ Pastoribus et Episcopis communicarunt juxta illud Pauli ad Tit. 1, 5 : *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Atque hinc nullus unquam Episcopus vere Catholicus eam sibi usurpavit potestatem, quam solus Pontifex et Episcopi ad nostra usque tempora exercuerunt; ergo potestas ecclesiastica Principibus secularibus vi supremæ suæ potestatis nequaquam competit, non jure *naturæ*, cum sit supernaturalis, et ex natura rei nequidem communitati, minus personæ singulari debeatur : non jure *divino positivo*, cum id ostendi non possit, imo contrarium constet ex institutione Christi; non jure *humano* sive canonico, quod in decretis Conciliorum et Pontificum omnino refragatur, sive civili aut gentium, quod authentice latum non extat, neque extare potest, utpote fundatum in jure naturæ.

Conf. I. Ex Traditione : 1° *SS. Patrum :* S. Athan. in ep. ad Solitar. verba Hosii ad Constantium recitat : *Ne præcipe nobis in hoc genere, sed ea potius a nobis disce : tibi enim Deus imperium commisit, nobis ea, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit;* et post de suo addit : *Quid opus est hominibus titulo Episcopi? quando a condito ævo auditum est, quando judicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit?* T. Chrysost., homil. 4 et 5 de verb. Is. scribit : *Quanquam admirandus videtur thronus regius, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec præter potestatem hanc quidquam habet auctoritatis.*

S. Ambr., ep. 14 ad Marcellinam ait : *Imperator bonus intra Ecclesiam non supra Ecclesiam est : bonus enim imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat.* Damasc. orat. 1 de Imag. : *Neque piorum est Regum, Ecclesiastica statuta convellere... his de rebus decernere atque statuere, non ad Reges pertinet.* Similia habent Cyrill. Alex., Aug., Greg. Naz., etc.

2° Conciliorum, Rom. III, c. 3, Concilii Gen. VII et VIII, ubi can. 22 decernitur, ut *laici principes vel potentes non intersint ecclesiasticis electionibus, quia in ecclesiasticis rebus nullam habent potestatem*, etc.

3° Pontificum. Gelas. I, ep. 10 ad Anast. Imp. ait : *Duo sunt, quibus mundus regitur principaliter, auctoritas sacra Pontificum, et Regalis potestas.* Nicol. I in ep. ad Mich. Imp. : *Nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit; quoniam Christus sic actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut et christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur.* Similia habent Symmachus, Innoc. III, etc. Vide Gratianum Dist. 96. Verum quia hæc testimonia, velut in propria causa, hæreticis suspecta sunt; hinc

Conf. II. Ex confessione Imperatorum. Teste Ruffin., L. 1 hist. Constantinus M. recusans judicium inter Episcopos dixit : *Deus vos constituit sacerdotes, et nobis a Deo dati estis judices, et conveniens non est, ut homo judicet Deos.* Theodosium jun. laudat Adrianus P., quod ad Synodum Ephes. scripserit : *Illicitum est, eum, qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Basil. Imp. in Syn. viii dixit : *Nec sibi, nec ullis laicis licere, ecclesiasticas causas tractare : hoc enim investigare et quærere, Patriarcharum, Pontificum et Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt.* Idem fere Sozom., c. 21 de Valentiniano, de Honorio, Innoc. I, et de Justiniano authentica *Quomodo oporteat Episcopos*, testantur.

§ I.

OBJECTIONES.

Ex lege naturali, mosaica et evangelica.

110. *Obj. I.* In *lege naturæ* conjuncta fuit potestas sacra cum profana, siquidem Melchisedech, Abraham et Job simul fuerint principes ac sacerdotes; ergo etiamnum conjuncta est, tum quia gratia naturam non destruit, tum quia ex natura rei non repugnat, regimen Ecclesiæ esse vel in communitate christiana, vel penes Reges ac Principes christianos.

R. — *D. A.* Conjuncta fuit vi juris naturæ *N.* vi juris divini, quatenus omnis cultus Deo dignus ex revelatione divina determinari debet, aut vi juris humani et ex consuetudine populi hanc potestatem transferentis in Principes *C.* Si autem vi *juris humani* ambæ potestates conjungebantur, œconomica vel regia potestas illa sacrificandi non fuit propria ordinis supernaturalis. Præterea tametsi sacrificium et sacerdotium sint suo modo juris naturalis; idcirco jus naturæ non exigit, ut Principes simul sint sacerdotes. Demum Christus in lege nova sejunxit potestatem sacram a politica, et regimen Ecclesiæ suæ, ceu universalis ac infallibilis, modo longe excellentiore instituit.

Inst. 1. Summo Imperanti competit de *jure naturæ* summa potestas; ergo etiam potestas in sacra, tum quia potestas summa secum non compatitur aliam æque summam, tum quia potestas in sacra Principi est necessaria ad finem publicæ tranquillitatis, cui maxime inservit religio subditorum.

R. — *D. A.* Summa potestas politica *C.* etiam sacra *N. vel subd.* jure defensionis et protectionis *C.* potestate regiminis *N.* Utraque est summa, sed in diverso genere ac ordine, Pontifex est summus imperans in spiritualibus,

Imperator in temporalibus. Quod vero utraque potestas, quamvis distincta, summa esse in mundo possit, illustratur paritate tum *corporis* et *animæ* eumdem hominem constituentium, tum duorum *luminarium majorum*, quorum alterum præest diei, nocti alterum. Demum Principes seculares tuendo Ecclesiam, protegendo ministros Ecclesiæ, urgendo executionem legum ecclesiasticarum, etc.; satis, at modo ipsis proportionato, promovent religionem ac salutem subditorum.

Inst. 2. Potestas etiam politica cum *fide* conjuncta habet pro *fine* æternam felicitatem; ergo diversitas *finis* a potestate civili non excludit jus in sacra.

R. — *D. A.* Pro fine extrinseco, quatenus operans leges civiles ordinare potest ad finem supernaturalem *C.* pro fine intrinseco *N.* Hic enim respectu potestatis politicæ est felicitas naturalis hujus vitæ, et nequidem respectu singulorum, sed ordinata ad bonum communitatis. Potest vero etiam legislator ecclesiasticus hinc inde naturalia præcipere pro disciplina Ecclesiæ, quæ tamen, ex ratione propria objecti, et intrinseca finis, ordinantur ad supernaturalia.

111. *Obj. II.* In *lege mosaica* potestas etiam sacra erat penes Principes, scilicet Moysen, Heli, Samuelem, Nehemiam, Mathathiam, etc.; ergo.

R. — *D. A.* Potestas sacra erat penes Principes semper, et jure ordinario *N.* aliquando, et ex speciali concessione Dei *C.* Hoc ipsum vero evincit, eam a mere profanis nunquam fuisse exercitam; munus certe sacerdotis obibat nemo, nisi qui fuit de numero sacerdotum. Jus ergo sacrorum nec stricte sumptum, prout denotat sacrificia et ceremonias, nec latius spectatum, prout jurisdictionem, leges et judicia complectitur, Regibus V. T. competebat: *primum* patet tum in Saule acriter a Samuele objurgato propter holocaustum in Galgalta oblatum, tum in Ozia propter incensum lepra percusso: *secundum* constat tum ex Levitico, ubi sacerdotium Aaroni et filiis ejus unice defertur, tum ex Deut. 17, 12: *qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, moriatur*: item Paralip. 19, 11; Ezech. 44, 24.

Inst. 1. In veteri lege Reges sæpe exercuerunt jus in sacra, quamvis sacerdotes non essent: sic David congregavit sacerdotes, et reduxit Arcam: Salomon ædificavit, et victimis ac sacrificiis templum dicavit Domino, qui et Abiatharem exuit sacerdotio, illudque transtulit in Sadoc; ergo.

R. *Ad* 1. Congregare sacerdotes ob finem quamvis spiritualem, zelum in Davide, et reducere Arcam probat pietatem, non jurisdictionem sacram, quia soli Levitæ portabant Arcam, et soli sacerdotes offerebant sacrificia; David autem honoris causa eam comitabatur, sicut *omnis domus Israel*; 1 Paral. 15. 28.

Ad 2. Ædificare templum Domino, arguit religiosum Principem, at non facit sacerdotem, præsertim cum Salomon manu propria, et actione religiosa non dedicaverit templum, sed ministerio sacerdotum; ipse vero suppeditavit sumptus, suaque præsentia templi consecrationem cohonestavit, quo sensu *omnes filii Israel* dicuntur dedicasse templum, 3 Reg. 8, 63.

Ad 3. Alii dicunt, Salomonem æque injuste egisse deponendo Abiatharem, quam occidendo Adoniam: alii extraordinaria potestate id factum esse censent Dei instinctu a Salomone veluti Propheta: alii negant, a Salomone vel directe, vel indirecte depositum esse Abiatharem, sed hoc ob conspirationem

relegato in exilium, uni Sadoc jam ante constituto permissum esse usum ministerii, id quod naturalem duntaxat potestatem supponit.

Inst. 2. In V. T. Reges abstulerunt *excelsa* et *lucos* : Josias prælegit publice librum legis, et redintegravit fœdus inter Deum et populum : Josaphat misit Levitas, qui populum docerent, constituitque Judices, qui judicarent populum : Ezechias confregit serpentem æneum, quem Dei jussu non sine mysterii significatione Moyses fecerat ; ergo reipsa exercuerunt jus in sacra.

R. — *N. C.* Hæc enim omnia sine ulla jurisdictione sacra præstare Reges poterant, ceu defensores fidei, zelatores Religionis et adjutores Pontificum, prohibendo idololatriam, submovendo occasionem irreligiosi cultus, et tollendo scandala, quod quidem munus esse Regum fidelium, multoties in libris Moysis commendatur ; hinc

Ad 1. *Excelsa* erant populo in scandalum, ideo in veteri lege prohibita ; ergo si Rex etiam gentilis tenetur auferre, quæ repugnant rectæ rationi et communi bono, cur Reges fideles id non possent ac debeant?

Ad 2. Prælegere libros legis pietatem indicat, non usurpationem juris sacri ; imo Josias non tam ipse, quam ejus scriba Saphan id præstitit. Percussio fœderis, cum populo etiam tribuatur, ultra pietatem vix quidquam sacri juris arguit.

Ad 3. Sicut docere non est proprie actus jurisdictionis, ita nec missio ad docendum, utpote a Josaphat facta non per collationem potestatis sacræ, sed per designationem personæ ; mittuntur quippe et hodie a Regibus ad terras barbaras Evangelii præcones, h. e. ad petitionem Regum, sumptibus et sub protectione Regum. Judices vero laicos pro causis profanis constituit propria auctoritate, pro causis sacris Levitas et Sacerdotes cum consensu Pontificis. prout innuit contextus.

Ad 4. Serpens æneus pro Deo haberi, proin scandalo esse cœpit, adeoque juxta legem Deut. 5, 7 confringendus erat ; ergo proprie jurisdictionem sacram non exercuerunt : si vero etiam plusculum aliquid superioritatis ista probarent in Regibus supra Pontifices V. T., cujus dignitas et potestas multum crevit per claves regni cœlorum, per amplam solvendi ligandique potestatem, et curam tum ovium tum agnorum a Christo demendatam ; nihil autem crevit potestas Regum, quæ hodie in Christianis fere alia non est, quam fuit illa Principum gentilium, adeoque ex natura sua ad objecta finemque supernaturalem non fertur, et intra vitæ hujus limites continetur.

112. *Obj. III.* In *lege evangelica* Principes dicuntur regnare *gratia Dei*, esse *Vicarii* et *Legati Dei, Pastores, Patres* et *Nutritii* Ecclesiæ : solent punire hæresin, blasphemiam, aliaque vitia Religioni contraria : quin et ob curam Religionis ore divino laudantur, et ob neglectum illius vituperantur ; ergo iis competit jus in sacra.

R. — *N. C.* vel *D. A.* 1° Regnant gratia Dei, sunt Vicarii Dei, etc., in temporalibus *C.* in spiritualibus *subd.* jure advocatiæ, defensionis et vindictæ *C.* jure potestatis sacræ *N.* Sicut in temporalibus Principes, ita in spiritualibus Episcopi sunt Vicarii Dei, Pastores, Patres et Nutritii Ecclesiæ, neutri in utroque genere. 2° Prædicta vitia puniuntur a Magistratu seculari, quatenus officiunt tranquillitati publicæ, vel per potestatem communicatam invocato ab Ecclesia brachio seculari : sunt enim defensores Religionis ac

vindices in iram Principes seculares; hi vero etiam delinquere in fide possunt, et quis coercebit eos, ni summa potestas sacrorum sit penes Prælatos Ecclesiæ. 3° Laudantur aut vituperantur Principes, quia magis vel minus Ecclesiam protegebant, magis vel minus Pontifices adjuvabant in tollendo schismate, extirpanda hæresi, doctrina propugnanda, et præceptis Ecclesiæ urgendis.

Inst. 1. Christus nihil potestatis externæ competere voluit Ecclesiæ, dicens Joan. 18 : *Regnum meum non est de hoc mundo* : Luc. 12 recusans judicare inter fratres : Luc. 22, 25 et 26 monens Apostolos, *ne dominentur*; unde Paulus etiam in omnibus obediendum esse præcise Principibus, ad Rom. 13, 1 docet : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.....*; ergo.

R. — *D. A.* Christus Ecclesiæ nihil potestatis externæ competere voluit, h. e. nihil voluit participare Ecclesiam de regimine mundi, quod inter gentiles erat arrogans, libidinosum et tyrannicum *C.* de regimine simpliciter, ejusque usu legitimo *N.* Atque id ex contextu colligitur, ipsaque *Critica Londinensia* sic interpretantur, item Beza in Matth. 20, 25; quippe Christus non negat, ut advertit S. Aug., regnum suum esse *in*, sed *de* hoc mundo; solum ergo negat, Ecclesiam de negotiis secularibus et rebus mundanis more mundanorum judicare aut imperare. Item Apostolus præcipit in omnibus obediendum præcise Principibus quoad politica, non item quoad sacra, aut ea, quæ religioni præjudicant : alias dicendum, Ethnicos etiam tempore Apostolorum supremam jurisdictionem habuisse in Ecclesiam. Cæteri textus citati satis limitantur per illa Christi verba, queis Petro et Apostolis commisit regimen ecclesiasticum.

Inst. 2. S. Paulus, 2 Cor. 4, 5 se et alios Apostolos vocat fidelium *servos per Jesum*, et Pontifices hodiedum omnes sese compellant *servos servorum* : Leo IV apud Gratian., Dist. 10, c. 9 vocat Imperatores *Pontifices inclytos*, quales et seipsos dixerunt Valentin., Marcian., et Anastas., Imperatores : Greg., ep. 61 Mauritium dicit esse dominum suum, fateturque se illius imperio subjectum esse, atque obedientiam se ei præstitisse; ergo Reges habent jurisdictionem sacram in Ecclesia.

R. *Ad* 1. — *D. A.* Apostolus et Pontifices vocant se servos *stricte* tales, qui obediant Regibus, cæterisque fidelibus subdantur *N.* servos in sensu *latiore*, qui prædicent et ministrent, regant ac præsideant in commodum illorum et salutem *C.*

Ad 2. Leo IV solum *analogice* Imperatores vocat Pontifices ob specialia in Ecclesiam merita : quanquam hæc Leonis ad Lotharium epistola ipsis Acatholicis videatur suspecta, et probabilius supposita est, aut saltem mendosa. Ipsi quoque Imperatores se dixere Pontifices non respectu fidelium, sed *gentilium*, retinentes Pontificatus ethnici jura et titulum, ut, quia Episcopis renuebant obedire, Imperatoribus parerent, autonomiam reipublicæ noxiam non ferentibus; atque ita hodie Principes christiani supremam sacrorum potestatem ceu honorem politicum acceptare solent.

Ad 3. — *D. A.* Gregorius ita loquitur jure solum privato, interim dissimulando Pontificiam dignitatem, prout innuit epistolæ initium *C.* qua summus Pontifex *N.* Nam 1° legem iniquam Mauritii de militibus non recipiendis in Monasteria prius correxit, quam in varias terræ partes eam ablegaret, scilicet de militibus non recipiendis ante sufficiens examen et probationem;

2° L. 4, ep. 31 scribit, sacerdotes esse Deos quosdam ab ipsis etiam Regibus honorandos, et in Ps. 5 pœnit. MAURITIUM numerat inter persecutores Ecclesiæ ob temerariam juris sacri usurpationem.

Inst. 3. SS. PATRES varios actus jurisdictionis sacræ attribuunt Principibus secularibus : EPIPH., hær. 40 curam depellendæ ab Ecclesia ignorantiæ : SS. CHRYSOST. et AMBR. potestatem coactivam in sacris : S. Aug., ep. 50 ad Bonif. potestatem ferendi leges contra impietatem : PP. Concilii Arel. c. ult. Carolo M. decretorum correctionem ac confirmationem ; idem habetur de Conciliis Turon., Mogunt., Cabill., etc.; ISIDORUS autem L. 3 sent. præsulatum iisdem tribuit : demum SOCRAT., L. 5 hist. in Procem., Ecclesiæ negotia ex Imperatorum christianorum nutu pendere testatur ; ergo.

R. — *N. A.* Nam ad depellendam ignorantiam *per se* non requiritur potestas sacra, sed doctrina sufficit ; ad hæc Principes non per seipsos ea præstiterunt, sed per alios. CHRYS. et AMBR. loquuntur de potestate armata gladio temporali, non spirituali, S. AUG. tribuit potestatem legislativam, non in sacris, sed pro sacris, ceu defensoribus sacrorum contra hæreticos. PP. Concilii Arelat. præsentarunt CAROLO M. sua decreta, ut Cæsarea auctoritas Concilii canones promulgaret, protegeret, ac efficacius eorum executionem urgeret, præsertim cum quædam decreta ad moralem usum laicorum pertinerent ; sane CAROLUS M.; aliique Francorum Reges nihil sine auctoritate, hortatu et consilio Papæ ac Episcoporum egere. Adde, prædicta Concilia fuisse solum particularia, eorumque verba duntaxat verba urbanitatis, modestiæ et humilitatis. ISIDORUS præsulatum sumit *latius*, intelligendo quamcumque prælationem et eminentiam, siquidem Principes etiam infideles ibidem *Prælatos* appellet. SOCRATES solum ait, quod Ecclesiæ negotia tum visa sint pendere ex nutu Imperatorum christianorum : quod quidem jus *pro sacris*, non *in sacris* arguit, uti sequens § declarabit.

§ II.

OBJECTIONES.

Ex historia ecclesiastica et profana.

113. *Obj. I.* Imperatores CONSTANTINUS M., CONSTANTINUS IV, PHOCAS et alii primum dederunt Romanis Pontificibus potestatem ecclesiasticam, quam 300 annis nullam saltem in Principes antea exercuerant ; ergo eam primitus ipsi habebant, et adhuc habent.

R. — *N. A.* Nam 1° certum est, viguisse necessario tribus primis Ecclesiæ seculis regimen externum Ecclesiæ, sed hujus curam nullus Princeps ethnicus habuit, nisi dicere quis velit, illos hoc suo jure usos fuisse, persequendo Ecclesiam ; ergo Christus elegit rectores Ecclesiæ, qui eo tempore Ecclesiam gubernarent, et penes quos illud regimen hodie adhuc perseveret : quis enim præsumat, per Regum ac Imperatorum conversionem Ecclesiæ statum fuisse immutatum? fatente JUSTINIANO Novell. 6 in præf. de Sacerd. et Imper., *illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens* ; ergo sicut initio, ita nunc quoque utrumque est omnino separatum.

2° CONSTANTINUS nec dedit, nec dare potuit jurisdictionem sacram, sed di-

tionem temporalem et palatium Lateranense dedisse refertur can. *Constantin.* Dist. 96. Ibidem autem S. Petrum ejusque successores Christi Vicarios et suprema Ecclesiæ capita compellat; Constantin IV solum se abdicavit putatitio jure Rom. Pontificem confirmandi. Phocas a Bonif. III rogatus declaravit contra Episcopos Constantinopolitanos, Ecclesiam Romanam esse omnium Matrem, et solum Episcopum Romanum esse universalem et œcumenicum, cui cæteri omnes subjaceant.

3° Quod Ecclesia primitiva longo tempore usa non sit pœnis ecclesiasticis in Principes, non erat defectus potestatis, sed occasionis, tum quia Imperatores fuere gentiles, tum quia illius usus contra Principes apostatas plus Ecclesiæ nocere potuisset.

Inst. 1. Imperatores elegerunt Romanos Pontifices, nempe Valentinianus Damasum, Honorius Bonifacium, alii alios : subin illos deposuerunt, uti Constantius Felicem II, Theodoricus Joannem I, Justinianus Sylverium, Henricus III. Sylvestrum, Benedictum IX et Gregorium VI, etc.; ergo iis competit jus in sacra.

R. 1. — *D. A.* Imperatores infideles et mali sic elegerunt ac deposuerunt, et quidem facto, non jure *C.* fideles et boni *subd.* jure regio et proprio *N.* jure advocatiæ, et potestate vel delegata, vel per vim arrogata *C.* Ex quorumdam impiorum Principium facto eorum in sacris jurisdictio æque parum desumi potest, ac ex tyrannide Neronis, Diocletiani, etc. Si quando Principibus christianis delegata fuit ab Ecclesia potestas nominandi Pontificem, id speciale privilegium fuit : si eorum consensus et auxilium in rebus ecclesiasticis imploratum fuit, id factum vel pro Ecclesia Romana quoad temporalem principatum ordinanda, vel ob frequentia schismata, et in Ecclesiæ periculo. Negari tamen non potest, quosdam Principes jurisdictionis suæ limites egressos, rebusque ecclesiasticis quamvis non rogatos nimium se immiscuisse, quibus tamen Pontifices nunquam non sese opposuere. Ex his vero jurisdictio spiritualis legitime asseri non potest, cum *violentia* non pariat jus, *privilegium* autem sit revocabile, et sicut datum fuit ob utilitatem Ecclesiæ, ita ob eamdem rursus abrogatum.

R. 2. Valentinianus et Honorius id fecerunt ceu protectores legitimorum Pontificum, atque ut vindices schismatis ab Ursicino excitati contra Damasum, et ab Eulalio contra Bonifacium. Factum Constantii et Theodorici erat iniqua usurpatio potestatis ecclesiasticæ, a Principibus Arianis attentata; Justinianus vero Eutychianus fuit. Facta per Ottonem M. exauctoratio Joannis XII bono zelo, at non secundum scientiam depositi, ceu illegitima reprobatur a Baronio, a Petro de Marca, Natali Alex., etc.; quamvis plerique scriptores coævi, sed Germani et Cæsareis partibus addicti eamdem approbent; nec tamen propterea jurisdictio in Pontificem Imperatori asseritur, quia Joannes de gravissimis criminibus accusatus, a Synodo Episcoporum depositus, et Leo VIII agente Imperatore substitutus legitur Sylvester intrusus et schismaticus papatu expulsus est a Bened. IX, qui postea ultro se eodem abdicavit, uti et Greg. VI, licet Henrico id ipsum ob schismatis metum adnitente.

Inst. 2. Nam 1° Imperatores orientales, postmodum etiam occidentales a Justiniano usque ad Constantinum IV jus confirmandi electionem Pontificiam exercuerunt. 2° Otto IV, Henrici, Ludovicus Bavarus, aliique Impe-

ratores per virgam et baculum investiebant Episcopos. 3° Quin et jus eligendi Pontifices concessum ab Hadriano I, Carolo M., a Nicolao II, Henrico IV, et a Leone VIII, Ottoni III. 4° Juxta Baronium an. 559. Reges constituerunt Episcopos, Martellus et Pipinus in Gallia, Carolus M. in Germania; ergo.

R. *Ad 1.* — *D. A.* Hoc jus confirmandi exercuerunt per violentam usurpationem, vel per delegationem factam ab Ecclesia ad hujus periculum avertendum *C.* ex jure regio ac proprio *N.* Summi Pontifices primis quinque seculis, prout notat Pagius, eligebantur sine consensu, consultatione aut confirmatione Imperatorum : Seculo v. Simplicius Regem Italiæ monuisse dicitur, ut deinceps in Pontificum electione consultatio regia interveniat ad cavendas turbas : Seculo vi. Theodoricus et alii hoc qualicumque jure abusi, potestatem confirmandi electionem Pontificiam sibi arrogarunt, una cum exactione multæ pecuniæ, qui mos aliquoties tamen interruptus tenuit ad medium Seculi viii, Gregorio M. in Ps. 5 pœnit. id deplorante. Exinde ob acerbitatem temporum electio Pontificis saltem debuit significari Imperatori ante consecrationem, ad Seculum xi sub. Greg. VII; ergo cum hic interventus cæsareus pro diverso tempore diversus, nec constans fuerit, rite infertur, um nec jure divino, nec regio debitum aut necessarium fuisse.

Ad 2. — *D. A.* Investiebant Episcopos per virgam et baculum vel ex potestate delegata, vel præcise ad significandam traditionem regalium *C.* jure regio, vel ad significandam collationem jurisdictionis sacræ, aut necessariam confirmationem *N.* Si vero ita investiebant, mero id facto, non jure, proin illegitime præstitum; hinc per Concilium Later. III et Concordata Germaniæ effectum, ut deinceps nonnisi per sceptrum Episcopis regalia conferrentur.

Ad 3. Petestas ab Hadriano et Leone concessa figmentum est schismaticorum; vide Baron. an. 774 et 964. Idipsum a Nicolao factum negant S. Ansel. et Petrus Dam.

Ad 4. Baronius ibidem ostendit jus constituendi Episcopos mere præsumptum a Regibus fuisse, orta sub Martello tanta rerum confusione, ut laici adeo sibi vindicarent Episcopatus. Pipinus et Carolus M. tum ob temporum acerbitatem, tum ob insignia in Sedem Romanam et Religionem merita a Pontifice obtinuerunt jus nominandi Episcopos. Si quando designationes Episcoporum a Regibus factæ antevolarunt concessionem Papæ postmodum secutam, id *facti* tantum, non *juris* erat.

Inst. 3. Imperatores in causis ecclesiasticis delegarunt judices, uti Constant. M. in causa Cæciliani adversus Donatistas; imo Leo IV a Ludovico Imper. expetiit judices, quorum sententiæ pariturum se promisit; ergo exercuerunt jurisdictionem ecclesiasticam.

R. *Ad 1.* — *D. A.* Delegarunt judices jure ordinario ac dominationis *N.* jure extraordinatio ac protectionis *Tr.* Constantinus M. causam Donatistarum contra Cæcilianum Epis. Carthag,, quia, ut ait S. Aug. ep. 166 *non est ausus de causa Episcopi judicare,* demandavit Melchiadi, qui habito Romæ Concilio damnavit Donatistas, et Cæcilianum absolvit. Verum quia huic sententiæ reclamarent, cum consensu Sylvestri P. eos remisit ad Synodum pleniorem Arelatensem : cum ne hujus quidem sententiæ acquiescerent, *omnino cupiens totam impudentiam cohibere* Constantinus, iis vehementer reprehensis indulsit novos judices ecclesiasticos, quibus et *ipse cessit ut de illa causa post Episcopos judicaret, a SS. Antistibus postea veniam petiturus;*

ergo ipse Imperator hanc quantulamcumque usurpationem ceu illegitimam agnovit, nec ab omni peccato immunem.

Ad 2. Leo IV se tantum subjecit judicio discretionis, non coactivo Imperatoris; vide can. 41. *Nos si in competenter.* Caus. 2, q. 7.

Inst. 4. Imperatores convocarunt Concilia, Nicænum Constantinus M., Constantinopolitanum I Theodosius senior, Ephesinum Theodos. junior, Chalcedonense Valentinianus et Marcianus, suaque auctoritate decretis Conciliorum tribuerunt vim decisivam, teste S. Hier., L. 2 cont. Ruffin. et Nicolao in ep. ad Mich.; ergo supremam jurisdictionem in sacra obtinuerunt. *Conf.* Concilia primum haberi cœpta, dum regnare cœperunt Imperatores christiani, manifesto indicio, significant jus convocandi Concilia esse penes Imperatores; quin et Liberius teste Theodoret., L. 2 concessit, hanc esse potestatem Imperatoris; ergo.

R. — *D. A.* Convocarunt Concilia jure regio et auctoritate præsidis vel judicis *N.* jure delegato, et auctoritate protectoris vel vindicis *C.* Nequidem sacerdotes veteris legis convocari solebant a suis Regibus ad decidenda dubia Religionis, sed amicabiliter ad quasdam solemnitates cultus divini invitabantur. In N. L. *Concilium Hieros.* statim initio Ecclesiæ convocatum et celebratum ab Apostolis sine ullo Principis interventu, qui primis tribus seculis nulli erant in Ecclesia. *Nicænum* a Sylvestro et Constantino congregatum esse, habetur ex Synodo VI, Act. 18. Ad *Constantinopolitanum I.* Patres convenerunt jussu litterarum, quas Damasus ad Theodosium dederat, prout Patres congregati testantur in epist. ad Papam, teste Theodoreto L. 5 Hist. *Ephesinum* congregatum esse industria Cyrilli, qui legatus fuit Sedis Apost., exhibent litteræ Cælestini ad Cyrillum. Ad *Chalcedonense*, ut veniret et Synodum haberet, aut saltem quid agi velit rescriberet, Leo P. rogatus per litteras a Marciano fuit; ergo priora Concilia non sunt convocata sine consensu et auctoritate Pontificis, quin et in iis suprema potestas Papæ summopere commendabatur. Posteriora vero, et plura quidem Concilio sola Pontificis auctoritate congregata esse consentiunt omnes.

Quod vero primis temporibus Imperatorum opera desideraretur ad Concilia generalia, inde fuit, tum quia vigebat lex Imperialis prohibens frequentes sine auctoritate Cæsaris conventus hominum ob metum seditionis; tum quia nonnisi in urbe Imperiali et publicis sumptibus, præsertim quoad transvectiones Episcoporum celebrari poterat, ac proin annuente et favente Cæsare; tum quia conveniens erat, Imperatores non esse ignaros legum ferendarum, siquidem terror potestatis secularis earumdem observationem fortiter urgeat, et conspiratio Sacerdotii ac Imperii ad pacem publicam conferat plurimum. Aliud sane S. Hier. et Nicolaus P. non asserunt, et ille quidem de illis temporibus aperte loquitur, queis revera ex consensu Papæ Cæsares Concilia convocabant. Atque his minime interfuerunt Cæsares tanquam judices aut præsides, quod nullo facto nullove jure probari potest, sed duntaxat ceu defensores ac protectores, quid ad summum sessionis honore præcesserint.

Ad Conf. N. vel D. A. Concilia non sunt habita ante regnantes Imperatores christianos ob defectum auctoritatis *N.* opportunitatis *C.* atque ideo etiam Imperatores christiani ad convocanda Concilia sunt implorati, ut dictum supra. Dein Jerosolymis jam tum tempore Apostolorum habitum est Conci-

LIUM. In toto autem Dialogo LIBERII non reperitur illa potestas concessa Cæsari tanquam propria, sed ab ariano Imperatore solum petitur, ut fiat Synodus, quæ ipso invito fieri non potuit.

Inst. 5. Imperatores sanxerunt leges de vita et moribus, ordinatione et jurisdictione Ministrorum Ecclesiæ, de disciplina, Sacramentis et fide, uti patet ex *Libris Carolinis* de imaginibus, ex *Decretis* CHILDERICI et PIPINI, ex *Capitulari* CAROLI M., et ex *Constitutione* LUDOVICI PII, ac tandem ex *Constitutionibus* JUSTINIANI; ergo exercuerunt jurisdictionem sacram.

R. — *D. A.* Sanxerunt leges ex jurisdictione sacra sibi propria *N.* delegata, et tanquam defensores fidei aut disciplinæ *subd.* ita ut eorum sanctiones vim suam haberent ab Ecclesia *C.* secus *N.*

Hinc 1° antiquitas *Libros Carolinos* plane ignorat, testante ADRIANO P., et demonstrante SCHWARZIO S. J. eos, excepto capite ultimo, non esse CAROLI M., minus Concilii Aquisgr.

2° Decreta CHILDERICI et PIPINI, si ulla ipsis fides habenda, quam negat Vitriarius, reipsa sunt condita ab Episcopis, et plane coincidunt cum decretis CONCILII Germanici. Deum a PIPINO dicuntur obtinuisse vim legis publicæ, id solum probat curam pro sacris.

3° Capitula CAROLI M. et LUDOVICI PII nonnisi veterum CONCILIORUM canones sunt a CAROLO in unum volumen collecti : si qua etiam nova contineat, ea non sine nutu et permissione Episcoporum addita sunt, teste BENED. Levita Capitularium collectore; imo LUDOVICUS, L. 7, cap. 265 ait, *omnia statuta contra Apostolica decreta nullius roboris esse :* et CAROLUS M., L. 1, c. 38; L. 5, c. 157... potestatem sacram Papæ ac Episcoporum multoties confirmat; id ergo fecere Reges, ut legibus ecclesiasticis, sicut nunc Principes præceptis naturalibus ac divinis, auctoritatem quoque civilem ac vindictam adjicerent; ex quo constat, quod Imperatores ac Principes non meros præcones et canonum executores constituamus.

4° JUSTINIANUS vel novas leges non tulit juxta Novell. 83, vindex potius antiquitatis et disciplinæ ecclesiasticæ assertor : vel si quas de novo condidit, eas habuit ab Episcopis præformatas juxta Novell. 42, earum promotor et executor, uti ipse BOEHMERUS fatetur : vel lapsus in hæresin de incorruptibilitate carnis Christi ante resurrectionem, sacra profanis miscuit, jure in Clerum et Ecclesias sibi arrogato, prout cum aliis BINIUS censet; quacumque vero ratione leges ecclesiasticas tulerit, eæ vim obligandi prius non obtinebant, quam ab Ecclesia etiam occidentali receptæ et approbatæ, de quo testantur GREG. M., L. 11, ep. 52; JOAN. VIII, ep. 163, HINCMARUS et Ivo Carnot.

114. *Obj. II.* Imperatores, CONSTANTINUS M., ARCADIUS, VALENTINIANUS, JUSTINUS et SIGISMUNDUS indulserunt libertatem circa Religionem, prout testantur Euseb., Niceph., Sozom., Annales Bohemici, etc.; ergo exercuerunt potestatem spiritualem.

R. — *D. A.* Indulserunt eam, ut licitam approbando *N.* ad tempus tolerando, ex summa necessitate, et ad evitanda majora mala *C.* Antecessores horum Imperatorum fuere tyranni et infideles, non ergo potuit immensa fere copia hæresum et superstitionum simul et semel aboleri, nisi cum præsenti periculo eradicandi etiam portionem exiguam fidelium; promovit autem ejusmodi indulta consiliariorum pseudo-politica, pios alias Cæsares eo adigens,

ut plus quam vellent erroribus publicis indulgerent, nec non interminatio Theodorici Italiæ Regis de evertenda radicitus religione orthodoxa per Italiam. Sigismundus alias zelosissimus, sed Wenceslai Ignavi successor alia ratione non poterat Regnum Bohemicum ab hæresi, tyrannide summaque impietate turbulentissimum ad quamcumque tranquillitatem reducere, prout testantur *Scriptores Bohemici*. Vindices ergo et protectores se præstiterunt, permittendo minus malum, ne tota religio everteretur.

Inst. 1. Carolus V et Ferdinandus Impp. Confessionistis anno 1555, per Pacem Religiosam concesserunt libertatem religionis, quæ anno 1648, extensa fuit ad Calvinistas, quamvis utraque secta a religione Catholica unice vera esset aliena, suspensa insuper jurisdictione Pontificia, et summa sacrorum potestate vel attributa, vel restituta Protestanticis; ergo non tam protectores, quam legislatores in sacris fuerunt.

R. *Ad* 1. — *D. A.* ut ante, saltem quoad Pacem Religiosam. Res tota reducitur ad casum extremæ necessitatis, qualis utrum illo tempore fuerit, *quæstio facti* est, quæ cum hodie nec utiliter, nec satis provide decideretur, tutius Deo æquissimo rerum omnium arbitro relinquitur. Initio quidem illa permissio religionis Lutheranæ fuit temporaria, et in terris solum Protestanticis, nec sine omni spe componendæ per Concilium Religionis; dein vero cum Confessionistæ his non contenti iterato negarent subsidia contra Turcas, novaque dogmata spargerent, et contumelias in Pontificem, Cæsarem, et alios Imperii Status cumularent, neque electionem Ferdinandi Regis ratam habere vellent, plura ipsis concessit Cæsar contra voluntatem, et præter consensum Statuum Catholicorum. Excitato rursus bello Imperator ad *Transactionem Passaviensem* compellitur, postea vero etiam ad *Pacem Religiosam*; ac demum post tricennale bellum eo per fœderatorum arma res perducta, ut eorum vota secundum omnem fere extensionem implerentur, Calvinistis tamen etiam sub schemate prætenso Confessionis Augustanæ receptis.

Cum ergo adhibitis frustra omnibus aliis remediis, ad impediendum majus malum hæc indulgentia etiam absoluta, etiam juramento firmata, tanquam necessaria visa fuerit Imperatoribus, exinde potius temporis acerbitas, et Protestantium obstinatio, Cæsarum vero in Deum et in Religionem pietas, prudentia, animique constantia commendatur, quæ humanitus loquendo nihil aliud superesse vidit, ad impendentem Germaniæ ac veræ Religionis ruinam pro viribus sublevandam, maxime cum pacis hujus tabulas Carolus manu propria subscripserit nunquam, Ferdinandus autem cum lacrymis signaverit. Imo ne in tali fœdere, quod Ecclesiæ præjudiciosum *indirecte* saltem versatur circa materiam spiritualem, quidquam decerneretur inconsulto Pontifice, hunc fuisse requisitum scriptores existimant, consensum vero nunquam datum, uti Paulus III in Bulla indictionis Concilii Trid. diserte ostendit.

Ad 2. Jurisdictio Pontificis et Episcoporum nec in P. R., nec in P. W. sublata, sed tantum suspensa fuit, seu *jussa est quiescere*: et quidem vi P. R. quoad fidem, religionem, ministeria, ritus et ordinationes ecclesiasticas in addictis Confessioni Augustanæ: vi P. W. quoad omnes suas species: vi P. R. respectu Statuum præcise: vi P. W. etiam respectu subditorum. De jurisdictione dominorum territorialium, quod et hæc fuerit suspensa, ita ut

subditos in exercitio religionis suæ et sacrorum plane independentes relinquere debeant, nullibi in uno alterove pacis instrumento reperitur.

Inst. 2. Si fœdus ab Imperatoribus initum cum Acatholicis in Pace tum R. tum W., nec irritum nec illicitum fuit, ac sine usurpatione juris sacri; ergo Pontifices non potuissent, nec debuissent fœdus illud improbare : aut si hoc fœdere inito standum est Catholicis, Pontificum protestatio nec *justa* erit, nec *efficax*.

R. 1. Sicut fœdera publica gentium jure introducta, et quidem ob communem necessitatem, stricte observari debent, quia alias pax nulla consistere posset, de qua prius non cogitatur, quam dum pars altera valde attrita duras conditiones pacis inire debet; ita fœdus etiam cum acatholicis initum omnino servandum est, utpote initum inter compaciscentes, qui solum Deum et gladium superiorem habent, quos inter et ipse Imperator, licet alias cæteris Statibus superior, compartem egit : non enim *exceptio vis et metus* irritat pacta inter gentes liberas, ne parti antea prostratæ recuperatis viribus fas sit rumpere fœdus et cruenta rursus bella movere : non etiam *exceptio usurpatæ potestatis sacræ*, quia Imperatoribus incumbit munus advocatiæ, vi cujus periclitantem Ecclesiam defendere oportet, ac mediis quidem ad hunc finem unice necessariis, cujusmodi tum temporis, quo nihil contra Protestantes exterorum fœderibus nixos, armisque longe superiores immensa etiam sanguinis et pecuniarum profusione evinci poterat, cum manifesto totius reipublicæ orthodoxæ periculo, erat permissiva Catholicorum indulgentia, qua bona quædam ecclesiastica sub certis limitationibus, uti et modificatam prætensorum sacrorum suorum libertatem Protestanticis relinquerent, ne demum omnia cedere cogerentur.

R. 2. *Justa* tamen fuit Pontificum *protestatio*, quia in utroque fœdere transactum de suspensa jurisdictione ecclesiastica, de possessione ac retentione bonorum ecclesiasticorum, etc.; quin et *efficax*, quia ea stante Protestantes nullo unquam tempore aut usum juris obtinebunt in bona ecclesiastica, aut viam legitimæ præscriptionis. De his vide JCtos et Canonistas. De potestate legifera ecclesiastica dictum satis : de legibus vero ecclesiasticis distinctius et copiosius agunt juris sacri interpretes : juvat tamen discutere hic epistolas Decretales veterum Pontificum, quarum multiplex per Theologiam mentio recurrit.

ARTICULUS VII.

DE EPISTOLIS DECRETALIBUS VETERUM PONTIFICUM ANTE SIRICIUM.

115. *Nota.* A Clemente I ad Damasum usque Ecclesiam rexere Romani Pontifices circiter 55; horum epistolæ Decretales aliquæ referuntur a SS. Patribus; plurimæ extant in collectione Canonum, quam primo Isidorus Mercator sub finem seculi VIII, tum Ivo Carnotensis, qui obiit anno 1114, demum Gratianus anno 1151 ediderunt. Illas, quæ a SS. PP., aut veteribus historiæ Eccl. scriptoribus traduntur, genuinas esse indubium est : sunt autem præter geminas Clementis I litteras epistolæ Cornelii apud Cyprianum, Julii I apud Athanasium, Liberii apud Hilarium, Damasi apud Hieronymum et Theodoretum. De aliis Decretalibus ante Siricium P., quas

prædicti Canonum editores publicarunt, merito dubitatur, an sint genuinæ, et passim asseritur, quod sint *pseudepigraphæ*. Primus hisce Decretalibus Seculo IX derogare visus est HINCMARUS Metropolita Remensis, dum nepoti suo Laudunensi Episcopo, vi prædictarum Decretalium, Metropolitanæ subjectioni se subducere conanti responderet, magnum esse discrimen inter Decreta INNOCENTII, LEONIS et GELASII, utpote Conciliorum præscriptis conformia, ac inter dictas epistolas canonibus Conciliorum haud parum adversantes. Iisdem postmodum plures Galliæ Episcopi minus auctoritatis inesse contendebant, at ex eo solum, quod *Codici Canonum* non essent insertæ. Seculo XV. WICKLEFFUS, MAGDEBURGENSES, BLONDELLUS, aliique Protestantes easdem impugnarunt, non tantum ut pseudepigraphas, sed etiam ut falsas et *seducentes a fide*.

Demum ævo hoc nostro eas negant esse genuinas CRITICI fere omnes, quibus jam tum Baronius, Bellarminus, ac præprimis Anton. Augustinus Tarraconensis Archi-Episcopus videntur consensisse, ita tamen, ut Catholici, quamvis epistolas illas priscis Pontificibus abjudicent, veritates et piissimas sententias in iisdem assertas venerentur.

116. *Dico.* **Epistolæ Decretales veterum Pontificum ad Siricium usque videntur esse supposititicæ.**

Prob. Illæ Decretales sunt pseudepigraphæ ac supposititicæ, quas per octo priora secula nullus vel Pontifex, vel scriptor Ecclesiasticus, nullum etiam Concilium memorat: quarum argumenta illis Ecclesiæ seculis non conveniunt: quæ ex epistolis, libris et decretis posteriorum Pontificum, Patrum et Conciliorum sunt compilatæ: quæ diversis licet temporibus et a diversis exaratæ eumdem plane stylum et scribendi characterem servant, eumque barbarum et ab illorum elegantia temporum prorsus alienum: ac demum in quibus temporum ratio non cohæret: sed quoad hæc omnia dictæ veterum Pontificum epistolæ deficiunt; ergo sunt supposititicæ.

Prob. min. 1° Si ante seculum IX ulla Decretalium illarum facta esset mentio; ergo vel a SIRICIO, vel ab INNOCENTIO I, vel a S. LEONE, vel ab aliis SS. Pontificibus, aut certe a S. HIERONYMO in catalogo Script. Eccl.: atqui nullus ex his omnibus earum ullibi meminit; unde et DIONYSIUS EXIGUUS in seculo VI suam collectionem Canonum summa accuratione congestorum, inchoavit a SIRICIO P., quam præ aliis collectionibus probavit Ecclesia.

2° Epistolæ Episcoporum, libri SS. Patrum, decreta Conciliorum, quæ supersunt ex quatuor primis Ecclesiæ seculis usque ad SIRICIUM, passim agunt de hæresibus illorum temporum, de persecutionibus Ecclesiæ, de Confessoribus, Martyribus et Lapsis; ergo cum dictæ veterum Pontificum epistolæ vix quidquam de his omnibus memorent, illarum argumenta cum primis Ecclesiæ seculis haud congruunt.

3° In singulis epistolis extant sententiæ ad verbum exscriptæ ex posteriorum Patrum, Conciliorum et Pontificum scriptis ac decretis; et quæ in illis epistolis leguntur exscripta, cum cæteris partibus non cohærent, maxime quoad *stylum;* manifestum igitur indicium est, hæc priscis Decretalibus adsuta fuisse: id quod exinde magis patet, quod eæ Decretales S. Scripturam juxta versionem Vulgatam frequenter usurpent, quam S. HIERONYMUS longo post tempore adornavit.

4° Qua demum ratione tot Pontifices diversis adeo temporibus *eumdem* plane *stylum* affectaverint, et vel maxime alienum a sermonis latini puritate ac nitore, qualem sibi jure vindicant tum primæva illa secula nitide ac terse latina, tum ipsi summi Pontifices illorum temporum quam nobilitate insignes, tam eximii omnigena litteratura ac eruditione.

5° Falsitas et temporum et consulatuum tam est fere in singulis aperta, ut plane huc quadret illud TATIANI : *Ubi temporum ratio non cohæret, ibi ne historia quidem vera esse potest.*

117. *Obj. I.* CONCILIA, Aquisgranense sub Greg. IV, Coloniense, Moguntinum, Metense sub Arnulpho, Remense, Lateranense sub Callixto II; item Conciliorum ac Canonum COLLECTORES gravissimi et doctissimi, Benedictus Levita compilator Capitularium Caroli M., Hincmarus Laudun., Luitprandus Ticinensis, Micrologus, Anselmus Lucensis Episcopus, Burckardus Wormatiensis, Ivo Carnotensis, et Gratianus, cujus DECRETUM sequitur Ecclesia, citant atque hoc ipso probant ceu genuinas veterum Pontificum epistolas; ergo hæ non sunt supposititiæ.

R. — *D. A.* Et hæc CONCILIA, et hi COLLECTORES Canonum sunt posteriores seculo IX, neque ad severioris criticæ examen eas epistolas revocarunt *C.* et seculo IX antiquiores fuerunt, ac criticæ severioris legibus usi *N.* Concilia et Collectiones citatæ primum ab anno 836 sui exordium ducunt; ergo in primis octo seculis Decretalium, quæ SIRICII decessoribus adscribuntur, nulla mentio, nulla fama fuit. Adde, CONCILIA et COLLECTORES Canonum memorare eas epistolas, non quod censeant illas esse genuinas, sed quod de illarum auctoribus non admodum solliciti sine prævio examine critico illas citarent tanquam *usu receptas*, scilicet quoad dogmatum veritatem, disciplinæ rationem et ordinem judiciorum : ita Baronius ad annum Chr. 865.

Tandem in DECRETO GRATIANI multa sunt, quæ Ecclesia non probat, majorem adhibens fidem doctissimo ejus emendatori, Antonio Augustino Tarraconensi Archi-Episcopo, magisque probans Collectionem DIONYSII EXIGUI, prout testatur Cassiodorus auctor coævus, qui c. 23 div. lect. de illo ait : *Ex græcis exemplaribus Canones ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magna eloquentiæ luce composuit; quos hodie in usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.*

Inst. 1. Silentium priorum seculorum id solum probat, quod dictæ veterum Pontificum epistolæ per illa tempora ærumnis plenissima apud privatos aut in Tabulariis Ecclesiæ Romanæ altius latuerint; ergo ex eo non convincitur, illas esse supposititias.

R. — *N. A.* Cur enim ne Romani quidem Pontifices eas vel unquam honoris causa pominarunt, sicut nominarunt alios, quorum dicta usurpant? cur earum testimoniis et auctoritate non obruerunt hæreticos, adversum quos multum sane valuissent primævæ Constitutiones Apostolicæ? cur ipsi Pontifices in dubium vocarunt, quæ tot Decretalibus ab ævo Apostolorum fuerant constituta? Tot ergo seculorum silentium gravissimis junctum rationibus prævalet Conciliis et Collectoribus posterioribus, præsertim quod hi honesto ISIDORI nomine, sub quo prodiit illa veterum Decretalium collectio, decepti fuerint, existimantes eam a S. ISIDORO Hispalensi editam fuisse.

Inst. 2. HINCMARUS Archi-Episcopus Remensis epist. 7, c. 12 testatur : *Isi-*

dorus Hispalensis Episcopus collegit cum epistolis Romanæ Sedis Pontificum a S. Clemente usque ad B. Gregorium...; ergo S. Isidorus eas agnovit genuinas, quarum adornavit collectionem. *Conf.* Multa extant in L. 5. *Etymologiarum* a S. Isidoro Hispalensi edito, quæ leguntur in præfatione collectionis prædictarum Decretalium; ergo.

R. — *N. A.* Nam in illis Decretalibus citantur Concilium Tolet. XI de anno 675, Concilium VI Gen. de anno 681, item epistolæ Gregorii II et III, necnon Zachariæ SS. Pontificum, qui in seculo VIII floruerunt; cum ergo, ut testis est Braulio Cæsar Augustanus, Lucas Tudensis, Mariana, etc., jamdum anno 636 obierit S. Isidorus Hispalensis, manifestum est, Hincmarum Remensem cum suis sequacibus deceptum fuisse.

Ad Conf. R. potius contrarium sequi, quod nempe non S. Isidorus utpote quam sanctus, tam eruditus et sapiens defloraverit Decretales illas, sed quod harum compilator ex S. Isidoro exscripserit multa, præsertim cum Braulio testetur, libros *Etymologiarum* suo quidem rogatu conscriptos a S. Isidoro, a se vero primum post ejus mortem fuisse editos. Ad hæc Braulio, quamvis coævus et amicissimus S. Isidoro, in catalogo, quem texuit operum S. Isidori, nec verbulo meminit illarum Decretalium.

118. *Obj. II.* Epistolæ, quas ipsi Pontifices Romani admiserunt tanquam genuinas, non sunt rejiciendæ ceu supposititicæ : atqui Pontifices Romani admiserunt ceu genuinas veterum Pontificum epistolas; ergo non sunt supposititicæ. *Prob. min.* S. Leo in epist. 1 ad universos Episcopos ait : *Omnia Decretalia Constituta omnium Prædecessorum nostrorum ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut, si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* Gelasius in Synodo Rom. anno 494 ita loquitur : *Item Decretales epistolas, quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter recipiendas decernimus.* Leo IV in epist. ad Episcopos Britann. apud Gratianum, Dist. 20, cap. de libellis ait : *Regulæ, quibus in omnibus ecclesiasticis utimur judiciis, sunt Canones Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum... et cum illis Regulæ Præsulum Romanorum, Sylvestri, Siricii, Innocentii,* etc.; ergo.

R. — *D. A.* Pontifices Romani ceu genuinas admiserunt illas Decretales veterum Pontificum, qui Siricium antecesserunt *N.* qui Siricio successerunt *C.* Nam

1° Si illæ Decretales tempore S. Leonis extitissent, is commendasset præprimis epistolas Anacleti, Hygini, Pii et Aniceti; nomine ergo omnium Prædecessorum suorum, quorum Decretalia Constituta custodiri mandat, præter Clementem I, Cornelium, Julium I, Liberium et Damasum, intelligit Siricium, Innocentium I (a quo in cit. epist. initium duxit), Cœlestinum, Zosimum, Bonifacium, Sixtum III, non vero Pontifices Siricio antiquiores, de quibus hic controvertitur.

2° De iisdem intelligendus est Gelasius, insuper vero additis Decretalibus S. Leonis, Hilarii, Simplicii et Felicis III. Decessorum Gelasii : hæ scilicet diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione datæ fuerunt.

3° Neque Leo IV de priscis Decretalibus loquitur : quamvis enim Sylvestri hujus tamen solius Decreta memorat, ad hæc putant nonnulli pro *Sylvestri,*

Siricii, legendum, *scilicet Siricii*, eo quod vetus Ecclesiæ Romanæ Canon nullas Sylvestri regulas habeat; alii probabilius censent, citatum a Leone Sylvestrum non ratione epistolarum, sed relate ad acta Romanæ Synodi sub Sylvestro jam conficta, uti evidenter colligitur ex ipsiusmet epistolæ initio, ubi profert constitutum in dicta Synodo ordinem judiciorum canonicorum. Et de hisce Actis memorat tum Gelasius in Synodo Rom., tum Synodus VII œcum., 60 et amplius annis ante Leonis IV epistolam.

Inst. 1. Nicolaus I de epistolis veterum Pontificum, qui Siricium antecesserunt, in epist. 47 ad universos Galliæ Episcopos, decernit eas esse recipiendas, etsi in codice Canonum non sint adscriptæ; ergo. Atque hinc auctoritas illarum Decretalium, quas ab 800 jam annis receperant Præsules Gallicani, circa annum 992 in Concilio Remensi omnino firmata est.

R. *Ad* 1. — *D. A.* Decernit eas esse recipiendas in vim Canonis, ac quidem arguendo ad hominem contra Galliæ Episcopos *C.* esse recipiendas ut genuinas, idque ex propria sententia decernit *N.* Nicolaus I Papa vere eruditus nequaquam intendebat, priscorum Pontificum epistolas, quas procul dubio noverat esse pseudepigraphas, probare tanquam genuinas, quia de hoc ipsi cum Gallis controversia nulla erat; sed solum habere vim legis ecclesiasticæ, quod tum negabant Galli, eo quod in codicem Canonum relatæ non essent. Hujus ergo rationis inefficaciam ut ostenderet, inferebat Nicolaus : ergo jam nec Gregorii scripta, imo nec ipsas divinas Scripturas novi ac veteris Testamenti recipimus, quia in codice Canonum ecclesiasticorum non sunt insertæ. Urgebat porro : si vero recipiendum V. et N. Testamentum esse dicitis, quia utrumque recipiendum esse sancitum est Decreto Innocentii I, quod in codicem Canonum relatum est; ergo pariter epistolæ veterum Pontificum recipiendæ sunt, quia Decreto Leonis P. cavetur, omnia decessorum suorum Decretalia Constituta custodienda esse.

Ad 2. — *D. A.* Gallicani Præsules aliqui illas receperunt ut genuinas *C.* omnes *subd.* sine prævio examine et crisi *C.* prævio examine critico *N.* Sane Hincmarus Metropolita Remensis, quorum plures alii haud dubie consenserint, eas ut genuinas non recepit, dum Hincmaro Laudunensi Episcopo apud Flodoard, L. 3, c. 21 ita reposuit : *Quærens adinventiones, ut te Metropolitica subjectione posses exuere, libellum de Patrum Antiquorum scriptis ante sacros Nicænæ Synodi, aliorum Sanctorum canones editis collegisti, in quibus sententias inter se dissonas, et contra Apostolicam atque canonicam, et Apostolicæ sedis auctoritatem*, etc.

Inst. 2. Nicolaus I verba Gelasii ad omnes omnino Decretales extendit, quæ suo tempore omnium manibus terebantur; atque ex iis veterum Pontificum decretis demonstravit, Episcopum inconsulto Pontifice Romano deponi non posse in Conciliis Provincialibus, etsi si Romanam Sedem non appellasset; ergo reipsa genuinas esse censuit.

R. — *N. C.* Esto 1^{um} præter mentem Gelasii, 2^{um} etiam præter sententiam propriam de genuina illarum epistolarum auctoritate fecerit Pontifex; utrumque fecit tamen, nimirum ut Galliarum Episcopos, qui illas epistolas tanquam veras et genuinas Decretales admittebant, argumento ad hominem convinceret, parem iis, tametsi in *Codice Canonum* non extantibus, auctoritatem competere, ac aliis sanctionibus canonicis *in Codicem* relatis.

Minus vero apposite ex his infertur a nonnullis, Nicolaum I æstu conten-

tionis abreptum idcirco priscarum epistolarum vindicem se præstitisse, ut illarum auctoritate novum jus Romanæ Sedi vindicaret, et Metropolitanorum, Synodorumque Provincialium debilitaret dignitatem : quis enim nescit, quod et THOMASSINUS asserit P. 1, L. 1, c. 48, Romanos Pontifices sæpe non parum contulisse ad stabiliendam Metropolitarum auctoritatem, non raro monuisse Metropolitas de illa strenue defensanda, non ægre etiam confirmasse CONCILII TRID. decreta de illorum potestate et vindicata et aucta? Si vero circa seculum IX ea invaluit disciplina, ut de causis præcipue criminalibus Episcoporum Roma cognosceret, id non exinde ortum, quod Romani Pontifices jura Metropolitarum imminuta vellent, sed vel ob vitium simoniæ inter Ecclesiasticos tum frequens, vel ob socordiam et oscitantiam quorumdam Metropolitarum, eorumque non æquam semper dominationem; quibus adde schisma Imperatorum adversus Pontifices, indeque rerum facile omnium turbatum ordinem.

119. *Observa.* Quis demum epistolas illes fabricaverit, ac priscis Pontificibus supposuerit, incertum est : non fuit illarum artifex S. ISIDORUS Hispalensis, uti certum ex dictis hactenus : non alius quis Isidorus Episcopus Hispalensis, quia ab obitu S. ISIDORI usque ad annum, quo editæ sunt Decretales illæ, nullus Ecclesiæ Hispalensis Episcopus fuit Isidorus : atque ex eodem fere calculo neque Riculphus Archi-Episcopus Moguntinus dici earum compilator potest, quamvis easdem, teste Hincmaro Remensi, per Galliam divulgaverit. Tandem viri eruditi passim autumant, illum ISIDORUM MERCATOREM, cujus nomine vulgatæ sunt illæ Decretales epistolæ veterum Pontificum ante SIRICIUM, fuisse magni nominis monachum, qui se *Peccatorem* dicere solebat, scribas vero oscitantes ex *Peccatore* fecisse *Mercatorem;* ita MORINUS.

CAPUT IV.

DE PROMULGATIONE, ACCEPTATIONE, OBJECTO, SUBJECTO, ET EFFECTU LEGIS HUMANÆ.

ARTICULUS I.

DE PROMULGATIONE LEGIS HUMANÆ.

§ I.

Promulgatio legum generatim.

120. *Nota.* Promulgatio est intimatio seu propositio legis a legislatore iis facta, a quibus legem vult adimpleri. *Publica* et *solemnis* dicitur, qua per vocem præconis aut publicum programma lex subditis intimatur : *Privata*, qua ex defectu quocumque lex communitati nequit innotescere : *Vulgaris*

sive *divulgatio*, vi cujus lex per aures et conscientias singulorum diffunditur. Indubium est, requiri promulgationem ad rationem legis positivæ, præsertim humanæ actu obligantis, quia ad incognitum non datur obligatio; dixi, *legis humanæ*, eo quod lex naturalis congenita haud indigeat promulgatione. Certum quoque est, non esse necessariam divulgationem, seu intimationem juridicam singulis faciendam, utpote moraliter impossibilem; itaque quæritur 1. Sitne promulgatio publica legis ad vim obligandi necessaria? 2. An lex publice promulgata statim omnes et ubique obliget? 3. Utrum requiratur solemnis promulgatio legis in singulis locis?

121. *Dico I.* **Promulgatio publica essentialiter requiritur ad vim legis proxime obligantis.**

Prob. Lex est locutio publica Principis ad subditos; ergo cum Princeps quidem loqui possit sine promulgatione, non vero intelligatur loqui ad subditos, nisi ejus locutio per promulgationem dirigatur ad subditos, hæc necessaria est tum ex parte subditorum, qui ad incognitum obligari nequeunt, tum ex parte legis, quæ sine illa non habet completam rationem legis, adeoque nec vim obligandi, quamvis privata detur ejus notitia. *Conf.* Ad can. *In isto.* D. 4 dicitur : *Leges tunc instituuntur, dum promulgantur*; et L. 9, Cod. de LL. : *Leges sacratissimæ intelligi ab omnibus debent, ut universi præscripto earum manifestius intellecto prohibita declinent, et faciant præcepta.*

Si ais 1°. Lex jam datur ante promulgationem, quia datur potestas et voluntas legislatoris; ergo.

R. — *D. A.* Lex incompleta, habens vim obligandi solum in actu primo *C.* Lex completa, et actu obligans *N.* Vis directiva et obligativa legis, saltem *ut quo*, essentialiter dependet a promulgatione iis facta, qui obligantur; non ergo sufficit ad rationem legis completam, quod lex in mente legislatoris existat, neque quod in concilio Principis sit edita : sed ut sit regula totius communitatis, toti communitati publica promulgatione intimari debet. Hæc promulgatio se non habet tanquam *mera conditio* vel applicatio, ut v. g. approximatio ligni respectu ignis, aut cognitio respectu bonitatis, sed promulgatio legem, sicut revelatio motivum fidei *partialiter* constituit; hinc can. 3, Dist. 4 dicitur : *Leges instituuntur, dum promulgantur.*

Si ais 2°. Cap. 1 de post. Præl. dicitur, legem obligare, *si solemniter editur aut publice promulgatur*; ergo non requiritur determinate promulgatio publica.

R. — *N. C.* Quia τό *aut* non sumitur *disjunctive*, nisi solemnis editio legis facta coram populo, uti mos erat Romanorum, æquivaleat publicæ promulgationi per præconem; sed *expositive* pro *id est*, tum quia alibi idipsum fieri DD. testantur, tum quia in multis textibus legitur, *et*, non *aut* : nam nihil novi est, idem aliis verbis, sed clarioribus exprimi.

122. *Dico II.* **Lex publice promulgata non statim, sed successive obligat omnes.**

Prob. Sicut lex nequit obligare ad impossibile, ita nec modo impossibili : impossibile autem foret, legem hodie v. g. promulgatam Romæ, hodie jamdum Wirceburgi obligare; ergo tametsi dicatur statim obligare, non simul tamen omnes prius obligat, quam intra tempus moraliter sufficiens notitia

et promulgatio legis facta diffundatur per totum territorium; hinc c. 1 de concess. Præb. in 6 habetur, quod *lex seu constitutio et mandatum nullos adstringant, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem, aut nisi post tempus intra quod ignorare minime debuissent;* quantitas vero temporis vel relinquitur prudenti judicis arbitrio, vel designatur a legislatore certum obligationis initium præscribente.

123. *Dico III.* **Leges civiles pro toto Imperio promulgari debent in singulis provinciis.**

Prob. Ex Novell. 66, c. 1; insuper autem fluxus duorum mensium a facta promulgatione requiritur juxta rubricam Nov. 66 præfixam, *ut factæ novæ constitutiones post insinuationes earum post duos menses valeant.* Equidem Imperator hic loquitur de suis constitutionibus *Testamentariis;* attamen quia verba Rubricæ generalia sunt, et Rubrica, quæ per *ut* vel *ne* incipiens sensum completum reddit, censetur valere in vim legis: hæc doctrina solet ad alias quoque leges Imperiales extendi, maxime quod cit. Nov. § 3 dicatur: *Si vero nondum hactenus in omnibus provinciis hæc lex destinata est, velociter et eam, et alias... postea a nobis faciendas mitti nunc vel mittendas esse, quatenus nostræ constitutiones in metropolitanis civitatibus fiant, vel faciendæ sint manifestæ.* Attamen hæc extensio non omnibus probatur, quia, ut notat Cujacius ad Nov. 69, et L. 20 observ. 33 rubricæ Novellarum non auctoritate Justiniani, sed pro arbitrio studiosorum sunt adjectæ; et peculiares fuere rationes de legibus *Testamentariis* id statuendi. Sane in praxi hæc doctrina non obtinet nequidem in legibus civilibus, ut mirum sit, eam a nonnullis ad leges etiam ecclesiasticas extendi; hæc vero de *promulgatione legis ecclesiasticæ* in singulis Diœcesibus quæstio cum solemnis censeatur esse, visum est, utriusque sententiæ, affirmantis et negantis fundamenta hic ita discutere, ut absque præjudicio alterutrius sua cuivis perstet probabilitas.

§ II.

Momenta sententiæ Affirmantis, *necessariam esse solemnem legum ecclesiasticarum promulgationem in singulis Diœcesibus.*

124. I. Jus naturæ tametsi certam promulgationis formam non præscribat, requirit tamen, ut per eam notitia legis *certa* obtineatur *a moraliter universis,* eaque notitia perveniat *ab auctoritate publica,* a qua omnis vigor legis emanat; ergo ut lex ecclesiastica obliget omnes Ecclesias, requiritur publica in singulis Diœcesibus promulgatio legis. Durum profecto est, statim obligare gentes remotissimas per promulgationem tantum Romæ factam; imo vix possibile videtur, legem Pontificiam, nisi in singulis Diœcesibus promulgetur, exaudiri ab Ecclesia per totum orbem diffusa, præsertim cum neque populus Romanus totam fidelium communitatem, neque Legati et Residentes omnia Christiani orbis regna et provincias in suis personis exhibeant. Tandem promulgatio in singulis Diœcesibus facta mire promovet observantiam legum ecclesiasticarum, et si qua forte insit, asperitatem mitagat ac temperat.

125. II. Ea ex NATURA REI necessaria est conditio ad legis ecclesiasticæ valorem, cujus defectu ingens legum ecclesiasticarum moles jacet inculta apud plures Ecclesias et integras nationes : sed defectu singularis promulgationis innumeræ leges et Bullæ Pontificiæ jacent sine usu et effectu in Gallia, Germania, etc.; ergo legum ecclesiasticarum promulgatio non solum apud Romanos et Italos, sed in omnibus Christiani orbis diœcesibus fieri debet. Præterea melius norunt Episcopi, quam *Curia Romana*, quid suis diœcesanis conveniens sit et accommodatum; proinde Papa censendus est nolle obligare suas constitutiones, nisi ab Episcopis examinatæ, approbatæ ac promulgatæ fuerint.

126. III. CHRISTUS ipse, cujus exemplum securissima agendorum regula est, legem evangelicam, quamvis Hierosolymæ solemniter promulgatam, tamen ab Apostolis etiam per universas orbis provincias voluit promulgari; ergo etiam lex ecclesiastica licet Romæ promulgata, tamen etiam ab Episcopis per singulas diœceses promulganda est. Christi exemplum secuti sunt APOSTOLI, qui leges a se latas pro gentibus conversis non tantum in Concilio Hieros. promulgarunt, sed et miserunt Judam ac Silam ad eas Antiochiæ, in Syria et Cilicia promulgandas. Idipsum confirmat praxis ECCLESIÆ, quæ in Concilio NICÆNO, congregata ad omnes Ecclesias transmisit acta Concilii; post Concilium EPHESINUM ad clerum et populum ubivis terrarum missi sunt canones ducentorum PP., addita ratione : *quoniam oportet absentes a S. Synodo, morantesque in urbibus et provinciis hæc non ignorare;* LATERANENSE IV præcipit, constitutionem de professione simoniaca ab Episcopis per suas diœceses publicari; et c. 13 de pœnit. et remiss. statuitur, pœnam in medicos decretam non incurri, nisi ea per locorum Prælatos fuerit promulgata, etc.; ergo etiam Pontifices exemplum Christi, Apostolorum et primitivæ Ecclesiæ in condendis legibus sequi oportet.

127. IV. SUMMI PONTIFICES, CONCILIA item PROVINCIALIA suffragantur : nam Pontifices non raro præceperunt suarum Constitutionum in singulis diœcesibus promulgationem; Synodus vero Arelatensis I in epistola ad Papam data hæc de gestis et decretis suis addit : *Placuit etiam a te, qui majores diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari;* ex his vero ZEPHYRINUS in quavis Christiani orbis parte publicari curavit Decretum de reddenda Ecclesiæ pace mœchis pœnitentia functis. Simili modo Synodus Sardicensis scripsit ad JULIUM P.; PIUS IV in Bulla, *Sicut ad sacrorum,* decreta CONCILII TRID. non voluit obligare prius, quam fuerint per singulas adeo parochias promulgata; S. CAROLUS BORROM. in orat. prævia ad Syn. XI. Diœces. inter alias causas eam congregandi, allegat hanc, quod hic applicatio fiat magis particularis Conciliorum tam generalium, quam particularium; ergo *stylus Curiæ Romanæ*, quo leges ecclesiasticæ Romæ tantum promulgatæ obligent universam Ecclesiam, videtur serius invaluisse per plurima secula incognitus in Ecclesia.

128. V. JUS CANONICUM in iis casibus, in quibus nihil clare disponit, regulatur juxta leges civiles, c. 1 de nov. op. nunt., et can. 7, Dist. 10; cum ergo a jure canonico non determinetur universalis forma promulgandorum Canonum, horum promulgatio fieri debet ad præscriptum Nov. 66, ita ut,

sicut leges Imperii in singulis provinciis, ita ecclesiasticæ in singulis diœcesibus promulgentur. Sane regimen ecclesiasticum suavius esse debet regimine civili, minusque dominatum sapere juxta illud Christi : *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Ad hæc *motivum,* quod impulit Imperatores ad promulgationem legum civilium in singulis provinciis, servit etiam pro tali promulgatione legum ecclesiasticarum, nimirum ut evitetur confusio, et servetur uniformitas in subditis.

129. VI. Doctores et numero et auctoritate potiores tuentur hanc sententiam hodie fere communem; ergo videtur naturæ ipsarum legum et praxi Ecclesiæ multum conformior. Ipse adeo Suarez hac in parte alias dissentiens fatetur, L. 3, c. 16, num. 2 de Legibus, *Lex, donec respectu communitatis habeat statum legis, nec incipit obligare singulos, donec possit communitatem obligare, quod optime explicatur in legibus editis in generali Concilio : nulla enim potest esse solemnior editio ante promulgationem, et nihilominus non sufficit, nisi sequatur promulgatio.* Demum in Gallia, Hispania, Lusitania, Sabaudia, Sicilia, Belgio, et Neapoli notorie receptus est usus *Placeti Regii,* quidni et in Germania? siquidem pars sit juris Majestatici, eidem intime et essentialiter inhærens, quam nullus Principum a se abdicare valeat? ergo ut leges Pontificiæ totam Ecclesiam obligent, non sufficit earum promulgatio Romæ facta, sed requiritur etiam *promulgatio in singulis Diœcesibus.*

§ III.

Momenta Negantis, *necessariam esse solemnem legum ecclesiasticarum promulgationem in singulis Diœcesibus.*

130. I. De Jure Naturæ non requiritur amplior legis promulgatio, quam ut toti communitati lex innotescere possit, saltem morali certitudine; imo teste Cardenas nullus unquam auctor docuit, legem ecclesiasticam *ex natura sua* requirere promulgationem in singulis diœcesibus : cum nequidem ad legem imperialem quisquam requireret promulgationem in singulis provinciis, nisi id jure positivo ab Imperatore Nov. 66 sancitum esset; sicut juxta omnes ad legem Regni etiam amplissimi sufficit, quod ea sit publice promulgata in urbe Regni primaria, omnesque subditos Rex obligare velit. Porro ex communi fidelium persuasione obligant *leges declaratoriæ juris naturalis* et *positivi divini,* si quando moraliter certum sit, Romæ a Pontifice quid declaratum tanquam *juri naturali* aut *divino* contrarium; idem fere est de lege *præceptiva, prohibitiva, irritante, suspendente, annullante* respectu illorum, qui habuerunt vel habere potuerunt moralem certitudinem legis a legitimo Superiore promulgatæ. Demum plures *Bullæ Pontificiæ, Constitutiones, Decreta* et *Regulæ Cancellariæ* obtinent etiam in Germania, quamvis non constet. eas ab Episcopis in diœcesibus solemniter promulgatas fuisse; ergo Pontifex potest et vult obligare universos, nisi aliud declaret per unam solemnem Romanam promulgationem, id quod patet ex Constit. Clem. V, 115, Urban. VIII, quæ incipit : *Romanus Pontifex,* Innoc. XII. Bulla : *Speculatores,* etc.

2° Lex, quantumvis Romæ publice promulgata, non *statim* omnes fideles

obligat, nisi post sufficientem illius notitiam, quod certe nihil duri habet. Est autem Roma urbs totius orbis princeps : datur ingens urbis et orbis commercium : non tantum Regum Legati, sed Episcoporum etiam Procuratores, atque omnium fere nationum homines Romæ degunt, qui Principes et Episcopos transmissis ad eos authenticis copiis facile edocere possunt : *Curia* quoque *Romana* novas Constitutiones mittere solet ad Nuntios Apostolicos et Episcopos, non tam ut solemniter promulgentur, quam ut facilius innotescant et deducantur in praxin : demum viri litterati has leges statim inserunt libris, aut in exteras provincias transmittunt ; exin ergo sufficiens notitia hauriri potest, scilicet intra lapsum temporis, quo potuit promulgatio Romæ facta nobis *moraliter certo* innotescere, quod tempus pro varia locorum distantia varium est.

3° Esto, mitiorem videri posse viam singularis ubique promulgationis ad obtinendam facilius observantiam legum, id tamen Sedi Apostolicæ incognitum non est, quæ nihilominus ex gravioribus causis judicat non expedire, aut requiri *universim*, ut singularis ejusmodi promulgatio ubique fiat. Nulli profecto fidelium videtur asperum, debere assentiri ac obedire definitioni Ecclesiæ circa propositiones damnatas, licet earum damnatio Romæ tantum promulgata fuerit ; cur in aliis Ecclesiæ legibus tanta sit difficultas? præsertim cum propositiones damnatæ non omnes sint declaratoriæ *juris naturalis* aut *divini*, sed multæ loquantur de jejunio, de causis a jejunio excusantibus, de horis canonicis recitandis, de privilegiis Regularium, et horum similibus, adjectis etiam censuris : hæc vero juri *naturali* aut *divino* haud subjacent.

431. II. Leges Pontificiæ, quantumvis Romæ publice promulgatæ, si quando non vigeant in exteris provinciis, hujus causa non est defectus *sufficientis promulgationis* : nam verisimile non est, quod Pontifex per leges in Curia Romana et in acie campi Floræ, atque ad valvas Basilicæ Apostolorum affixas solum intendat obligare Romanos, præcipue dum in Bulla exprimit, velle se, ut statim absque ulteriore promulgatione obliget, ad omnes fideles directa. Ecclesia summopere desiderat et amat in suis fidelibus *conformitatem* : quanta vero difformitas, confusio ac perturbatio foret, si fideles alii acceptent, alii non acceptent leges a Papa vel a Concilio latas, quarum tamen plures versantur circa fidei dogmata et propositiones damnatas tanquam legi naturali, divinæ et humanæ contrarias? Causæ igitur sunt, *privilegium* et indulgentia Sedis Apost., aut *consuetudo contraria* : quippe vel Episcopi aut Nuntii Apostolici Pontificem informarunt de difficultate legis respectu hujus vel illius provinciæ, sicque Pontifex acquievit non censens urgendam esse suæ legis executionem : vel plures Christiani Reges ac Principes habent *speciale privilegium*, quo indulget Pontifex, ut Bullæ non obligent, nisi in illorum provinciis promulgatæ : vel juxta *praxin* et *consuetudinem* diœcesium censent fideles, se non obligari legibus ecclesiasticis, nisi a proprio Episcopo ipsis fuerint intimatæ; quæ *consuetudo* ubi viget, non est reprobanda, quia gravibus nixa rationibus, et auctoritate gravium DD. : vel abstrahendo a tali *consuetudine* fideles sequuntur sententiam vere probabilem, quod sicut leges Imperiales, ita et Pontificiæ ut obligent, in singulis provinciis debeant promulgari.

2° Episcoporum est, *Constitutiones Apostolicas* Roma submissas suis diœcesanis publicare, vel si diœcesi minus congruant, cum Rom. Pontifice de obligatione legis pro hoc loco suspendenda agere ob ejus difficultatem, indolem et mores provinciæ, aliasque circumstantias. Unde si Episcopus legem ejusmodi novam non divulget, suspicari poterunt diœcesani, id fieri ex consensu Pontificis nolentis urgere obligationem legis suæ pro tali diœcesi; sic autem non est defectus ex parte legis in se completæ, sed ex parte hominum, qui *per accidens* excusantur; nisi tamen sciant, publicationem legum vel malitiose, vel ex negligentia omitti solere.

132. III. Legis Evangelicæ prædicatio Apostolica non fuit solemnis promulgatio, de qua hic sermo est, sed *divulgatio* ad aures et conscientias singulorum, cum *fides* sit *ex auditu* : sicut fere hodiedum ubique prædicatur Evangelium, non ut per hanc prædicationem lex constituatur, sed ut omnibus sufficienter notificetur; atque hoc sensu etiam leges ecclesiasticæ tum per Episcopos, tum in scholis a DD. explicantur et notificantur : sæpe etiam usus et praxis vicem promulgationis subeunt in provinciis. Si vero dicatur promulgatio fuisse solemnis, ea tum necessaria fuit ex mandato Christi, *ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ;* nec non ex natura Ecclesiæ per miracula et divulgationem mysteriorum ex judæis et gentibus instituendæ. Jam vero non est *universim* ea necessitas, nec Christus præcepit hunc modum promulgandi leges ecclesiasticas; ergo res tota pendet ex arbitrio summi Antistitis. Præterea conveniens erat illa Judæ ac Silæ missio ad Antiochenos, ut Concilii responsum ad illorum dubia referrent.

2° Facta Conciliorum probant quidem praxin Ecclesiæ, non tamen *ex natura rei* necessariam, sed tempori et circumstantiis congruam. Missis namque et publicatis ubique Constitutionibus ecclesiasticis, refractarii et pervicaces ignorantiam prætexere non poterant, et fideles persecutione dispersi paterna supremi Pastoris voce recreabantur, serpentibus item hæresibus, aut grassante schismate, per Ecclesiæ sensum et auctoritatem firmabantur. Ad hæc Concilii Nicæni et maxime Ephesini Decretum non tam erat de legibus positivis, quam de dogmatibus fidei, quorum solemnem promulgationem nemo requirit ad valorem ipsis comparandum, sed prout ratio adjecta docet, ad illorum notitiam omnibus intimandam. Concilii Later. Constitutio de Simon. sic habet : *Verum ne per simplicitatem vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus, ut diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas diœceses publicari,* qui modus promulgationis adversæ sententiæ neutiquam favet. Demum clausula illa, quam addidit Pontifex circa pœnam a medicis incurrendam, est specialis exceptio et firmat regulam in contrarium, ita ut lex Romæ promulgata obliget etiam in aliis provinciis, nisi in lege specialis addatur clausula, prout advertit Cardinalis Petra, styli et curiæ Rom. peritissimus, qui Comment. Tr. I, f. 13, num. 32 ait : *Papa, quando vult in Constitutione restringere obligationem tantum in Italia, id dicit expresse in eadem Constitutione, ut in Const.* 83. Clem. VIII, etc..

133. IV. Quod Rom. Pontifices non raro velint, necessariam esse suæ legis promulgationem in singulis diœcesibus : quod sæpe addant clausulam, se nolle obligare ante solemnem in provinciis promulgationem : hæ sunt *ex-*

ceptiones, quæ firmant regulam in casibus non exceptis. Sane prædicta clausula esset frustranea, si abs illa jamdum *per se* lex in provinciis non specialiter promulgata non obligaret; id ergo fecere Pontifices, non quod *per se* requiratur singularis illa promulgatio ad valorem et obligationem legis, sed tum ut suarum legum, præsertim in re gravioris momenti, et urgente periculo, inter fideles notitia ac observantia facilior sit, suavior et efficacior, tum etiam ut *ordo Hierarchicus* hac ratione magis commendetur.

2° Zephyrini P. factum non obligationem probat, sed usum illorum temporum ex speciali ratione convenientem : quippe primis Ecclesiæ seculis, dum fervebat persecutio, nonnisi per litteras et nuntios ad singulas Ecclesias missos legum Pontificiarum notitia haberi poterat; ex harum autem litterarum pronuntiatione valorem legum *per se* non dependisse, vel ex eo patet, quod ex iis plures dogmata et articulos fidei referrent. Postulata vero a Concilio Arelat. promulgatio per Pontificem omnibus Ecclesiis facienda in eo duntaxat fuit, ut, quod ex epistola colligitur, Papa canones ab Episcopis singulis pro singularibus tantum diœcesibus constitutos suprema auctoritate firmaret, atque ad omnes provincias earum obligationem extenderet. Ad Concilium Sardicense idem dicendum, quod ad Nicænum; profecto nec Sardicense, nec Arelatense asseruit aut decrevit, quod canones ante non obligent, quam in singulis diœcesibus promulgati, quamvis a Pontifice, aut in Concilio promulgatio facta sit.

3° In tota Bulla Pii IV non legitur, quod Concilium Trid. non obliget, nisi in singulis Parochiis prius promulgatum. Esto, quod voluerit, decreta Concilii Trid. non obligare ante lapsum trium mensium a finito Concilio; tamen Novellam 66 propterea non canonizavit *universim* quoad tempus certum obligationis : minus vero etiam quoad promulgationem in singulis provinciis. Statuit autem Concilium Trid. singulare quid circa legem irritantem matrimonia clandestina, publicationem scilicet in singulis parœciis, et post 30 dies ab hac publicatione initium obligationis; sicut ergo exinde nemo infert, omnes alias leges Pontificias irritantes debere in singulis parœciis promulgari, ita nec inferri potest singularis promulgationis necessitas. S. Caroli Borr. oratio declarat methodum facilius et efficacius leges ecclesiasticas deducendi in usum, at novam identidem promulgationem ex natura rei necessariam non evincit.

4° Quod Stylus Curiæ Rom. circa promulgationem legum ecclesiasticarum serius invaluerit olim incognitus, partim videtur falsum, eo quod olim ex dictis hactenus non tam solemnis ubique promulgatio quam auctores requirunt, sed *divulgatio* ad habendam notitiam legis moraliter certam facienda statuebatur, idque speciales ob causas, quæ hodiedum cessant : partim non obstat, quia si summus Ecclesiæ Antistes hanc præcise formam promulgationis determinet, idque gravibus de causis, nemo sane Catholicus citra injuriam Sanctæ Sedis inficiabitur, fieri id posse et *jure* fieri, siquidem nec ex natura rei, nec de jure canonico necessaria sit promulgatio in singulis diœcesibus : constitutionem vero civilem nec *universim* adoptarunt Pontifices, nec eam sequi debent.

134. V. Novella 66 nec invenitur acceptata ab Ecclesia, nec modum aut formam legibus Pontificiis præscribere potest, *quoniam legibus non con-*

stringitur sancta Ecclesia, can. 8, Dist. II; quamvis enim legislator ecclesiasticus possit id, quod jure civili clare decisum est, suis quoque legibus aptare; hujus tamen nulla est obligatio aut necessitas; solum ergo illa regula tenet pro causis judicialibus, minime extendenda ad modum ferendi leges ecclesiasticas, qui longe gravior est, et ad propriam summi in terris Legislatoris ecclesiastici actionem ac potestatem pertinet. Ad hæc tametsi jus canonicum scriptum non determinet *modum* promulgandi leges ecclesiasticas, jus certe consuetudinarium, usus et praxis Curiæ Rom. satis declarat, quod, si Pontifex per specialem clausulam non restringat legem ad solam Italiam, legem suam ad omnes fideles directam omnes velit obligare etiam sine nova et speciali promulgatione. Præterea Romæ deciduntur lites et causæ omnes secundum jura Romæ promulgata, quod justum non foret, si illa jura in aliis provinciis non obligarent ex eo quod Romæ tantum solemniter fuerint promulgata : sic testatur Suarez ex Joanne Andrea electionem in quadam provincia factam contra Constitutionem Romæ tantum promulgatam, fuisse irritatam : idipsum de Regulis Cancellariæ notat Gomez, saltem in quantum non derogatur Concordatis Nationum : Azor, Laymann et plures alii idem testantur de multis Pontificum Rescriptis ac Bullis, quæ non sunt insertæ Corpori juris can.; multi item alii canones, quamvis eidem inserti, ubinam, præterquam Romæ sunt promulgati? Accedit *sensus fidelium*, qui circa propositiones damnatas obsequendum esse Pontifici persuasum sibi habent, seque subjacere censuris statutis in eos, qui damnatas ejusmodi teneant, doceant, aut in praxin deducant, quamvis censuræ illæ antehac non fuerint statutæ; vel ergo dicendum, iniquam esse *Curiam Romanam*, vel fatendum, quod juxta *stylum Curiæ Rom.* promulgatio Romana sit sufficiens.

2° Illa Christi verba, *reges gentium dominantur eorum*, etc., quem sensum faciant, satis alibi dictum. Neque durior potest videri hoc modus obligandi fideles, qui non obligantur, nisi lex Romæ promulgata ipsis *certo* innotescat : facile vero innotescere potest ex dictis num. 130. Ad hæc in rebus periculi et gravioris momenti solet addi clausula, ut lex Romæ promulgata in singulis itidem diœcesibus solemniter promulgetur.

3° *Motivum*, quod impulit Imperatorem ad condendam Novellam, peti solet inde, quod sedes et curia Imperatorum non fuerit stabilis ac fixa, facile huc illuc translata : Sedes autem Pontificia vaga non est per provincias, sed fixa Romæ; ergo est motivorum diversitas. Novella tamen non obstante, poterit hodiedum Imperator cum Statibus per Recessum Imperii post factam in urbe, in qua Comitia habentur, promulgationem, sine alia speciali in singulis provinciis, omnes Imperii cives obligare, ad quos legis imperialis notitia pervenerit. Neque in sententia adversa evitatur confusio et difformitas, quia in una provincia daretur obligatio, non item in alia, maxime cum plures auctores admodum liberales sint quoad *placetum regium*. Si qua est difformitas, ea *per accidens* habetur, omni ferme legi communis, etiam naturali, quæ scientes obligat, ignorantes in *actu secundo* non obligat. Deinde si diversitas illa quandam deordinationem inferret, lex aliis facile intimata reddet conformitatem. Demum licet ad vitanda quædam incommoda videatur magis accommodata specialis promulgatio; ob alias tamen causas potuit oppositum esse congruentius, tum ad commendandam majorem Ecclesiæ unitatem, et majorem fidelium erga Caput Ecclesiæ obedien-

tiam, tum ne leges Pontificiæ videantur pendere ab Episcopis, aut a Principibus etiam secularibus ac potentibus hominibus, a quibus facile impediri posset promulgatio in suis provinciis, sicque reddi frustraneæ *Constitutiones Apostolicæ*, non sine magno præjudicio ecclesiasticæ potestatis.

135. VI. Fatendum omnino, suam esse sententiæ oppositæ PROBABILITATEM tum *intrinsecam* tum *extrinsecam*; inter ipsos tamen adversarios haud satis convenit, cum alii mutaverint opinionem, tum quod contra eam stent decisiones Rotæ apud Cardinalem de LUCA, tum quod in decreto ALEXANDRI VII, variæ damnentur propositiones, illo nixæ fundamento, quod lex in provinciis non promulgata non obliget: alii nec satis clare, nec universim loquuntur: alii promulgationis nomine *divulgationem*, aut claram et certam promulgationis Romanæ notitiam intelligunt. Attamen sententia negans tam auctoritate, quam pondere rationum certe par, si non potior est, atque inter sacri juris interpretes fere communior.

2° Verba SUARESII Tr. de Legibus, L. 3, c. 16, num. 2, non sunt de promulgatione legis Pontificiæ in singulis diœcesibus facienda (de hac enim quæstione primum agit libro 4) sed de promulgatione legis simpliciter contra PANORMITANUM, qui in cap. 1 de Postul. Præl., num. 10 propter illa verba, *solemniter editur, aut publice promulgatur*, distinguit inter publicam promulgationem, et solemnem editionem, qua lex in publico concilio Regis, aut senatorum reipublicæ conscripta vel definita est, docens legem sic editam sine publica promulgatione, esse veram legem proxime obligantem; atque contra hoc assertum Panormitani pugnat SUARESIUS dicens, solemnitatem ad legem requisitam non tantum esse ex parte *conditorum legis*, sed etiam in ordine ad *communitatem, et ideo*, ait, *non est lex, donec respectu communitatis habeat statum legis*... opponitque concilio Regis Concilium generale Ecclesiæ, cujus leges, quamvis in Concilio gen. solemniter editæ, ut obligent, requirunt publicam promulgationem.

3° PLACETUM REGIUM ubi vel ex speciali privilegio, vel ex usu et consuetudine hactenus viguit, neutiquam est reprobandum: utrum vero in Germania etiam et universim hodie obtineat, valde dubium est; hinc, credo, ii, qui in hanc opinionem propendent, vix ausint publice id asseverare, sed duntaxat per modum quæstionis proponere: *quidni et in Germania?* Sane si ab hisce auctoribus non tantum asseratur, sed et solide probetur, usum placeti regii esse partem juris majestatici, cui ita inhæreat, ut a nullo Principum abdicari valeat, nemo facile ab eorum opinione dissentiet. Interim eadem facilitate, qua id asseritur, negatur. Id vero si probare adnitantur, simul etiam probabunt, nullam legem ecclesiasticam, aut legem etiam evangelicam primis Ecclesiæ seculis obligasse, eo quod Reges ethnici ac Imperatores earum nullam promulgari concesserint, idque ex jure majestatico, cum non placeret suos hisce legibus subditos ligari; imo Henoticon ZENONIS et Typus CONSTANTIS, queis silentium indicebatur de Concilii Chalced. definitione, injuste fuissent ab Ecclesia reprobata: cum hi Imperatores suo jure usi fuerint, sicut Rex Galliæ ante annos 12, silentium imperans circa Bullam *Unigenitus*, usus fuit suo jure.

Atque ex hisce momentis videtur *sententia negans*, utpote Sedi Apostolicæ magis honorifica, hoc maxime ævo præhabenda, quo non pauci jus et usum

Placeti Regii passim ad omnes Imperantes, imo ad morum et fidei dogmata extendendo, Summi Antistitis auctoritatem atque Ecclesiæ unitatem enervare conantur.

ARTICULUS II.

DE ACCEPTATIONE LEGIS HUMANÆ.

136. *Nota.* Fuere inter JCtos, qui cum NAVARRO et COVARRUVIA *subditorum acceptationem* necessariam dicerent ad rationem legis humanæ, vel tanquam constitutivum ad instar promulgationis, vel ut conditionem, sicut requiritur cognitio legis. Hæc subditorum acceptatio vel sumitur pro consensu eorum in constitutionem legis, et dicitur ad substantiam legis pertinere : vel pro consensu in observationem, vel pro actuali legis observatione, et dicitur spectare ad effectum et accidentalem legis perfectionem, ejusdemque stabilitatem. De lege tam *ecclesiastica*, quam *civili* procedit quæstio, sed extra *statum democraticum*.

137. *Dico.* **Acceptatio subditorum non requiritur ad valorem legis humanæ, nec quoad substantiam, nec quoad effectum, sed duntaxat quoad stabilitatem legis.**

Prob. 1^um^. Potestas legislativa *ecclesiastica* Pontificis est immediate a Christo, Joan. 21 et Matth. 16; *civilis* pro statu Monarchico omnis a populo translata est in Principem, L. 1, ff. *de Constit. Princip.*, et pro statu Aristocratico in optimates; ergo legis humanæ constitutio non dependet ab acceptatione subditorum, sed ab auctoritate potentis et volentis obligare; atque hinc legislator statim urgere potest legis latæ ac promulgatæ observationem, ejus vero transgressores, uti de facto fit, punire.

Prob. 2^um^. Effectus legis, scilicet obligatio subditorum non dependet ab eorum consensu in observationem, sed a virtute legis, quæ est juxta L. 7, ff. de LL. *imperare, vetare, permittere, punire*, et a potestate ac voluntate legislatoris, uti colligitur ex c. 23 *de offic. et potest. jud. deleg.*; hic vero abs consensu subditorum et potest et vult obligare, tum quia simpliciter præcipit aut prohibet, tum quia lex per hoc differt a consilio, tum quia alias nulla aut inefficax foret potestas Superioris, neque ulla inter homines Monarchia vel Aristocratia; imo tot essent legislatores, quot subditi, et Principes potius a subditis regerentur, nec suarum legum observantiam urgere Principes juste possent. Hinc merito damnata ab ALEX. VII, hæc prop. 28 : *Populus non peccat, etsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

Prob. 3^um^. Lex, si non observetur, tollitur per desuetudinem aut consuetudinem contrariam, quam prima non observantia inchoat, et continuata perficit; unde can. 3, Dist. 4 dicitur : *Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur;* firmantur, h. e. non firmitate auctoritatis, sed stabilitatis, per usum scilicet, ut non abeant in desuetudinem et contemplum; quanquam hæc verba non sint ipsius canonis, sed tantum glossema et abjectio GRATIANI.

138. *Obj. I.* Potestas legislativa *ecclesiastica* præcipue spectat salutem *singulorum* fidelium, cum potestatas civilis non tam singulorum civium, quam *universæ reipublicæ* commodum spectet; ergo Pontifex et Episcopi in ferendis legibus attendere debent ad consensum et acceptationem subditorum, ne potestas, quam dedit Christus Ecclesiæ in ædificationem, cedat in destructionem, sæpe causa contumaciæ et perversionis. *Conf.* 1. Ex parobola Evangelica de 99 ovibus, quas Pastor Divinus relinquendas esse docuit, ut salvetur ovis centesima. 2. Ex illis Christi verbis ad Philippum : *Unde ememus panes, ut manducent hi?* queis Christus consilii humani nequaquam indigus docere voluit, pastores Ecclesiæ prius consultare debere cum fidelibus de ferendis legibus.

R. — *N. A.* Lex omnis vel ecclesiastica, vel civilis, ex notione sua dirigitur ad bonum commune; lex justa et rationabilis, qualis est et supponitur esse omnis lex ecclesiastica, male dicitur causa contumaciæ et perversionis, cum *per se* doceat utilia et salutaria, quamvis immorigeri fideles non solum debitam legibus Ecclesiæ reverentiam ac obedientiam vilipendant, sed et jus naturæ, legesque divinas ex abusu libertatis parum curent, id quod *per accidens* fit.

Ad Conf. 1. R. Itidem nimium probatur, scilicet legem utut justam, et a maxima ac saniore etiam parte acceptatam non obligare, nisi a singulis recipiatur; ita sane legum vis omnis eludi posset a plebe libertatis cupida, non sine perturbatione reipublicæ christianæ, et ruina disciplinæ ecclesiasticæ. Prædicta *parabola* nequaquam obstat, si cum interpretibus vel per 99 oves Angelos, et per *unicam* genus humanum, vel per hanc peccatores, et per illas justos intelligas.

Ad Conf. 2. R. Verba Christi citata solum innuunt, quid hinc inde expediat fieri a Prælatis Ecclesiæ *ex œconomia,* non item quod vis obligandi per leges ecclesiasticas proveniat aut dependeat a consensu fidelium, cum ea habeatur ab auctoritate Sedis Apostolicæ, cui præeminentem hanc potestatem ipse Christus concessit. Verumtamen Pontifices Christi exemplum saluberrime sequuntur, dum nunquam *subito* aut leges universales, aut oracula Pontificia, quid credi, quid damnari oporteat, importuna præcipitantia decernant, sed libratis humana diligentia momentis, adhibitis precibus, paterna cum sollicitudine statuant, quid Ecclesiæ filii debeant tanquam verum aut utile amplecti, quid execrari aut fugere tanquam falsum et perniciosum.

Inst. 1. Valde durum est, velle subditos obligare non explorato eorum *consensu* vel judicio de utilitate legum, præsertim cum sæpe nesciat Pontifex, quid singularum provinciarum fidelibus expediat; ergo non acceptatio talis legis tollit, sicut supplicatio vel appellatio a lege suspendit obligationem legis.

R. — *N. A.* Pontifices in omnibus iis, quæ agunt ceu Pastores universales, infallibilem habent assistentiam Spiritus S.; nihilominus semper eam paternæ providentiæ methodum servant, ut suis decretis præmittant diligentem antea conquisitionem, maturam consultationem, canonum ac disciplinæ examen, Congregationum et Consistoriorum consilia, etc. Si quando igitur lex ecclesiastica videretur nimis dura, aut provinciæ moribus et consuetudini contraria, jura haud prohibent, sed potius suadent, justis de causis suppli-

cationem fieri ad legislatorem, ut legem tollat, vel temperet ob nimiam ejus difficultatem, quam legislator haud satis nosse præsumitur. Attamen si certo constet, legem esse latam et promulgatam, nec esse injustam, ea interim servari debet, quia est in possessione juxta illud L. 12, § 1 ff. : *quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est.* Demum licet *appellatio* ad superiorem, quem quidem in terris non habet summus Ecclesiæ Antistes, suspendat obligationem legis ab inferiore legislatore latæ, non item *supplicatio;* ac proin, dum superior supplicantes a lege eximat, lex servanda est. Si vero non acceptatio tolleret obligationem legis, inefficax atque enervis esset omnis potestas legislativa.

Inst. 2. Inutile est ferre leges independenter a consensu subditorum, quia multæ constitutiones ideo præcise non obligant in variis locis, quod ibi non sint receptæ, juxta illud, *lex non acceptata non obligat,* uti lex ecclesiastica de continentia sacerdotum apud græcos, item decreta Reformationis a Concilio Trid. edita; ergo populis liberum est, uti has, ita alias leges non acceptare.

R. — *N. A.* Lex non acceptata dicitur non obligare, tum quia tollitur *per desuetudinem,* ut primi quidem peccent, posteros vero ea non amplius obliget; itaque Ecclesia legem de continentia sacerdotum vel non extendit ad græcos, vel primi transgressores peccarunt : tum quia legislator quandoque non vult obligare nisi illos, qui legem ultro recipiunt, aut saltem tacite connivet, legem iis remittendo, qui eam non recipiunt, id quod de Reformationibus Concilii Trid. dicendum videtur : tum etiam quia lex aliquando est implicite conditionata, ut, si justa causa subsit legem non recipiendi, legislator nolit obligare; dixi *aliquando,* quia leges non semper, nec ordinarie feruntur sub conditione acceptationis.

139. *Obj. II.* Potestas legislativa *civilis* est a populo, qui leges etiam latas per contrariam consuetudinem solet abrogare; ergo leges saltem civiles vim suam habent ab acceptatione subditorum.

R. *Ad* 1. — *N. C.* Nam, legislatore electo et constituto, nefas est ejus mandatis non obsequi; unde illud memorabile Valentiniani responsum, quo recens factus Imperator milites compescuit, qui Valentem Imperatori associatum volebant : *Vestrum fuit, o milites! cum Imperator nullus esset, imperii mihi habenas tradere : sed postquam illud suscepi, meum deinceps, non vestrum est, publicis rebus prospicere,* Theodoret., L. 4 Hist., c. 5.

Ad 2. — *D. A.* Populus solet abrogare leges per consuetudinem contrariam, si legislator statim absolute vult obligare, et erumpenti desuetudini se opponit, uti auctor, ita custos et vindex suarum legum *N. A.* si talis consuetudo subrepat connivente legislatore *C. A.* Si populus per 10 annos legem non observet, et legislator conniveat, censetur legem remisisse, ita ut, quamvis primi transgressores peccarent, non vero posteriores, quia lex per non observantiam, accedente saltem *legali consensu* legislatoris, abrogata est.

Inst. 1. Ipsi Imperatores testantur, suarum legum vim et obligationem pendere a consensu subditorum, cum L. 8, c. de LL. dicant, tum suas leges robur ac firmitatem obtinere, cum omnes judices et proceres Palatii consenserint, et illis placuerit; hinc Papinianus vocat legem, *communem reipublicæ*

sponsionem, et JULIANUS ibidem ait L. 32, *leges nulla alia ex causa nos tenere, quam quod judicio populi sint receptæ*; ergo.

R. — *N. A.* Extra statum democraticum si quando Imperatores requirebant consensum populi, id neutiquam ex necessitate factum, sed consilii causa, ut adverteret populus in suam duntaxat utilitatem ferri leges; hinc l. c. ita loquuntur : *bene enim cognoscimus, quod cum vestro consilio fuerit ordinatum, id ad Beatitudinem nostri imperii et ad nostram gloriam redundare*; adde non fieri mentionem populi, sed procerum et consiliariorum. Uterque JCtus scripsit ea quidem in statu monarchico, at pro statu tamen democratico : quippe PAPINIANUS verba Demosthenis mutuatus est, qui scripsit de republica Atheniensium democratica; JULIANUS de statu itidem democratico reipublicæ Romanæ, quo durante omnis potestas legislativa erat penes populum, juxta illud : *vultis, jubetis Quirites?* uti ex tit. ff. de orig. jur. manifestum est. JUSTINIANUS autem utrumque textum DIGESTIS inseruit, eo quod *nihil penitus antiquitatis ignorare nos voluerit*, prout ipse § 1, I. de Testam. ordin. ostendit.

Inst. 2. Regimen monarchicum, in quo Princeps sibi soli arrogat potestatem ferendi leges, facile degenerat in tyrannidem; ergo ut suave sit regimen, consultius est dependenter a consensu populi ferre leges, in cujus utilitatem unice constituta est potestas legislativa; atque hinc Romani suas leges ita concludebant : *ut, si quid jus non esset rogari, rogatum ne esset*, h. e. non habendum pro constituto, quod bono publico officeret; hinc quoque L. 11, c. de LL. dicitur : *Novum jus inveterato usu stabiliendum est*, scilicet moribus et consensu populi.

R. — *N. A.* Si aliquando ita degenerat, id *per accidens* contingit, *per se* juvat et ornat rempublicam, morum disciplinam dirigendo ac conservando; ubi vero a subditis dependeret legum potestas, ea plane inefficax foret, atque enervis, unde majora longe mala in rempublicam redundarent; suave ergo regimen esse debet, sed non minus efficax, tale vero non est, si ab arbitrio subditorum pendeat legibus obligari vel non obligari. Clausula illa Romanorum probat, leges respicere utilitatem subditorum ceu finem; at non probat, ex usu et receptione subditorum legis utilitatem primum innotescere. Demum *lex citata* loquitur de jure obscuro et dubio, quod sane usus inveteratus, optimus legum interpres, declarat.

140. *Observa.* Est hæc sententia hodie communis, ratione et auctoritate potior : quamvis enim GERSON, ALMAINUS et JOANNES MAJOR videantur sentire contrarium, id parum refert, cum plura hac in materia asseruerint principia plane seditiosa, perniciosa et scandalosa, prout ostendunt pastorales litteræ Archi-Episcopi Cameracensis de anno 1731. Summa Armilla et Angelica loquuntur de *legum desuetudine*, ac proinde de legibus, quæ cessant obligare ex defectu voluntatis obligantis ipsius Principis, quippe conniventis ac tacite consentientis in abrogationem legis. Adeo COVARRUVIAS et NAVARRUS videntur intelligendi solum de legibus non *absolute*, sed tantum *conditionate* latis, vel de legibus *injustis* ac *inutilibus*.

ARTICULUS III.

DE OBJECTO SEU MATERIA LEGIS HUMANÆ.

§ I.

An legislator humanus possit præcipere actus mere internos.

141. *Nota.* Actus *mere internus* est, qui cum externo non conjungitur v. g. odium, amor, aliique motus animi, assensus intellectus et affectus voluntatis, qui in solo elicientis animo consistunt : *mixtus* dicitur, qui cum externo conjungitur, vel *per se* et necessario, ut dum actus internus est causa externi, forma aut conditio requisita, v. g. attentio cum oratione, dolor internus cum confessione : vel *per accidens,* quando actus externus ab interno separatus non desinit esse humanus et moralis, ut dum oras cum intentione ad obtinendam castitatem, aut cum parochus offert sacrificium *pro suis ovibus,* quæ intentio nullam per se connexionem habet cum Sacrificio Missæ. Actus interni præcipi aut prohiberi possunt vel *directe,* h. e. per se et ratione sui, vel *indirecte,* h. e. ratione actus externi, cui conjunguntur. Quod actus mere interni cadant sub legem tum naturalem, tum positivam divinam, nemo dubitat; controversia est potissimum de lege *humana* et quidem *ecclesiastica.*

142. *Dico I.* **Legislator politicus non potest præcipere actus mere internos.**

Prob. 1. Potestas politica immediate oritur a communitate, in Principem translata a populo : sed populus non habuit potestatem in actus mere internos, utpote sibi omnino incognitos, in quibus civis cum cive non communicat; ergo. 2. Finis potestatis politicæ est recta gubernatio reipublicæ ad exteriorem honestatem, pacem ac felicitatem civium, ad quam consequendam sufficit, si omnes reipublicæ cives quoad actus externos bene sint comparati, et per salubres leges foveatur tranquillitas, administretur justitia, nullus ab altero lædatur, et suum cuique tribuatur; hinc illud axioma : *de internis non judicat prætor,* et L. 18, ff. statuitur : *cogitationis pœnam,* civilem, *nemo patitur.*

Si ais. Leges civiles ad contractum requirunt consensum internum, liberum et spontaneum, a metu et dolo immunem; ergo actus interni subsunt potestati politicæ.

R. — *N. C.* Quia consensus internus ad contractum requiritur *jure naturæ,* quod ipsum etiam vetat, ne contrahens mentiatur et alterum decipiat. Alii vero probabilius admittunt, quod leges civiles *indirecte* et *concomitanter* præcipiant actus internos, quatenus volunt contractus *rite* iniri, quod sine consensu interno, aut cum dolo et mendacio fieri non posset.

143. *Dico II.* **Legislator ecclesiasticus potest saltem indirecte præcipere actus mere internos.**

Prob. Ad gubernationem Ecclesiæ pertinet, posse præcipere aut prohibere actiones externas humanas et moraies : sed ut actio exterior sit humana et

moralis, necessarii sunt actus interni, sive ad esse physicum, ut intentio ministri ad valorem Sacramenti, sive ad esse morale, ut interna dispositio ad sacram synaxin rite suscipiendam; ergo. Hinc Concilium Later. IV, *c. Dolentes*, præcipit recitare divinum officium *studiose pariter et devote;* in Clement. de celebr. Miss. præcipitur, ut horæ legantur *in puritate conscientiæ et animi devotione;* Alex. VII damnavit hanc prop. *Præcepto ecclesiastico confessionis satisfit per confessionem voluntarie nullam;* et Innoc. XI istam : *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam corporis Domini manducationem;* Adde Bullam *Vineam Domini*, ubique acceptatam, vi cujus 5 famosæ propositiones Jansenii *ex animo et interius* damnandæ sunt. Demum omnis legislatoris, præsertim ecclesiastici, hæc est voluntas, ut faciat homines bonos, non autem simulatores et hypocritas.

Utrum vero Ecclesia præcipere aut prohibere possit *directe* actus mere internos, disceptatur in utramque partem ex his fere momentis.

§ II.

Momenta sententiæ Negantis, *Ecclesiam posse directe præcipere aut prohibere actus mere internos.*

144. I. Hæc potestas Ecclesiæ in actus mere internos non est *necessaria*, cum extet lex naturalis et divina actus internos ordinans, et ad finem dirigens supernaturalem. Ecclesia, ubi videtur leges tulisse de actibus internis, recens eas non condidit, sed tantum declaravit ad quid lex naturalis, vel divina obliget : ita Concilium Trid. interdicens, ne quis aliter credat de Eucharistia, explicat legem naturalem, quæ prohibet dissensum circa articulum fidei sufficienter propositum. Innoc. XI in virtute sanctæ obedientiæ prohibens, ne quis ullam ex 65 propositionibus ab eo damnatis, quarum plures sunt circa actus mere internos, in praxin deducat, idem jus naturale exposuit; in aliis vero, quæ non sunt de mere internis, novas ibidem leges statuit. Innoc. X et Clem. XI ad effugia Jansenistarum penitus occludenda statuerunt quidem, Apostolicis Constitutionibus non satisfieri obsequioso tantum silentio, sed requiri interius etiam obsequium mentis, et sinceram Formularii subscriptionem : sic vero declararunt jus naturale, quod præcipit, sensum hæreticum ab Ecclesia damnatum mente et corde rejicere, atque in assertionibus, præsertim jurejurando firmatis, mentem linguæ aut calamo conformare.

Inde etiam patet, quod, tametsi Ecclesia juxta communem DD. non possit censura perstringere hæresin mere internam, tamen Jansenistas rite excommunicaverit tanquam hæreticos, quia sicut præcipi *indirecte* ab Ecclesia potest actus internus *per se* conjungendus cum externo, scilicet assensus mentis ad damnationem Jansenii, et subscriptionem Formularii, sic etiam illius omissio pœna ecclesiastica puniri potest. Eodem modo loquendum de *jure divino positivo*, quod leges ecclesiasticæ sæpius declarant, v. g. non satisfieri præcepto divino de annua confessione et communione per sacrilegam confessionem et communionem : ubi duntaxat præceptum a Christo positum declarat, novum autem non statuit saltem quoad substantiam, aut etiam modum suscipiendi sacramenta, sed præcise quoad circumstantiam

temporis; simul vero actum internum, sed per se conjunctum cum externo præcipit *indirecte*.

Tandem impia et Romæ rejecta MICHAELIS DE MOLINOS asserta differunt ab hac sententia tum quoad *scopum*, qui erat sacræ Inquisitionis tribunal suffodere, et suum Quietismum stabilire : tum quoad *modum*, quia sententiam, oppositam *risu dignam* et manifeste *erroneam* sugillat : tum quoad *substantiam*, quia negat religiosos etiam vi voti obedientiæ teneri ad actus mentales, denegans Ecclesiæ *vel indirectam* in actus internos potestatem : demum quia fraudem et errorem esse dicit regulas de reddenda ratione conscientiæ, vel modum imperandi in virtute obedientiæ. Ab his omnibus longissime abest nostra assertio.

145. II. Hæc potestas non est *debita* Ecclesiæ; nam 1° potestas humana est sensibilis; ergo tantum præcipere potest modo humano et sensibili; actus vero interni sunt insensibiles. Aliud longe est de actu per se sensibili, sed occulto : hic enim quod cognosci et puniri per sententiam hominis nequeat, fit per accidens, et oritur ab extrinseco, quia testes et probationes deficiunt; actus vero internus per se et ex natura sua excludit omnem sui cognitionem humanam, et cum illa tum legem, tum pœnam.

2° Potestas Ecclesiæ *per se* ordinatur ad regimen externum, ad Hierarchiam, ad Sacramentorum administrationem et rituum compositionem; quamvis autem finis ecclesiasticæ potestatis sit salus animarum, quæ magis ab actibus internis quam externis dependet, tamen Ecclesia satis adhuc per suas leges tendit ad finem proprium, siquidem mediantibus actibus externis præceptis aut prohibitis animarum salutem procuret, atque internos etiam indirecte ordinet. Ad hæc non tam proportio ad finem, quam ad communitatem ipsumque legislatorem hic attendi debet, quia alias consilia quoque evangelica, utpote ad Ecclesiæ finem maxime conducentia, toti communitati fidelium præcipi possent.

3° Ecclesia exercet jurisdictionem pro foro interno conscientiæ, sed *potestate divina*, non humana, nisi ministeriali; imo in absolutione sacramentali a peccatis mere internis, in concessione indulgentiarum, in dispensatione, commutatione, irritatione votorum non exercet potestatem gubernativam, h. e. externam et legislativam, sed vel *voluntariam* aut *mere dominativam*, qua et maritus aut pater uti potest; vel pro foro interno, sed nomine Dei. Nam in absolutione non agitur causa hominis ad hominem, sed ad Deum : concessio indulgentiarum est mera liberalis applicatio thesauri Ecclesiæ, fitque *nomine Dei*, sicut dispensatio voti : in commutatione voti aliqua intervenit dispensatio, nec proprie nova obligatio inducitur : irritatio voti *pure mentalis* ex subjectione voluntatis fit potestate non legislativa, sed *dominativa*, ex subjectione autem materiæ non fit nisi *remote*, quatenus præcipitur opus externum, per quod opus internum promissum impeditur.

146. III. Hæc potestas non est *conveniens* Ecclesiæ : nam 1° potestas legislativa debet esse conjuncta cum potestate coactiva, sine qua jurisdictio nulla est, prout docent CONCILIA Burdeg. et Narbon., D. THOM. et cap. 28 de offic. et potest. jud. deleg. : sed Ecclesia non habet potestatem coactivam in actus

mere internos, de quibus, quia omnem humanam cognitionem subterfugiunt, nequidem judicare potest; ergo.

2º Scriptura nullibi asserit, hanc potestatem a Christo accepisse Ecclesiam; imo occulta et interiora cordium soli Deo reservat, 1 Cor. 3, 7. Potestas Matth. 15 hisce verbis promissa : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis,* etc., non est accipienda præcise secundum verborum formulam, propter absurda ex sensu plane illimitato secutura : sed juxta traditionem et doctrinam Ecclesiæ communem. Duplex vero potestas sat ampla prædictis verbis a Christo data Ecclesiæ, *humana,* quæ per leges ecclesiasticas bonum commune fidelium procuret, etiam in ordine ad finem supernaturalem obtinendum, at humano tamen modo exercenda : et *divina,* quæ per sacramentalem aut voluntariam jurisdictionem singulorum fidelium salutem operetur; hæc ad forum conscientiæ et actus internos, illa ad forum et actus externos spectat; quamvis ergo Christus potuerit dare Ecclesiæ potestatem etiam humanam in actus mere internos, tamen eam de facto dedisse non probatur.

147. IV. Ecclesia *nunquam usa* est hac potestate directa in actus mere internos : cum vero horum actuum exercitium ad beatitudinem supernaturalem sit aptissimum, plane hoc medium efficacissimum non negligeret Ecclesia, si illud suæ potestatis esse judicaret. Atque hinc summi etiam Pontifices, quamvis totam sæpe jurisdictionem suam exponerent ac tuerentur, nihil de illa potestate meminerunt, quin et actus mere internos extra suum forum esse declararunt : quippe Urban. II, c. 11, Dist, 23 dicit : *De manifestis quidem loquimur : secretorum autem et cognitor Deus et judex est* : Innoc. III, c. 33 de Simon. ait : quod si excessus eorum esset Ecclesiæ manifestus, quæ non *judicat de occultis, pœna essent canonica feriendi...* et c. 34 ibid., *nobis datum est de manifestis tantummodo judicare.* In Concilii Constantiens., Sess. ult. sermo fuit de hæresi aperta, vel occulta quidem, sed per signum aliquod externum manifestata; Martinus V etiam nihil de hæresi interna ibidem statuit.

148. V. Idem probabilius tenet quoad actus internos *per accidens* conjunctos cum externis, tum propter usum Ecclesiæ in indulgentiis, tum ob defectum exemplorum, tum quia actus ille internus vel solum externo addit bonitatem accidentariam ab extrinseco, vel attingit circumstantiam *per se* non inclusam in præcepto circa actum externum in genere moris etiam substantialiter spectatum; ergo non cadit sub legem actus externi, sed novo præcepto deberet de eo disponi, ut proin *directe* præciperetur. Ecclesia vero in *indulgentiis* non præcipit intentionem, sed tantum proponit velut conditionem pro spiritualibus commodis, quæ illa non posita non dantur ex thesauro Ecclesiæ, fere sicut in aliis donationibus fieri solet : in *orationibus* et *jejuniis* Ecclesia præcipit actum externum, quoad finem autem et modum majoris fervoris ac devotionis internæ non dat præceptum, sed suam tantum intentionem, votum ac desiderium rogando et monendo manifestat : celebratio *Missæ* pro defunctis vel aliis, cum sit mera applicatio fructus ex opere operato profluentis, potest indirecte præcipi, cum talis fructus videatur spectare ad ipsum opus externum : denique dum Ecclesia excommunicat hoc vel illud facientes *scienter* aut *temere,* non attendit actum internum, eum

præcipiendo vel prohibendo, sed tanquam conditionem ad incurrendam pœnam, quæ conditio non tam extendit, quam restringit usum potestatis ecclesiasticæ.

§ III.

Momenta sententiæ Affirmantis, *Ecclesiam posse directe præcipere aut prohibere actus mere internos.*

449. I. Data est Ecclesiæ a Christo potestas non tam *politica*, quam *sacra* pascendi oves et agnos, solvendi et ligandi, dirigendi fideles ad finem supernaturalem, æternamque beatitudinem; in hoc enim differt potestas politica ab ecclesiastica, quod illa pro fine habeat immediate felicitatem temporalem, hæc vero æternam et supernaturalem : sed ad hanc multo magis conducunt ac necessarii sunt *actus interni*, quam externi, utpote qui totam vim merendi aut demerendi ab internis accipiunt; ergo potestas *directa* in actus mere internos summe *necessaria* est ad finem et rectam Ecclesiæ gubernationem, cum jus et obligatio pascendi oves, non tam circa *corpora*, quam *animas* occupetur.

2° Concilium Trid., Innoc. X et XI, Clem. XI non tantum declararunt jus naturæ, aut divinum, sed vere prohibent assensum mentis contrarium a fide et sensu Ecclesiæ, requirunt obedientiam decretis Pontificum præstandam, præcipiunt interius et in animo propositiones Jansenii habendas esse pro hæreticis, adjiciunt pœnam excommunicationis in transgressores : sed transgressio legis ecclesiasticæ, et obedientia præstanda legi ecclesiasticæ supponunt dari legem ecclesiasticam; ergo cum leges illæ versantur circa *actus mere internos*, v. g. internam Jansenii damnationem et judicium, quod sint hæreticæ, *actus mere interni* subjacent Ecclesiæ potestati legislativæ. Nonne qui aliter credit de Eucharistia, aut qui solum in animo judicat propositiones Jansenii non esse hæreticas, peccat non tantum contra jus naturæ et divinum, sed etiam contra legem Ecclesiæ, quæ idipsum prohibet, atque sub pœna excommunicationis, quam certe jus naturæ aut divinum non decernit? nonne perfrequens est, eumdem actum pluribus legibus præcipi aut prohiberi posse? Profecto ex eo quod contenta in Decalogo *jure naturali* sint prohibita, non sequitur ea non etiam *jure positivo* divino et humano esse prohibita.

450. II. Ecclesia *modo sensibili* procedit, sensibiliter et publice promulgando legem ad actus etiam interno se extendentem, qui non tantum conducunt, sed etiam necessarii sunt tanquam media ad beatitudinem et finem supernaturalem. Id si non sufficiat, Ecclesia nequidem actus externos poterit *directe* præcipere, nempe *occultos*, ita ut Ecclesiæ de iis constare non possit : imo ne actus quidem internos cum externis conjunctos, quia sicut actus mere internus non cadit *sub sensum*, ita nec actus internus cum externo conjunctus.

2° Quod Ecclesia solum *indirecte* præcipiat aut prohibeat actus internos, sicque satis dirigat fideles ad finem supernaturalem, id ex eo falsum videtur quod prohibeat v. g. propositiones Jansenii in animo foveri, et præcipiat, eas serio et intus damnari in animo etiam tunc, quando nullus actus exter-

nus conjungitur, quem prohibeat vel præcipiat; quis autem neget, directam ab Ecclesia potestatem in actus internos hac ratione exerceri? quis neget, plus potestatis competere legislatori ecclesiastico in actus internos, quam politico? cum ergo hic quoque possit *indirecte* illos præcipere aut prohibere, directa potestas debetur Ecclesiæ.

3° Ecclesia quidem dispensat in votis pure mentalibus, concedit indulgentias, absolvit a peccatis mere internis, at pro foro interno, et *nomine Dei*, quid tum? nomine Dei præcipit actus etiam externos, nomine Christi summus Pontifex, tanquam Christi Vicarius, omnes pro gubernatione spirituali Ecclesiæ leges condit circa actus sive internos, sive externos; sufficit, quod actus internos vere præcipiat Ecclesia, sive suo, sive Dei nomine præcipiat.

151. III. Potestati legislativæ semper et necessario conjunctam esse *potestatem coactivam*, sine sufficienti fundamento asseritur, quia hi duo effectus, *obligare* et *punire*, sunt ex natura sua separabiles: alias Ecclesiæ potestas se nequidem extenderet ad *actus occultos*, imo nec ad internos *indirecte* prohibendos, ob defectum coercitionis et pœnæ in illos ferendæ. Quamvis ergo Ecclesia actus internos et occultos judicare et punire non possit per cognitionem et *processum judicialem*, in quo citandi testes, audiendæ partes, etc.; satis tamen exerit vim etiam coactivam, quatenus legem fert in conscientia obligantem sub culpa et pœna *a Deo* infligenda; quippe ad efficaciam legum sufficit, transgressores *a Deo* judicari et puniri. Quin et Ecclesia ipsamet vim coercitivam habet in actus mere internos, siquidem sub censura latæ sententiæ præceperit, propositiones Jansenii in animo habere pro hæreticis, ita ut, qui aliter senserint, quamvis externe omnino sileant, ipso facto sint excommunicati, tanquam inobedientes *Apostolicarum Constitutionum transgressores*.

Præterea multis exemplis a jure petitis demonstrari potest, quod *vis coactiva* non debeat conjungi necessario cum legislativa: lex naturalis, prout distinguitur a divina, est duntaxat directiva: quas enim pœnas *per se* imponunt leges naturales? leges civiles ad commune bonum ordinatæ clericos ipsumque legislatorem solum obligant quoad *vim directivam*: plures sunt canones, queis nullam annexuit pœnam Ecclesia, quæ proin sepe utitur potestate legislativa solum *directiva*, quin utatur coactiva. Cur non possit Rex Præfecto cujusdam provinciæ dare potestatem directivam circa majora quædam crimina, reservata sibi potestate de iis judicandi, et transgressores puniendi? demum si possibilis est lex mere pœnalis, quæ tantum obliget sub pœna, cur non etiam *mere directiva*, quæ tantum sub culpa obliget, ita ut pœna legis violatæ soli Deo scelerum vindici relinquatur?

2° Sint sane abscondita cordium soli Deo reservata quoad cognitionem, judicium et pœnam; attamen illa verba Christi, *quodcumque solveris super terram*... non distinguunt inter actus internos et externos, proin de illis *generaliter* intelligenda sunt: qui certe sensus generalis, cum sit Ecclesiæ favorabilis, uti sine absurdo potest, ita debet extendi, maxime cum nec ex Scriptura, nec ex Conciliis et SS. Patribus constet, hanc potestatem Ecclesiæ a Christo datam ullibi fuisse restrictam aut substractam. Atque hinc dantur etiam *peccata mere interna* contra legem ecclesiasticam, uti patet tum ex dictis de propositionibus Jansenii, tum ex eo, quo quis die jejunii dicat in animo suo, hodie non jejunabo, quamvis mutata post voluntate jejunet; adeoque Ecclesia habet potestatem

illos actus mere internos prohibendi. *Excipiunt* autem auctores hic : hoc ipso, quod actus exterior sit præceptus, objectum evadit necessario faciendum, et voluntas non faciendi mala fit ac peccaminosa, quia repugnans justæ legi, id quod in legibus etiam civilibus tenet; ergo ille actus internus saltem *indirecte* subjacet legi.

152. IV. Ecclesia plures reipsa leges edidit de actibus mere internis, quia Innoc. XI et Alex. VII, mandarunt in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis propositiones ab ipsis damnatas, quarum plures sunt de actibus mere internis, fidei, spei et charitatis, in praxin deducat; Clem. XI in Bull. *Vineam Domini,* non contentus obsequioso silentio præcepit, in animo damnari propositiones Jansenii; Nicol. IV in Regula 3i Ordinis S. Francisci a Leone X confirmata, injungit fratribus quotidie examen conscientiæ : *Ecclesia* a suscipientibus Subdiaconatum requirit propositum castitatis : Concilium Trid., Sess. 13 in Decr. de Eucharist. prohibuit, ne fideles aliter credant... quæ omnia quamvis jure naturali aut divino præcepta vel prohibita ponantur; possunt tamen etiam ab Ecclesia prohiberi, cum unus idemque actus a multiplici jure attingatur, et ultimato ab Ecclesiæ auctoritate dependeat, quod prædicta non liceat docere, tenere, vel in praxin deducere, et quod illa tenendo vel docendo peccetur, non solum contra jus naturale aut divinum, sed etiam contra legem ecclesiasticam.

2° Pontifices ipsi attribuunt soli Deo cognitionem et judicium de secretis cordium, sibi vero duntaxat datum esse fatentur, judicare de externis ac manifestis, scilicet in ordine ad *ferendam* sententiam, non item quoad judicium *latæ* sententiæ. Nemo quidem patitur cogitationis pœnam per sententiam specialiter in ipsum a judice ferendam; potest tamen puniri propter cogitationem v. g. assensum internum propositionibus Jansenii præstitum, per sententiam ipso jure jam universaliter latam; quanquam canon ille desumptus sit a jure civili, de cujus foro loquitur, cum glossa ad hunc ipsum textum addat, sæpius actum cogitationis puniri, ut hæresin internam. Innoc. III, cit. cap. tantum rescribit, quod clericus fundans Cononicatum sine pacto, ut sibi conferatur, possit assumi tanquam Canonicus, si modo animum simoniacum, de quo constare non potest, exterius non prodat, quia *in executione* procedimus secundum externa in casibus particularibus; inde vero non sequitur, Ecclesiæ jurisdictionem ad actus internos se non extendere : alioquin pari jure inferam, quod neque actus occultissimi, æque parum manifesti ac interni, præcipi ab Ecclesia possint, imo actus interni nequidem *concomitanter* et *indirecte* cum externis.

153. V. Actus internos *per accidens* conjunctos cum externis directe præcipi aut prohiberi posse ab Ecclesia, manifestum est tum ex cap. 8, Dist. 30, ubi non jejunantes vel ex contemptu, vel ex superstitione Eustatianorum in sua conscientia perfectos se putantium, anathematizantur : tum ex Clem. I, § *Quia* de stat. Monachorum, qui excommunicantur ad Curiam se conferentes ex animo accusandi Prælatos : tum ex ead. Clem. § *Verum* de hæret., ubi pariter excommunicantur Inquisitores, qui ex odio vel lucri intentione contra suspectum in causa fidei non procedunt : tum ex indulgentiis, precibus, jejuniis, aliisve piis operibus sub hac vel illa intentione concessis, aut indictis ab Ecclesia.

ARTICULUS IV.

DE SUBJECTO LEGIS HUMANÆ.

§ I.

An fideles et justi a legibus humanis exempti sint?

154. *Nota.* Subjectum legis sunt subditi; quippe lex est actus jurisdictionis, adeoque solos subditos stringit, et quidem juxta illorum capacitatem. *Lege naturali* obligantur omnes rationis compotes, non vero infantes et amentes ob defectum promulgationis et libertatis moralis. *Legibus ecclesiasticis* nequidem in actu primo obligantur infideles, saraceni, judæi aliique non baptizati, quia non sunt subditi Ecclesiæ; quamvis jure divino teneantur petere baptismum et ingredi Ecclesiam. Hæretici et apostatæ a fide, per baptismum ingressi in Ecclesiam, *per se* ligantur legibus Ecclesiæ, quia rebellio eos non eximit, minus etiam dignos reddit, ut ab Ecclesia eximantur; excusat autem sæpe *per accidens* ab obligatione legis ignorantia subjectionis et obligationis. Pueri ante septennium completum legibus humanis non obligantur, licet forsan jam ante ad usum rationis pervenerint: imo completo etiam septennio non statim omnibus, sed iis solum legibus stringuntur, quæ eorum ætati ac judicio discretionis conveniunt, uti patet de præcepto annuæ confessionis et communionis paschalis: pœnas etiam ordinarias a jure statutas non incurrunt saltem totas, quia secundum jus civile *regulariter* mitigandæ sunt, quamdiu sunt minorennes; pœnis vero canonicis non subjacent ante annos pubertatis, excepta irregularitate propter homicidium, excommunicatione ob percussionem clerici, et propter ingressum in monasterium Monialium. Hic vero triplex præcipue quæstio fit: 1ª sintne fideles et justi a legibus humanis exempti, quod contendunt hæretici? 2ª an et quomodo peregrini iisdem obligentur? 3ª utrum clerici legibus civilibus adstringantur?

155. *Dico.* **Omnes etiam fideles et justi obligantur legibus humanis.**

Est de fide ex Concilii Trid., Sess. 6, can. 20.

Prob. Christus hisce verbis, *pasce oves meas*, et Paulus ad Rom. 13, 1 dicens, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, universim loquuntur et de fidelibus quidem; ergo omnes etiam fideles sive justi, sive injusti, subjacent legibus tum ecclesiasticis, tum politicis. Idem fidelibus inculcat Petrus 1, epist. 2, 13; nec non SS. Patres, Iren., L. 5 hæres., c. 24; Justin., Apol. 2; Aug. de Civ., L. 19, c. 17; et in epist. ad Rom.: *Si quis ergo putat*, inquit, *quoniam Christianus est, non esse sibi vectigal reddendum aut tributum, aut non esse exhibendum debitum honorem eis, quæ hæc curant, potestatibus, in magno errore versatur*; etc.

Conf. Lex evangelica non privat Magistratus civiles sua potestate legislativa quam potius laudat et commendat; potestas vero ecclesiastica a Christo instituta, est pars legis evangelicæ; ergo *fideles* et *justi*, cum sint membra communitatis tum sacræ, tum politicæ, tenentur obedire potestati legislativæ humanæ, et directivæ et coactivæ.

Si ais 1°. 1 ad Tim. 1, 9 dicitur : *Lex justo non est posita, sed injustis* : fideles et justi sunt filii Dei, filii autem sunt liberi, Matth. 17, 24, uti hunc textum SS. Hier. et Aug. interpretantur ; ergo leges humanæ non stringunt fideles et justos.

R. *Ad* 1. — *D. A.* Lex justo non est posita, h. e. propter justos et occasione justorum *C.* h. e. justi nulla lege humana obligantur *N.* Lex posita est ad coercendos pœnisque terrendos injustos, proin occasione peccatorum, in quæ Judæi maxime proclives erant ; non vero ad coercendos justos *qua tales*, qui sponte et ex amore justitiæ legem observant, uti denotant verba præcedentia : *Scimus autem, quia bona est lex, si quis ea legitime utatur.*

Ad 2. — *D. A.* Et Christus Matth. 17 loquitur de filiis naturalibus, ita ut ipse a tributo liber sit, prout contextus et Interpretum expositio innuunt *C.* de filiis Dei adoptivis, comprehendendo omnes fideles et justos *N.* His enim et ipse dixit : *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari* : his et per Apostolum præcipit : *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* S. Aug. loquitur de libertate fidelium et justorum *spirituali* a servitute peccati, et a tributo pro peccatis pendendo. S. Hier. vel de eadem, vel de immunitate ecclesiastica intelligendus.

Si ais 2°. Apostolus 1 Cor. 7, 23, monet fideles, ne fiant *servi hominum* : 2 Cor. 6, 14, regimen infidelium Christianis indignum asserit ac periculosum : 1 Cor. 6, 1 illicitum dicit fidelibus Principem sibi infidelem eligere ; ergo et obedire, saltem infideli.

R. *Ad* 1. Paulus non prohibet servitutem *simpliciter*, cum ibidem v. 21 dicat : *Servus vocatus es? non sit tibi curæ*, et v. 24 : *Unusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneat apud Deum* ; imo ad Ephes. 6, 5, monet *servos obedire dominis carnalibus* : sed ab ea servitute dehortatur, quæ Dei servitio præfertur, et qua homo duntaxat respicitur.

Ad 2. Reprobat nimiam cum infidelibus familiaritatem ob periculum perversionis ; reprobat communicationem fidelium cum infidelibus *quoad sacra*, non item Christianorum subjectionem, et regimen Ethnicorum in politicis.

Ad 3. Apostolus, 1 Cor. 6, non agit de dominatu Principis, sed de *judice ethnico*, eos fideles corripiens, qui judicio contenderent apud judices infideles. Nullibi sane denegat infidelibus, ex eo præcise quod infideles sint, potestatem politicam ; cum hæc spoliatio, si per legem evangelicam esset imperata, propagationem christianæ Religionis, idcirco infidelibus perquam odiosæ, redderet difficillimam.

156. *Observa.* Legislator propriis suis legibus non obligatur *directe*, sive vi coactiva, cum superiorem non habens cogi ac puniri a nemine possit, sive vi directiva et sub culpa, quia hæc quoque solos subditos spectat : legislator autem sicut nec superioritatem, ita nec subjectionem respectu sui ipsius habet, adeoque potest Princeps valide testari sine solemnitate a jure civili requisita, etc. Obligatur autem *indirecte* jure quodam naturali, sive ex decentia et æquitate, cum ipsa recta ratio dictet, ut caput reipublicæ exemplo præeat, seque corpori conformet ; atque hæc naturalis obligatio gravis est, si alias sequeretur scandalum, perturbatio, vel aliud grave incommodum in republica ; hinc Princeps graviter delinqueret non servans æquitatem justitiæ commutativæ, e. g, in contractibus initis, in quibus ipsa ratio

justitiæ exigit æqualitatem, et in quibus legislator se habet *instar privati*. Cæterum ubi potestas legislativa est pluribus communis, v. g. in republica aristocratica vel democratica, aut in Concilio vel Capitulo aliquo, quivis *conlegislator* tenetur lege communiter lata, quia quilibet est subditus totius corporis.

§ II.

An et quomodo peregrini legibus humanis obligentur?

157. *Nota.* Duo sunt, de quibus hic quæri solet : an peregrini obligentur legibus *sui domicilii?* an obligentur *statutis particularibus locorum*, ubi transeunt vel morantur?

Circa 1^um^. Fere inter omnes convenit, quod non obligentur.

Circa 2^um^. Communis et certa est sententia, quod obligentur : 1° Quando e sua patria alio migrarunt, ad figendum ibi domicilium vel quasi-domicilium, quia ratione domicilii, cum animo stabiliter in eo loco habitandi, fiunt incolæ ac subditi : 2° Si in loco, per quem transeunt, vel delinquant, vel contrahant, vel ratione rei sitæ conveniantur, quia ibi sortiuntur forum, et tenentur judicem illius loci agnoscere, seque judicio secundum ejus loci statuta ac consuetudinem submittere : 3° Si sint leges, queis regulantur contractus, taxantur pecuniæ et pretia rerum, item quæ rebus invehendis aut evehendis imponunt vectigalia et telonia, aut quæ specialiter in bonum illius loci ob necessitatem reipublicæ prohibent efferri vel inferri certas merces, quia ad hæc servanda obligat vel ipsa lex naturæ : 4° Si quæ specialiter pro ipsis peregrinis a Magistratu statuta fuerint, v. g. ne quis ultra triduum moretur in urbe, quia hoc ipso, quo locum ejusmodi adeant, hisce statutis seipsos subjiciunt : 5°. Si violatio statuti particularis cederet in scandalum vel detrimentum incolarum aut civium illius loci : 6° Si lex in tali loco vigens sit universalis, sive in patria peregrini vigeat, sive non vigeat, quia legibus communibus omnes tenentur, et consuetudo, quæ excusabat in patria, est privilegium tantum *locale;* hinc si in tali loco tempore quadragesimæ non fuerit dispensatum in comestione carnis, jejunandum peregrino est juxta legem communem jejunii.

In eo itaque tota controversia est ac fere celebris inter auctores, an peregrini *simpliciter* obligentur legibus et consuetudinibus peculiaribus loci, in quo ad breve tempus morantur?

158. *Dico I.* **Peregrini non obligantur legibus particularibus sui domicilii.**

Prob. Legislator extra suum territorium non habet jurisdictionem; ergo illius leges non stringunt existentes in alieno territorio; proinde peregrini non tenentur ad audiendam missam, vel ad jejunandum in loco, ubi dies festus vel dies jejunii non est, quamvis talis sit in patria, id quod etiam de jejunio quadragesimali tenet, cum peregrini gaudere possint favore locali, vi cujus in lege de se communi hic vel illic fuit dispensatum, quamvis eo se conferant, ut carnibus vesci possint; hinc can. 2 de Constit. in 6 dicitur : *Extra territorium jus dicenti impune non paretur;* ergo cum pro pœna et culpa eadem stet ratio, scilicet defectus jurisdictionis in legislatore extra suum territorium, juxta communem DD. egressus e territorio legislatoris et

a pœna et a culpa immunis est, quamvis statuta particularia *sui domicilii* non observet.

159. *Dico II.* **Peregrini simpliciter obligantur statutis localibus, quæ ratione territorii, non vero statutis personalibus, quæ ratione incolarum et civium feruntur.**

Prob. Statuta *localia* seu realia immediate respiciunt et afficiunt territorium; ergo mediante illo comprehendunt omnes in illo existentes, si non sint specialiter exempti, quales non sunt peregrini; alias nec Parochus advenam absolvere, nec Episcopus peregrinum sacerdotem prohibere posset a missa celebranda in loco a se in sua Diœcesi interdicto : nam sicut hoc *interdictum* est *locale*, ita nobis sermo est de *lege locali*, quæ directe respicit territorium, et hoc mediante omnes in eo existentes, exceptis personis privilegiatis. Statuta vero *personalia* tantum concernunt cives et incolas, quos immediate respiciunt; ergo hos duntaxat, non item advenas obligant. Posse vero Principem ferre leges ejusmodi personales pro civibus et incolis, vel inde liquet, quod ferre possit leges personales pro solis peregrinis, cur non etiam pro incolis? Atque hoc modo videntur conciliari gravissimorum DD. sententiæ hac in quæstione inter se oppositæ.

160. *Obj. cont. I.* Non licet impedimentum ponere legi ita, ut stante lege eam nequeas implere, e. g. toto tempore antemeridiano dormire, vel breviarium abjicere, ne debeas audire sacrum vel recitare breviarium; ergo neque licet exire e *loco domicilii* ad evitandum v. g. jejunium, cum sic in fraudem legis ageretur.

R. — *N. C. Disp. est.* Exiens e territorio legislatoris utitur jure suo, nec agit in fraudem legis, cum legislator nec egressum prohibeat, nec intentionem in loco dispensato carnibus vescendi; licite ergo se ponit in talibus circumstantiis, in quibus lex cessat, quod fit per egressum e territorio in locum, ubi nulla lex festi aut jejunii lata est, vel abrogata, vel dispensata est. Sed dormiens et breviarium abjiciens manet subjectus legi, utpote pro omni sacerdote publice promulgatæ; cum ergo lex respectu illorum non cesset, illicite ponunt impedimentum ejus observationi. Inde etiam est, quod prævidens impedimentum legis ejusmodi debeat ejus impletionem v. g. audiendo sacrum, recitando breviarium, comedendo agnum paschalem, etc., antevertere, quia impedimentum superventurum legem non tollit.

Inst. 1. Urbanus VIII speciali Decreto prohibuit exire ad locum, in quo Tridentinum non est promulgatum ad contrahendum ibidem matrimonium clandestinum, quod Concilium irritat. Excommunicatus a suo Episcopo manet excommunicatus, quamvis e sua Diœcesi egrediatur. Præcepta, vel ab Episcopo suis clericis, vel a Prælato suis religiosis imposita eos etiam absentes stringunt; ergo peregrini extra territorium legislatoris non eximuntur ab ejusdem legibus.

R. — *N. C.* Leges locorum peculiares, quia saltem *regulariter* feruntur a Principibus vi superioritatis et jurisdictionis *territorialis*, extra limites territorii non egrediuntur; et hinc qui non ratione suæ personæ, sed ratione *loci* vel *territorii* tantum est subditus, extra territorium illis legibus territorii non obligatur.

Dictum 1° *regulariter* : aliud quippe est, si legislator universalis specialiter prohibeat exire ea intentione, ut lex evitetur, prout fecit URBANUS VIII.

Dictum 2° *subditus ratione loci* : nam si præceptum superioris sit *personale,* inhærens ipsi personæ, quæ legislatori immediate, h. e. ratione sui, et non tantum ratione territorii, est subdita, tale præceptum personam ubique afficit ita, ut absenti etiam præceptum imponi possit; atque idcirco excommunicatus ab Episcopo, quamvis egressus e sua diœcesi, a communione cum fidelibus abstinere, clerici et religiosi etiam absentes obedire suo superiori debent, quin et legati, milites, filii tenentur exequi mandata sui Principis, Ducis aut Patris etiam absentis.

Inst. 2. Si, qui præcise ratione *territorii* est subditus, extra illud non manet subditus; ergo peregrinus non poterit suscipere SS. Ordines ab Episcopo suæ originis vel domicilii, neque Parochus extra parochiam et diœcesin peregrinatus absolvere suos parochianos : utrumque autem fieri assolet; ergo.

R. — *N. vel D. M.* Nisi superior universalis e. g. summus Pontifex peregrinum quoad aliquos effectus, vel nisi superior territorialis, tacite vel expresse delegando potestatem, faciat subditum *C.* si alterutrum fiat *N.* Universim, qui ratione territorii tantum subditus est, extra territorium cessat esse subditus, quia cessante causa cessat effectus; sed in primo casu Pontifex talem peregrinum relate ad suscipiendos SS. Ordines facit subditum Episcopo suæ originis aut domicilii : in secundo superior territorialis dat vel expresse vel tacite potestatem delegatam absolvendi.

161. *Obj. cont. II.* Peregrini non sunt subditi, neque in illos jurisdictio competit Principi extraneo; ergo non *simpliciter* statutis *localibus* obligantur.

R. 1. Principes habent jurisdictionem ratione sui territorii in omnes existentes in suo territorio, qui non sunt *specialiter* exempti : sed peregrini non sunt exempti a legibus, quæ pro ipsis specialiter feruntur, quæ formam contractuum præscribunt, importationem vel exportationem certarum mercium prohibent, aut vectigalia imponunt; ergo nec ab aliis legibus et statutis *localibus,* quæ vi juris territorialis indefinite ac sine limitatione lata, directe ac immediate respiciunt et afficiunt territorium, quia peregrini ingredientes alienum territorium censentur seipsos legibus, uti illis, ita his subjicere.

R. 2. — *D. C.* Non obligantur *simpliciter* statutis *localibus,* quæ ratione certarum personarum, nempe civium et incolarum feruntur *C.* statutis *localibus,* quæ illimitate loquuntur, ita ut verba legis non minus proprie peregrinos etiam comprehendant *N.* Peregrini gaudent commodo et favore loci, v. g. dispensatione locali in jejunio, in labore servili die festo, cur non et onus sentiant? Sane si dispensatio localis etiam comprehendat peregrinos, quamvis sit actus jurisdictionis, cur non aliæ etiam leges, quæ præcise locales sunt ac territoriales? Intentio autem legislatoris ferentis statuta *personalia* vel ex tenore legis, vel ex materia, vel ex aliis circumstantiis colligitur.

Inst. 1. Dispensatio est tantum actus jurisdictionis *voluntariæ* non *contentiosæ;* ergo quamvis illi, non vero huic etiam sese peregrini subjicere censendi sunt. *Conf.* Secundum axiomata juris : *In odiosis mitior pars est eligenda : In dubiis minimum sequi oportet : Contra eum, qui legem clarius*

dicere potuit, est interpretatio facienda; ergo si statuta locorum particularia peregrinos non exprimant, neque illos obligant.

R. — *N. C.* Quia jus territoriale jurisdictionem quoque *contentiosam* complectitur, etiam respectu peregrinorum, uti patet in legibus contractuum, taxatione rerum et pecuniarum, etc. Ad hæc quanta difformitas in provincia, quin et in urbe foret, si, dum cives die festo locali a labore servili abstinere debent, peregrini aut ligna findendo, aut triturando frumentum in area, in ædibus, in foro perstrepant? potius ordo, decentia et ædificatio publica exigunt, ut peregrini in suis actionibus sese aliis conforment, juxta illud Augustini ad Januar. scribentis : *Ad quamcumque Ecclesiam veneris, ejus morem serva,* unde etiam orta illa gnome : *Si vivis Romæ, Romano vivito more;* hinc ipsi etiam Religiosi exempti propter uniformitatem festa diœcesana servare tenentur.

Ad Conf. D. A. Et hæc axiomata tenent, quando verba legis non sunt comprehensiva, adeoque extensio utpote odiosa fieri non debet *C.* quando verba legis sunt comprehensiva, et ratio legis pro omnibus stat eadem *N.* In nostro casu omnes existentes in territorio comprehenduntur legibus *localibus*, sicut interdicto locali, ita ut sacerdoti peregrino non liceat ibidem celebrare missam : non igitur fit extensio legis, sed legis acceptio juxta sensum litteralem ac proprium, qui ad uniformitatem, ordinem et publicam ædificationem est convenientior, proin legislatoris bonum publicum spectantis intentione dignior, ac jurisdictioni territoriali honorificentior. Adde, quod alia *paræmia juris* dicat : *Quando lex non excipit, nec distinguit, neque nos debemus id facere;* cum ergo lex territorialis sit illimitata, fundata in jure territoriali ac territorium respiciens, simulque bonum publicum exigat, non minus ferri legem etiam pro peregrinis, quam pro incolis : dicendum, quod lex non tantum cives et incolas, sed omnes in territorio existentes comprehendat; alias pari jure dicam, tantum cives, non item incolas, tantum subditos qui habent domicilium, obligari statutis particularibus, quia *mitior pars eligenda, minimum sequendum,* et *facienda interpretatio contra legislatorem.*

Inst. 2. Uniformitas servanda ,in festis *localibus* non fundatur in jure territoriali, sed in ratione *scandali;* ergo non recte ex illa infertur subjectio peregrinorum ad quævis statuta territorialia.

R. — *Tr. A.* Quia si incolæ sciant, streperum illum hominem esse peregrinum, qui sicut ad festum illud locale non adstringitur, ita ei non sit interdictum serviliter laborare, quodnam inde *scandalum* sequatur? *N. C. Scandalum,* si quod oritur, inde est, quod incolis persuasum sit, laborem servilem omnibus in urbe prohibitum esse in die festo, sicut persuasum habent, illicitum esse peregrino Wirceburgi vesci carnibus, si ibi esset dies jejunii, quamvis præcepto tantum diœcesano statuti. Unde quoad leges *locales* peregrini vel ipso ingressu sese subjiciunt legibus territorii, prorogantes in se jurisdictionem judicis illius loci : vel independenter a propria subjectione peregrinorum legislator vi juris territorialis ferre potest leges universales in omnes existentes in suo territorio, quia hoc ipso, quod peregrini alienum territorium ingrediantur, ejusdem consuetudinibus receptis, statutisque *localibus* subjiciuntur, sicut ingressus locum *interdicto* subjectum, hoc ipso interdictum servare debet.

Inst. 3. Studiosis, militibus, famulis, ubi habent *quasi-domicilium*, ibi præter SS. Ordines omnia sacramenta conferri possunt, sed peregrinis nonnisi sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ, et quidem ex licentia proprii Episcopi; ergo peregrini non fiunt subditi illius loci quem ingrediuntur.

R. — *N. C.* Nam si peregrini nullo modo subditi fiunt illius loci, per quem transeunt, cur servare debent *interdictum locale*, leges locales circa contractus, taxationem rerum et pecuniæ, vectigalia, quæ quidem ante omnem contractum aut delictum promiscue feruntur pro incolis et peregrinis? leges item pro peregrinis specialiter latas? cur, si delinquant, puniuntur? Equidem Episcopi licite non possunt peregrinis omnia sacramenta administrare, nisi vel tacite vel expresse consentiente illorum proprio Episcopo, quia Ecclesia, prout usus ipse confirmat, hoc *specialiter* prohibuit requirens specialem subjectionem; ex eo autem non sequitur, quod æqualis subjectio ad omnia requiratur, quæ sicut ad aliqua exigitur major, ita ad aliqua minor sufficit. Nonne male arguitur : *quasi-domicilium* non sufficit ad conferendos SS. Ordines; ergo neque ad conferenda alia sacramenta? Adde, quod specialis illa exceptio firmet regulam in contrarium circa non excepta.

Inst. 4. L. *hæres absens* 19. ff. de judic. clare innuitur, quod viatores non sortiantur forum loci, per quem transeunt; ergo neque legibus territorii *simpliciter* obligantur.

R. — *D. A. et Explico :* atque lex illa loquitur de mercatore advena, quem emptor nequeat in loco, per quem transit, convenire, quia scit eum *confestim*, ut ait lex, inde profecturum *C.* loquitur de mercatore, qui non *mere* transit, sed aliquamdiu moratur, et vel pergulam vel officinam ibidem habet *N.* Lex cit. aliquantum modificat forum contractus, et quia mora brevissima pro nulla mora habetur, dicit mercatorem *mere* transeuntem ab emptore conveniri debere in loco domicilii : cum enim *confestim* sit discessurus, non datur occasio ibidem statuta servandi. Poterit ergo peregrinus hanc legem juris communis servare, licet teneatur statutis *localibus*, tum quia lex citata non dicit, quod illa servare non debeat, tum quia pro tali casu vix datur statutum particulare in contrarium, quale si daretur, hoc derogaret illi juris communis limitationi, ipsumque peregrinum transeuntem obligaret. Hæc legis citatæ explicatio etiam ab auctoribus admittenda est, cum juxta omnes certum sit, peregrinos sortiri forum ratione *delicti* et *rei sitæ*, proinde sensus legis nequit esse illimitatus, sed restringi debet.

Inst. 5. Si peregrini *generaliter* subjiciuntur legibus *localibus*, ac proin forum illius loci sortiuntur; ergo leges frustra *speciales titulos* assignant forum sortiendi, nempe vel ratione originis, vel ratione domicilii aut quasi-domicilii, vel delicti, contractus, rei sitæ.

R. — *N. seq.* Nam jura specialiter exprimunt illos modos forum sortiendi, ut constet, posse aliquem ex plurimis titulis et in pluribus locis conveniri, prout actor voluerit. Insuper autem dari alios modos, patet ex dictis : quomodo enim alias posset dominus territorialis leges ferre pro ipsis peregrinis? quomodo eos obligare ad servandas leges circa formam contractuum, taxam rerum et pecuniarum? etc.

162. *Observa.* Dicta hactenus etiam de *vagis* intelligenda sunt ob paritatem rationis : quippe leges illæ universaliter latæ sunt pro toto territorio : non

deest potestas legislatoris, fundata in jure territoriali : idem est finis, nempe bonum publicum, ad quod maxime conducit pax, tranquillitas, uniformitas, ordo et æqualis vivendi ratio; æquum ergo est, ut tam *vagi*, quam *peregrini*, ut primum e patria sua egressi, jure illius statutario desinunt obligari, ita illius loci, ad quem perveniunt, consuetudine et legibus obligentur, quia sicut quoad leges speciales pro peregrinis, leges contractuum, etc., pactum tacitum intervenit peregrinum inter et dominum territorialem, ita Princeps peregrinis aut vagis concedit ingressum in suum territorium nonnisi sub pacto tacito, ut se subjiciant statutis et consuetudinibus *localibus*. Atque hæc in *vagis* obligatio, quam plures ex auctoribus cum Thoma Sanchez fatentur, illam in peregrinis etiam magis confirmat.

§ III.

Utrum clerici legibus civilibus obligentur?

163. *Nota.* Ingens bonum, *libertas Ecclesiæ* universalis et particularium, qua Christus eas seculi hujus potestate exemptas regi a pastoribus animarum voluit in spiritu lenitatis et in vinculis charitatis; de illa vero libertate potissimum hic quæri posset, quam Ecclesiæ nonnunquam ex privilegio et beneficio summi Pontificis, nonnunquam ex pacto legitimo, antiqua consuetudine, usu et prudenti epikeia circa res disciplinares sibi comparasse dicuntur : sed de hac copiose hodiedum pertractant sacri juris interpretes. De *immunitate ecclesiastica*, quæ est jus seu privilegium quoddam, quo res, loca et personæ ecclesiasticæ a foro et jurisdictione seculari, non tantum in criminalibus, sed et in civilibus eximantur, testatur jus utrumque, canonicum et civile; immunitas hæc dicitur *localis* relate ad loca pia, scilicet monasteria, xenodochia, cœmeteria, etc. : competit autem Ecclesiis uti jus asyli, ita immunitas ab exercitio actuum profanorum, ut sunt v. g. nundinæ. *Realis* dicitur relate ad res tum sacras et ad cultum divinum dicatas, tum acquisitas titulo spirituali, v. g. decimas, beneficii fructus, etc., tum bona etiam temporalia mobilia et immobilia Ecclesiarum ac ministrorum Ecclesiæ. *Personalis* vocatur relate ad personas ecclesiasticas, scilicet clericos omnes in sacris constitutos, probabilius etiam minoristas, omnes religiosos utriusque sexus, non tamen eremitas nullam Religionem approbatam profitentes.

Quæstio hic loci movetur de triplici hac immunitate, præcipue vero *personarum ecclesiasticarum*, tum a legibus civilibus, tum ab exactionibus et præstationibus publicis; et quidem quo illa jure, *divino*, an *humano* introducta sit.

164. *Dico I.* **Ecclesiæ et personæ ecclesiasticæ, earumque bona non subjacent potestati seculari.**

Est *communissima Catholicorum.*

Prob. Hæc immunitas ecclesiastica fere ab Ecclesiæ exordio fuit observata, et a jure tum *civili* juxta Constitutiones primorum Imperatorum, Constantini M., Constantii, Valentiniani III, Marciani, Valentis, Gratiani, etc. L. 12, c. *de SS. Eccles.*, Auth. *Cassa et irrita* : tum *canonico* juxta tit. 49, L. 3 Decret., tit. 23 in 6, Clement., tit. 17, Extrav. com., tit. 10 de *censibus*, etc., asserta; ergo.

Conf. 1° Ecclesiæ, personæ et res ecclesiasticæ speciali distinctione sunt sacræ, Dei obsequio dicatæ, summique Pontificis jurisdictioni subjectæ; ergo. 2° Hæc immunitas maxime conformis est *legi divinæ*, quæ Gen. 4, 22... 26; Num. 1, 49; 1 Esd. 7, 24; Matth. 17, 24... secundum interpretationem SS. Patrum, terram sacerdotum, sacerdotes et levitas a potestate seculari exemptas esse declarat; hinc Concilium Trid., Sess. 25, c. 20 de Ref. eam dicit *ordinatione divina* constitutam, adhortans Christianos Principes, ut Apostolicas sanctiones in favorem personarum ecclesiasticarum editas tanquam Dei præcepta venerentur : quem in sensum loquuntur etiam Later. IV, c. 9; Aurel. IV, c. 13; Tolet. III, c. 21; Tolet. IV, c. 46; et Bonif. VIII, c. *Quanquam* de cens. in 6. — 3° Quin et *legi naturali* conformis est, quia constans persuasio et consuetudo gentium erat, adversari honestati, dignitati et reverentiæ, ut pastor ab ovibus regi ac coerceri valeat, Deorumque templa profanentur; unde a tributis liberi fuere sicut apud Hebræos levitæ, ita apud Ægyptios, Persas, Romanos popæ et sacrificuli, neque ad mortem rapere licuit confugientes in templum Dianæ, ad aram Junonis, etc.; ergo multo magis templa et sacerdotes veri Dei hanc sibi prærogativam vindicant, qui non ex hæreditate et generatione profana, sed ex institutione et electione divina *in sortem Domini* vocati sunt.

165. *Dico II.* **Personæ ecclesiasticæ non obligantur per se legibus civilibus etiam favorabilibus, nisi quatenus Ecclesia illas acceptavit, et per sacros canones approbavit.**

Prob. Personæ ecclesiasticæ non sunt subditi potestatis secularis; ergo cum lex sit actus jurisdictionis in subditos exercitæ, clerici non stringuntur legibus civilibus, sive quoad vim coactivam, quia conveniri non possunt coram judice seculari, sive quoad directivam, quia magistratus civilis nullam habet potestatem imperandi super Ecclesias et ministros Ecclesiæ, uti traditur cap. 10 de Const. : *Non attendentes, quod laicis super Ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas... a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.* Atque hinc exactiones et præstationes, saltem *novæ*, cum sint actus jurisdictionis secularis, dicente Apost. ad Rom. 13, *subditi estote, ideo enim et tributa præstatis*, nec personas ecclesiasticas, nec bona Ecclesiasticorum tangunt, quia si persona, etiam res est exempta, nisi hæc habeat onera extraordinaria antecedenter annexa.

Dictum *per se*, quia per accidens clerici obligantur legibus civilibus, quando vel ab Ecclesia sunt canonizatæ, et a superiore ecclesiastico approbatæ, vel quando decentia et æquitas naturalis exigit, se conformare communitati in commerciis et contractibus, in taxato rerum pretio, in præfixo monetæ valore; item circa *præstationes* et *onera communia*, in quantum SS. Canonibus, privilegiis et immunitati ecclesiasticæ non repugnant, et ratio circumstantiarum exigit, servato tamen ordine et modo in SS. Canonibus, præsertim in cap. 4 et 7 *de Immun.* præscripto. Cæterum eodem fere hic modo loquendum, quo de obligatione ipsius legislatoris respectu suarum legum; vide num. 156.

166. *Dico III.* **Immunitas ecclesiastica, quocumque jure introducta dicatur, nequit a potestate seculari sine consensu Rom. Pontificis aut diminui, aut revocari.**

Prob. Tametsi immunitas ecclesiastica non sit immediate ac proxime *juris divini,* tum quod nullus Scripturæ S. textus eam immediate a Christo institutam pro nova lege evincat, tum quod immunitatem hanc ab Imperatoribus primum concessam fuisse Ecclesiæ apertissima documenta testentur, tum quod circa hanc libertatem ac exemptionem multoties variatum sit in Ecclesia, contra quam solet fieri circa ea, quæ ex *jure divino* immediate descendunt; tamen ea immunitas juris divini est saltem *originarie* et *exemplariter,* quatenus ad imitationem legis mosaicæ Principes seculares eam concesserunt Ecclesiæ, non tam, ut ait Laur. Berti L. 20, c. 17, n. 17, inferendo liberalem beneficentiam, quam æqui rectique præscriptionem, eo quod non tantum instituta a Christo Ecclesiæ suæ gubernatio, sed ipsa etiam æquitas naturalis exigere videatur, ut clerici tanquam patres, magistri et superiores laicorum ab istorum potestate et jurisdictione eximerentur.

Inde sic arguo : *immunitas ecclesiastica* ex æquitate juris naturalis, et ad imitationem juris positivi divini in lege veteri concessa Ecclesiasticis est privilegium, a Principe seculari quidem datum, simul vero a Pontifice et ab Ecclesia acceptatum ac constitutum, proin hoc ipso canonizatum est, h. e. canonicum ex civili factum; ergo nec licite nec valide revocari potest a seculari potestate, præsertim cum donatio absoluta, perpetua et remuneratoria facta superiori, totique communitati ac ipsi Deo juxta communem JCtorum revocari non possit; hinc docent Publicistæ, quod Princeps plenam libertatem, qua civitatem donavit, deinceps nequeat revocare.

167. *Obj. I.* Justinianus aliique imperatores privilegium immunitatis revocarunt, eidemque aperte adversantur L. 25, pr.; L. 33 et 37, § fin. C. de Episc. et Cler., item Nov. 83; ergo hæc non fundatur in utroque jure.

R. — *D. A.* Imperatores aliqui privilegium immunitatis ecclesiasticæ revocarunt *jure N.* hæc enim per acceptionem Ecclesiæ facta est juris canonici, et exemptis inest irrevocabiliter, quia in eos cessat jurisdictio. *Facto* revocarunt *C.* Justinianus contra libertatem ecclesiasticam nihil statuere potuit, nec canones Ecclesiæ abrogare, nec privilegium a Constantino, L. 7, tit. 2; L. 16. *Cod. Theod.* legitime concessum, ab Impp. Theod. et Valent., L. 46 et 47, cit., tit. 2, confirmatum, et ab Ecclesia acceptatum revocare, quia talis donatio a non subdito acceptata transit in pactum, cui derogari non potest; imo si quid etiam leges Justiniani valuissent, eas tamen jura posteriora tum canonica, tum civilia rursus abrogarunt, c. 4, 8 et 10 de Judic., Auth. *Statuimus* C. de Episc. et Cler., Auth. *Cassa* C. de SS. Eccl.; quamvis ergo *in fieri* illa immunitas dependeret a voluntate Principum secularium, tamen acceptata et per Pontifices ac Concilia specialiter etiam constituta, ab illa *in conservari* non dependet.

Inst. 1. Exemptio et immunitas ecclesiastica derogat dignitati Principis, et obedientiæ eidem debitæ, nervumque imminuit reipublicæ; ergo Princeps nequit eam dare personis ecclesiasticis, uti nec Pontifex baptizatis immunitatem a sua jurisdictione spirituali.

R. — *N. A.* et *C.* Nam 1° inde potius commendatur principis dignitas,

quod sicut obligare, ita deobligare possit; et sicut nobiles laicos de republica bene meritos in multis facere exemptos ita et personas ecclesiasticas privilegio exemptionis decorare valeat, tum ob dignitatem status, tum ob insignia in rempublicam christianam merita. 2° Ecclesiastici concesso semel et acceptato privilegio exemptionis, non jam amplius sunt subditi, utpote exempti a jurisdictione seculari, adeoque non derogatur obedientiæ Principi debitæ; attamen et clerici et bona clericorum manent sub dominio alterius superioris, nempe *Pontificis*, de cujus consensu urgente necessitate amplissima subsidia a personis et bonis Ecclesiæ subministrari Reipublicæ et possunt, et solent; nihil igitur bono publico et saluti reipublicæ ea immunitas præjudicat. 3° Jurisdictio *spiritualis* in baptizatum fundatur in baptismo indelebili, jurisdictio *temporalis* in ditione ac territorio mutabili; quamvis ergo hæc, non item illa deleri potest.

Inst. 2. Immunitas ecclesiastica non est immutabilis, quia multiplicem jamdum variationem subiit, tum quoad causas, tum quoad ipsas personas, in Concilio Trid., Sess. 23, c. 6 de Ref. non parum restricta; imo hodie subjiciuntur clerici curiæ seculari in causis *feudalibus*, super *bonis regalibus* ortis, et *reconventionis*; ergo nec irrevocabilis est.

R. — *D. A.* Immunitas ecclesiastica multiplicem jamdum variationem subiit cum consensu Pontificis, et quoad latitudinem suam *C.* in substantia, et sine consensu Pontificis *N.* causæ *feudales* specialiter reservantur curiæ seculari, ita ut in feudis ecclesiasticis omnes sortiantur forum domini directi, quantumvis laici, ipsumque Jus Can. declarat, clericum, qui coram judice laico laicum convenit, coram eodem *reconveniri* posse. De jure autem communi ab omnibus præstationibus publicis immunes sunt Ecclesiastici, *saltem regulariter*, quia in casu necessitatis extraordinariæ etiam ab Ecclesiis et personis ecclesiasticis eas præstari convenit, sive ad procurandum bonum commune, sive ad evertendum malum commune; si modo exactiones ejusmodi fiant secundum conditiones a SS. Canonibus requisitas. Si qui Principes ob specialia merita *privilegium* habebant, non requisito Pontifice aut Episcopo, collectas a personis ecclesiasticis exigendi, illud Suarez censet revocatum, quia remuneratorium.

Inst. 3. Ecclesiastici possunt *renuntiare* privilegio fori, tum quia hoc videtur esse favor privatus in singulorum utilitatem immediate redundans, tum quia juxta Concilium Milevit. clerici ad forum seculare prohibentur solummodo *pertrahi*, quæ vox invitos denotat, non autem volentes; ergo etiam revocari potest.

R. — *N. A.* Privilegium hoc non est *personale*, sed favor et jus publicum toti statui ecclesiastico publice concessum, cui privatorum pactionibus et renuntiationibus nequit derogari, L. *jus publicum* 38, ff. de Pact., imo nec ipse Pontifex, aut Ecclesia huic immunitati penitus renuntiare possunt, utpote *divina ordinatione* saltem exemplariter constitutæ, et non ad destructionem, sed ædificationem. Concilia Carthag. can. *Placuit* 43, et Matisconense can. *Nullus* 6, planius explicarunt vim prohibitionis ecclesiasticæ, gravissimasque pœnas decreverunt in clericos foro seculari sese submittentes; postea Innoc. III, c. *Si diligenti* 12, renuntiationem etiam sponte factam, et juramento firmatam irritavit, tanquam a SS. Canonibus prohibitam. Adde Concilium Trid., Sess. 25, c. 20 de Ref.

168. *Obj. II.* Ecclesiastici sunt cives et membra communitatis; ergo tenentur legibus civilibus; ergo uti de commodis, ita de oneribus publicis participare debent, ergo sicut agri vel fundi Ecclesiæ aut Ecclesiasticorum annexa onera præstare debent, ita et a clericis *vectigalia*, aliæque *præstationes publicæ* exigi possunt, uti colligitur ex c. *Quanquam* de cens. in 6.

R. — *D. A.* Sunt cives a legibus civilibus exempti *C.* legibus civilibus subjecti *N.* Equidem censent aliqui, clericos obligari ad concurrendum in iis, quæ eorum utilitatem respiciunt, ut sunt constructio et reparatio pontium, viarum, etc. Alii vero idipsum negant, eo quod cum facile omnia onera *remote* cedant in commodum singulorum, vix unquam liberi essent clerici. Si quid tamen *directe* ac *proxime* cederet in utilitatem clerici, v. g. contra inundationes aquarum obstacula obmovere in prædiis, quorum certa pars ad clericum pertinet, æquitas postulat, ut is etiam onus sentiat; ita Molina. Quod de *agris* et *fundis* dictum, id tenet, si onus fuit antecedenter annexum, sicque inhærens rei transit cum re, uti dum Ecclesia vel Ecclesiasticus acquirit *feudum* vel *emphyteusin;* per hoc autem nova obligatio Ecclesiasticis a potestate seculari non imponitur, sed manet antiqua. Ex cit. cap. *Quanquam* duntaxat colligitur, clericum *negotiatorem* teneri ad vectigalia ex iis, quæ negotiationis causa emit aut vendit, idque in odium negotiationis clericis prohibitæ; non tamen censetur clericus negotiari, si fructus vendit perceptos ex propriis bonis seu beneficialibus, seu patrimonialibus.

Inst. 1. Ad Rom. 13 dicitur: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit;* hinc Christus ipse solvit didrachma, jubens idem facere Petrum, suum quondam in terris Vicarium; ergo Ecclesiastici non sunt exempti sive a legibus, sive a tributis.

R. — *D. A.* Omnis anima subdita sit potestati vel sacræ vel politicæ *C.* potestati politicæ *subd.* anima, quæ non est specialiter exempta *C.* specialiter exempta et per ipsam adeo potestatem politicam sic exempta *N.* Quod Christus fecit, et facere Petrum jussit, non fecit ex obligatione, sed *supererogatorie* et vitandi scandali causa.

Inst. 2. Jus Can. Variis in locis testatur, agros Ecclesiæ solvere tributum, imo personas etiam ecclesiasticas non esse immunes a *murorum custodia;* ergo sicut onera civilia ferre debent, ita legibus etiam civilibus subjacent.

R. — *D. A.* Et hæc testimonia procedunt de tempore vel necessitatis, vel dominantis adhuc gentilismi, vel de solutis ab Ecclesia tributis ad majus malum evitandum *C.* secus *N.* Can. *Pervenit* de immun. eccles., ubi de murorum vigiliis et civitatis custodia, agit juxta Panormitanum de casu necessitatis seu obsessionis; quanquam P. Pichler existimet, intelligendum esse de obligationibus ante impositis, quam ad Ecclesias et Ecclesiasticos bona illa pervenirent. Can. *Si tributum,* c. 11, q. 1, desumptus est ex S. Ambrosio orat. *de non tradendis Basilicis,* quas Ariani Catholicis per Imperatorem eripere machinabantur, ubi de solvendo tributo subdit: *Imperatori non dono, sed non nego,* nimirum ad vitandum majus malum. Si quando Urbanus P. fatetur, Ecclesiam de bonis suis tributum reddere, addit: *pro pace et quiete:* scilicet tempore gentilium Impp., quo necdum constituta fuerat libertas ecclesiastica.

Inst. 3. Ecclesiastici in certis causis subsunt judici civili, Auth. c. *de Episc. et Cler.;* can. *Clericus quoque.* Non soluto onere reali a judice laico compelli,

delinquentes et de fuga suspecti ab eodem capi et incarcerari possunt, prout innuunt varii juris textus; in dubio autem de ordinatione vel monachatu personæ comprehensæ, judex secularis æque cognoscere potest ac debet de delicto, argum. reg. 29 in 6; ergo.

R. — *N. A.* Nam 1° Ecclesiastici a judice ecclesiastico vel motu proprio, vel ad querelam secularium compelli possunt et solent, tum ad leges civiles servandas, tum ad ea onera, a quibus exempti non sunt, reipublicæ præstanda, et puniri ob transgressionem ab eodem, quin teneatur judex ecclesiasticus pœnam jure civili statutam imponere, sed arbitrariam. Auth. *Statuimus,* quæ est posterior canone *Clericus quoque,* idipsum docet, disertis verbis enuntians, nullam personam ecclesiasticam in criminali quæstione vel civili trahi oportere ad judicium seculare, excepto tamen clerico feudatario. 2° Cum delinquentis apprehensio et incarceratio sint actus jurisdictionis, laicis in clericos non permissæ, Ecclesiasticum nec capere, nec incarcerare valet magistratus secularis *per se* et propria auctoritate, sed duntaxat per accidens, et quasi ex commissione Ecclesiæ, de quo vide Jus Can. Hinc in dubio etiam, sitne delinquens clericus vel religiosus, nec ne, hujus quæstionis cognitio ac decisio pertinet ad judicem ecclesiasticum, quia, ut habet c. *Si judex* 12 in fine de sent. Excomm. in 6, de *re ecclesiastica et spirituali est;* quamvis judici seculari permissa videatur summaria quædam ac perfunctoria cognitio, an reus, quem detinet captum, sit in clericatus vel monachatus quasi-possessione, ac proinde statim ad curiam ecclesiasticam remittendus; sed de his JCti.

169. *Observa.* Immunitas hæc et exemptio ecclesiastica a foro et jurisdictione seculari non est *æqualis* respectu omnium seu bonorum, seu personarum ecclesiasticarum, idque ex ipsius Ecclesiæ determinatione : nam clerici *uxorati* minus participant de hoc privilegio, quam non uxorati : clerici *minores* absque tonsura et habitu non gaudent privilegio fori : clericus *feudatarius* forum domini directi, clericus *reconventus* et clericus actor contra laicum in causis civilibus forum civile sequi debent. Videtur autem multis probabilius, per bona Ecclesiæ exempta intelligi etiam bona Ecclesiasticorum *patrimonialia,* eo quod jura loquantur generaliter de bonis Ecclesiæ, proin restringenda non sint ad sensum *formalem,* quatenus Ecclesiastici sunt, sicut talis restrictio non fit, dum v. g. Comites aut Marchiones exempti a gabellis dicuntur, intelligendo præcise bona illius Comitatus : et si quando talis exemptio datur quoad aliqua tantum bona, id exprimi consuevit, uti in *Commendatariis Ordinum Militarium* lex declarat exemptionem quoad bona Commendæ.

ARTICULUS V.

DE EFFECTU SEU OBLIGATIONE LEGIS HUMANÆ.

§ I.

Quæ et quanta sit obligatio legis humanæ.

170. *Nota.* Effectus legis est *obligatio* : hæc pro foro externo hominum est sub culpa juridica et politica : pro foro conscientiæ et coram Deo est sub culpa theologica, vel mortali, vel veniali : utrique sua respondet pœna proportionata. Asserendum itaque hic : 1° quod omnis lex obliget in conscientia, idque contra hæreticos, qui ex illo 1 Tim. 1, *justo lex non est posita*, negant, ullam legem ligare conscientias : 2° quod dari possit obligatio legis humanæ sub peccato mortali, siquidem legislatoris graviter obligantis intentio ex tenore legis, ex fine, materia, pœna adjecta, aliisve circumstantiis, aut ex judicio prudentum colligatur : 3° quod aliquando, non semper, lex humana obliget cum gravi periculo aut incommodo.

171. *Dico I.* **Lex humana tum civilis, tum ecclesiastica obligat in conscientia, h. e. sub culpa coram Deo.**

Prob. 1um. Quilibet tenetur jure naturali et divino, obedire superiori justa imperanti, prout docent S. Petrus in 1a epist. 2 : *Subjecti igitur estote..... sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum : quia sic est voluntas Dei;* et S. Paulus ad Rom. 13 : *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit : non est enim potestas, nisi a Deo : itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt;* statim vero subdit : *Dei minister est,* legislator humanus, *vindex in iram ei, qui male agit; ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam;* ergo datur obligatio legis civilis in conscientia. *Conf.* Filius parenti, ad Ephes. 6, 1; uxor marito, ibib. 5, 22; famulus domino, ibid. 6, 5, obedire tenentur; ergo multo magis subditi magistratibus, qui potiori titulo sunt *vicarii Dei,* et quibus ea vis obligandi ad perfectam rempublicam recte gubernandam magis necessaria est.

Prob. 2um. Christus Luc. 10, 16 ad principes Ecclesiæ ait : *Qui vos spernit, me spernit;* et Matth. 18, 17 : *Si Ecclesiam non audierit... sit tibi sicut ethnicus et publicanus* : sed qui Deum spernit, et propter inobedientiam erga Ecclesiam ethnicus fit ac publicanus, is reus est culpæ coram Deo; ergo etiam qui spernit legem Ecclesiæ, quæ cum in transgressores legum mere ecclesiasticarum nonnunquam pœnas suspensionis, depositionis et anathematis decernit, utique in conscientia obligare potest. *Conf.* Damnata est ab Innoc. XI, hæc 52 prop. : *Præceptum servandi festa, non obligat sub mortali, sæposito scandalo, si absit contemptus;* et ab Alex. VII, ista 23 : *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia faciat;* ergo.

172. *Dico II.* **Lex humana in materia gravi regulariter obligat graviter.**

Prob. Obligatio in conscientia *simpliciter* dicta ex genere suo est gravis, uti dictum hactenus; ergo si legislator secundum plenam juris potestatem ferat legem, potest et vult saltem in *materia gravi* obligare sub peccato gravi. Exigit vero materiæ gravitas gravem hanc obligationem, quando id, quod præcipitur, multum confert ad bonum commune, qui finis est gravis et magni momenti; sic qui multum lædit æqualitatem juris servandam, graviter peccat, quia finis ille justitiæ magni momenti est.

Dictum 1°. *In materia gravi*, quia sicut lex naturalis et divina circa res leves e. g. furtum leve, mendacium jocosum, etc., ita et lex humana per se tantum obligat leviter in materia levi; maxime cum bonum publicum non exigat, ut homo pro levissimis rebus graves obligationes imponat: sane lex ejusmodi nec esset *rationabilis*, constituendo in re levi medium ad salutem necessarium, nec *justa*, augendo obligationem ultra capacitatem materiæ, nec *utilis*, utpote in destructionem cedens potius, et scandalum, et occasionem ruinæ. Potest vero res de se levis ob loci, temporis, personarum adjuncta, ex fine legis aliisque circumstantiis fieri gravis, adeoque graviter præcepta esse aut prohibita; hinc præceptum primis parentibus datum de non comedendo pomo, obligavit sub peccato gravi, et sigillum sacramentale etiam circa rem de se levem graviter obligat. In *dubio*, an lex humana graviter vel leviter obliget, libertas est in possessione, ac proin præsumitur, quod leviter obliget.

Dictum 2°. *Regulariter* : nam uti legislator posset nullam ferre legem, aut per modum consilii rem proponere : ita posset etiam ferre legem tantum leviter obligantem, etsi in materia gravi; sic quippe non excedit suam potestatem. Attamen *per se loquendo* quivis legislator censetur obligare juxta capacitatem materiæ, cujus gravitas vel levitas definienda est judicio prudentum, habita ratione finis, verborum legis, pœnæ adjectæ, etc. In multis autem v. g. blasphemia, perjurio, actibus venereis, etc., nequidem dari potest parvitas materiæ.

173. *Dico III.* **Lex humana potest aliquando obligare cum periculo vitæ aut gravis incommodi.**

Prob. Deus vult, natura docet, justitia exigit, ut bono privato præferatur bonum commune, et auctoritas publica, Deus ipse, fides et religio; ergo potest lex humana obligare etiam cum periculo *vitæ* aut *gravis incommodi*.

Prob. C. Nequit conservari Respublica aut vigere auctoritas legislativa, aut stare honor Dei, fidei ac religionis, nisi legislator humanus posset aut tam *stricte* præcipere v. g. defensionem urbis contra hostes, administrationem sacramentorum tempore pestis, etc., aut tam stricte prohibere v. g. laborem servilem diebus festis, missæ celebrationem in loco profano, et similia cum gravi scandalo aut contemptu Dei et Ecclesiæ conjuncta; ergo. Dictum *aliquando*, quia ne lex quidem naturalis aut divina semper obligat cum periculo vitæ v. g. ad reddendum depositum, ad non manducandum panes sanctos in veteri, et ad confessionem materialiter integram in nova lege : multo minus lex humana, cum sine obligatione tam *stricta* ordinarie possit obtineri finis legis humanæ, scilicet bonum reipublicæ, et decorum religionis. Atque hinc Ecclesia etiam consuevit, obligationem circa sacrum,

breviarium, jejunium, confessionem et communionem annuam relaxare pro casu necessitatis, quæ teste SENECA magnum humanæ imbecillitatis patrocinium est.

174. *Obj. cont. I.* Homo ceu inferior non potest obligare in foro Dei ceu superioris : sed forum conscientiæ est forum solius Dei ; ergo homo nequit obligare in conscientia ; unde illa peccati definitio : *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei.*

R. — *D. M.* Si inferior habeat potestatem a superiore, cujus et minister est *N.* si talis non sit *C.* Homo legislator Dei vices gerit, atque ex hujus potestate ac intentione præcipit aut prohibet, etiam in foro Dei. Verissima est illa *peccati definitio*, in qua lex Dei ponitur ceu regula universalis et ultimata ; nam licet peccata aliqua sint immediate contra legem humanam, tamen mediate et ultimato sunt contra legem Dei jubentis omni superiori legitime præcipienti obedire.

D. etiam m. Forum conscientiæ est forum *solius Dei* quoad obligationem *N.* quia et per transgressionem legis humanæ læditur conscientia. Quoad cognitionem et judicium eorum, quæ in corde geruntur *C.*

Inst. 1. Nemo potest ligare pro eo foro, pro quo non potest solvere, et nequidem cognoscere, argum. L. ult. ff. de jurisd. omn. jud. : atqui legislator humanus nec potest solvere, nec cognoscere pro foro conscientiæ ; ergo nec ligare.

R. — *N. M.* Nam. 1. quivis homo seipsum voto ligare, nec tamen solvere potest ; igitur ligare ac solvere non sunt necessario correlativa. 2. Legislator humanus non quidem cognoscit ipsam obligationem in conscientia, potest tamen cognoscere actum, ad quem datur obligatio, hic vero, et non illa est materia legis. Ad hæc judicium et cognitio actus præcepti quamvis requiratur ad *vim coactivam*, non vero ad *directivam* : cum satis efficaciter imperet homo, modo Deus transgressores puniat.

Inst. 2. Potestas civilis est mere *temporalis*, ad pacem *externam* et terrenam ordinata ; ergo nequit inferre obligationem spiritualem, et stringere in conscientia.

R. — *D. A.* Est mere temporalis ratione *objecti*, quatenus præcipit res et actiones temporales : est ordinata ad pacem externam, sed quam intendit procurare per actiones morales et honestas *C.* est mere temporalis ratione *obligationis*, neque intendit pacem reipublicæ procurare per actiones morales et honestas *N.* Cum omnis potestas a Deo sit, sicut illa participans divina, ita et humana participata imponit obligationem spiritualem, et Deus vult potestati humanæ sub peccato obediri etiam quoad actiones externas et temporales.

175. *Obj. cont. II.* Homo non potest infligere pœnam æternam peccato mortali debitam, sicut non potest privare gratia sanctificante ; ergo nec obligare sub peccato mortali. *Prob. A.* S. AUG., Serm. 6 de verb. Dom., c. 8 dicit, Imperatorem damnare ad carcerem, non ad gehennam ; ergo.

R. — *D. A.* Homo id non potest physice ac efficienter *C.* moraliter, quatenus ponendo legem graviter obligantem ponit conditionem, qua non impleta homo a Deo privatur gratia et damnatur ad gehennam *N.* Equidem pœna

inferni *directe* non imponitur ab homine, quod est potestatis divinæ; at *indirecte* tamen, et in virtute legis æternæ, quæ graviter præcipit observare legem humanam graviter præcipientem, etiam tum quando hæc spectat bonum commune politicum. S. Aug. loquitur de legibus humanis legi divinæ contrariis, quas qui violant, ut servent Dei legem, possunt quidem occidi a tyrannis, sed non perdi in gehennam.

Inst. 1. Principes seculares, præsertim *ethnice,* non intendunt obligare sub peccato mortali, minus vero etiam inducere reatum pœnæ æternæ, quam sæpe ne noverunt quidem; ergo.

R. — *D. A.* Non intendunt explicite sic obligare *C.* nec implicite *N.* Ad obligationem in conscientia non requiritur ejusdem expressa intentio in legislatore, quia legem, sicut emissionem voti, sequitur *ex natura rei* obligatio in conscientia. Idem est de reatu pœnæ, qui, si non est per legem libere determinandus, sed *ex natura rei* connexus est cum culpa, a legislatore non necessario intendi aut exprimi debet.

Inst. 2. Ecclesia per suas leges sæpe decernit *pœnas temporales;* ergo non vult obligare etiam in conscientia, ne idem peccatum bis puniatur. Item lex divina *magis* obligat, quam humana; ergo cum lex divina obliget in conscientia et sub mortali, humana sic non obligat.

R. *Ad* 1. — *N. C.* Ecclesia pœnas adjicit temporales, non ut tollat essentiam legis, aut obligationem parendi, sed ut magis urgeat; sic quoque furtum non raro et a Deo et a magistratu punitur.

Ad 2. — *D. A.* Lex divina *magis* obligat, h. e. gravius semper *N. magis,* h. e. firmius et immutabilius *C.* Equidem legi divinæ parendum est præ humana; at propterea transgressio legis divinæ non semper est peccatum gravius ac majori pœna dignum, cum utriusque transgressio possit esse in eodem genere *peccati mortalis,* quamvis specie differat.

176. *Obj. cont. III.* Lex naturæ præcipit vitam conservare; ergo nequit lex humana obligare ad sui executionem cum periculo vitæ; aut certe non humana, sed lex naturalis tam stricte obligat.

R. — *D. A.* Lex naturæ præcipit vitam conservare *negative,* nec inferendo sibi ipsi mortem, nec sine causa mortis periculo se exponendo *C. positive,* necessario aliquid faciendo ad vitam servandam, quamvis bonum publicum aut honor divinus aliud exigant *N.* Lex naturalis vel divina, utpote regula *universalis* et *remota,* per legem particularem humanam ad hanc vel illam personam et casum applicatur, ita ut, quod lege humana non existente liberum fuisset, per eam fiat hic et nunc præceptum aut prohibitum; non ergo ex *sola* lege naturali oritur illa obligatio.

Inst. 1. Dare vitam pro bono communi, aut pro honore Dei ac Religionis, est opus *supererogatorium;* ergo vel *nunquam* ad id datur obligatio legis, vel *semper* datur: tum quia transgressio legis etiam in casu necessitatis est peccatum, quod facere nunquam licet ad mortem vitandam: tum quia omnis lex pro bono communi lata est, adeoque ejus transgressioni semper posthabenda est vita, ceu bonum privatum.

R. — *D. A.* Est opus supererogatorium tale, quod habere non potest connexionem necessariam cum fine ultimo, et cum bono reipublicæ temporali ac spirituali *N.* tale, quod hanc connexionem habere potest *C.* Sic vero non

est consilii, sed præcepti naturalis. Ubi autem dicta connexio non datur, neque lex datur actu obligans in casu necessitatis; non ergo peccatur, dum necessitas licitum facit alias illicitum. Tandem si bonum commune aliter procurari potest, cessat obligatio legis humanæ cum *periculo vitæ* : quippe respublica satis consequitur suum finem per observantiam legis ordinariam, et extra casus extremos.

Inst. 2. Multa sunt, quæ jure tantum humano vetita, vel in ipso *vitæ periculo* manent illicita, e. g. matrimonium cum consanguinea in certo gradu, communicatio cum excommunicato, Missæ celebratio in vestitu profano, etc.; ergo si unquam obligat lex humana cum *periculo vitæ*, semper obligat.

R. — *D. A.* Hæc manent illicita in ipso vitæ periculo, si absit scandalum, contemptus et periculum violandæ legis naturalis aut divinæ *N.* si ista adsint *C.* Communis DD. in certis circumstantiis contrarium statuit, uti et Jus Can., caus. 11, q. 3, speciatim de secundo casu docet.

§ II.

Quomodo obligent lex pœnalis, et lex fundata in præsumptione?

177. *Nota. I.* Lex, quæ decernit pœnam, dicitur *pœnalis,* et quidem *mere pœnalis,* si præcise pœnam statuat, e. g. qui exportaverit frumentum, mulctabitur : *mixta* dicitur, si præcipit vel prohibet aliquid, simulque pœnam in transgressores statuit, e. g. nemo exportet frumentum, qui autem exportaverit, mulctabitur. Certum quidem est, posse Principem utroque modo aliquid statuere : solum autem controvertitur, an statutum *mere pœnale* in sensu proprio lex dici possit. Hoc plures negant, tum quia pœna proprie dicta supponit culpam, quæ nulla datur, ubi nihil plane præcipitur aut prohibetur, ne culpa quidem juridica et politica, quia nulla incuria aut negligentia saltem præsumpta intervenit; ubi vero nec culpa, nec pœna, ibi neque lex proprie dicta locum habet : tum quia L. 131, ff. de verb. signif. pœna dicitur *noxæ, delictorum et peccatorum vindicta et coercitio,* ac juxta S. Aug., L. 1 Retract., c. 9 : *Omnis pœna peccati pœna est, et supplicium nominatur;* unde tritum illud, *supplicium est pœna peccati* : tum quia mulcta a transgressore solvenda non tam pœna est, quam taxa aliqua, cujus solvendæ obligatio potius ex lege quadam morali oritur, quæ solutionem absque omni culpa imponit, e. g. qui exportat frumentum, certam pecuniam solvat; hæc autem solutio non habet rationem pœnæ proprie talis, uti nec solutio teloniorum, accisorum, etc.

Communius docent alii, possibilem esse legem *mere pœnalem,* eo quod per impositionem pœnæ intendat efficaciter movere subditos ad omissionem vel positionem actus, pœna vero hic subeunda supponat *culpam* saltem *politicam* ex eo, quod pars se non conformet toti; atque hujusmodi leges esse volunt plerasque Religionum regulas, quarum transgressores nequidem venialiter peccant, pœnis tamen mitioribus subjiciuntur. Addunt præterea paritatem *voti pœnalis.* Lis tota multum videtur pendere a modo loquendi. Nobis hic potius disquirendum de obligatione legis *mere pœnalis,* si detur : de *mixta* enim vix ambigitur, quod in conscientia obliget ad actum vel omissionem

actus, simulque ad mulctam solvendam post sententiam judicis; censendum autem est, legem pœnalem esse *mixtam*, tum si materia legis ad bonos mores aut pacem publicam sit necessaria, vel pœna sit spiritualis aut temporalis valde gravis : tum etiam *in dubio*, an sit mere pœnalis, cum lex generaliter obliget sub culpa.

178. *Nota II.* Lex, quæ aliquid quod tamen ita se non habet supponit, e ideo lata est, dicitur fundari in præsumptione falsa, et quidem *ethice* falsa, si præsupponit licitum quod reipsa illicitum est, ut si præceptum ecclesiasticum adigat conjugem ad reddendum debitum ex præsumptione veri ac legitimi matrimonii, quod tamen conjux ille certo scit, esse nullum ob impedimentum occultum dirimens; legem fundatam in ejusmodi præsumptione non obligare in conscientia, manifestum est, cum non sit lex vera, utpote injusta, quæ sine peccato observari nequeat. Quæritur ergo hic de præsumptione *philosophice* falsa, quæ vel est *facti*, dum legislator præsupponit fraudem, damnum, vel delictum in casu particulari, ideoque fert legem, quamvis etiam universalem pro omnibus aliis casibus ejusdem speciei in singulari consideratis, tamen vel *sub conditione*, si factum ita contingat, vel *cum exceptione*, quod nolit obligare, nisi de facto vel delicto legitime constet; vel est præsumptio *juris*, dum legislator fert legem pro omnibus casibus, propter commune periculum fraudis, damni aut delicti, quamvis sciat, per accidens ea aliquando non adesse. De utraque hic quæritur.

179. *Dico I.* **Lex pœnalis seu pura seu mixta non obligat in conscientia ad subeundam pœnam ante sententiam judicis, vel condemnatoriam, si pœna sit ferendæ sententiæ, vel declaratoriam, si pœna sit latæ sententiæ, saltem ordinarie.**

Prob. 1um. Juxta, c. 48 de Regulis J. in 6 *in pœnis benignior interpretatio facienda;* ergo pœna, quæ decernitur *ferenda*, non est subeunda ante omnem sententiam judicis : præsertim cum uti tempus et modus pœnæ, sic pœna etiam ipsa unice pendeat a voluntate legislatoris, qui illam voluit, non esse *latam*, sed *ferendam*. Censendum autem est, pœnam esse *ferendæ sententiæ*, si verba legis sint dubia, item si lex tantum comminetur pœnam, e. g. *sub pœna quadrupli, sub pœna inhabilitatis*, etc., si enim lex adderet, *ipso jure, ipso facto* incurri pœnam, ea esset latæ sententiæ.

Prob. 2um. Nimis durum foret, ante omnem sententiam in seipso exequi pœnam valde difficilem, e. g. cedere beneficio, addicere sua bona fisco, ire in exilium, in carcerem, ad triremes, atque ita sui ipsius accusatorem et judicem, reum et executorem agere; ergo leges pœnales non obligant ante sententiam, ne per hoc ipsum vergant in detrimentum boni publici, cum illas vix unus observaret.

Conf. C. 19 de *Hæret.* in 6, executio confiscationis, quamvis *ipso jure* in hæreticos statuta, prohibetur ante sententiam declaratoriam criminis; item Parochus, tametsi reus criminis, cui annexa sit ipso facto beneficii privatio, juxta communiorem valide absolvit, fructusque percipit ante sententiam declaratoriam; ergo. Hinc docent auctores, quod illa etiam clausula, *nulla alia declaratione secuta*, non sit intelligenda de declaratione criminis, sed

pœnæ. Cœterum post sententiam non potest quis positive resistere judici, quin et pœnam, si non est nimis gravis, positive exequi debet.

Dictum *ordinarie* : excipiuntur enim censuræ, inhabilitates ad beneficia ecclesiastica, irregularitates, item nullitates matrimoniorum, electionum, collationum, et provisionum beneficialium, quia *privationes* hujusmodi *mere negativæ*, h. e. quæ non privant bono jam acquisito, sed primum quærendo, facilius incurruntur ante omnem sententiam; imo consuetudine receptum aut expresse declaratum est, quasdam pœnas, ut sunt vacatio beneficii post quædam crimina atrocia, privatio juris petendi debitum post commissum incestum, etiam ante sententiam judicis privare jure jam acquisito.

180. *Dico II.* **Lex fundata in præsumptione falsa facti non obligat in conscientia; obligat autem fundata in præsumptione juris seu periculi universalis, quamvis in casu aliquo particulari periculum non subsit.**

Prob. 1^um^. Cessante causa, motivo et fundamento legis unico, cessat lex : sed factum illud aut delictum præsumptum est unica causa, motivum ac fundamentum legis; ergo pro illo casu cessat lex, imo nunquam lata fuit, cum sit implicite conditionata aut exceptiva. Ad hæc æquum est, ut manifestæ veritati hic cedat præsumptio, cum et *consuetudo* eidem cedere dicatur, c. 4, Dist. 8; ergo. Hinc

1° Uxor de nullitate matrimonii certa nec debet, nec potest reddere debitum conjugale, licet sub pœna excommunicationis adigatur, quia præceptum ejusmodi fundatur in præsumptione falsa *facti particularis*, scilicet matrimonii validi. Vide, c. 13 *de Rest. spoliat.*, etc., c. 44 *de sent. Excomm.*

2° Qui per *sententiam judicis* condemnatur ad solvendos centum, quos certo scit se non debere, per se non tenetur solvere, quia sententia judicis, ipsaque lex jubens obedire judici fundatur in præsumptione falsa contractæ obligationis solvendi centum. Dixi *per se*, nam si probare non potest condemnatus se nihil debere, tenetur obedire judici exequenti sententiam secundum allegata et probata pro foro externo; quamvis occulta hic compensatio liceat, si is certus sit quod nihil debeat, et alter mala fide egit in judicio. Eadem occulta compensatio obtinet pro casu, *Inst. de Lit. oblig.*, quo v. g. Titio dederis chirographum de accepta ab ipso pecunia, quam reipsa non accepisti : si nempe a judice compellaris ad restituendum, quod te debere scripsisti, vel quia probare non potes pecuniam non esse numeratam, vel quia per biennium distulisti opponere exceptionem *non numeratæ pecuniæ*.

3° Novell. 1, c. 2, lex præcipit, ut hæres non conficiens inventarium damnetur ad solvendum creditoribus ultra vires hæreditatis; idque *ex præsumptione*, quod hæres aliqua ex massa hæreditatis subtraxerit; quæ præsumptio si non subsistit, juxta communiorem DD. non teneris in conscientia solvere ultra vires hæreditatis. Quamvis autem lex citata nonnullis videatur fundari potius *in quasi-contractu* aditæ hæreditatis; aliter tamen is se obligare haud voluit per quasi-contractum, quam prout suadet æquitas naturalis. Fundatur ergo probabilius in præsumptione fraudis juxta ipsa verba legis citatæ, *et non per ea, quæ forte surripiunt, aut malignantur.*

4° Idem probabiliter sentiendum de LL. *Aquilia, Quadrupedaria* et *Noxalibus*, quæ cum fundentur in præsumptione commissæ alicujus culpæ, sci-

licet negligentiæ, incuriæ, alteriusve delicti aut quasi-delicti, saltem *per se* non obligant in conscientia, si earum præsumptiones falsæ sint.

Prob. 2um. Lex fundata in præsumptione *juris*, quippe non attingens casus omnes in singulari, non fundatur in præsumptione facti particularis falsa, sed in morali periculo *in genere*, quod frequenter et communiter præsens est, et propter quod lex universaliter in omnes lata est; ergo quamvis in casu aliquo particulari non subsit periculum damni, fraudis et delicti, lex illa tamen obligat, utpote cujus motivum adæquatum subsistit. Sane minus inconveniens est, quod aliquis subdatur legi etiam non existente damno, quam quod lex non feratur pro omnibus, quibus tale damnum *ex natura actus* imminet; hinc

1° Licet aliqui tam sint docti et pii, ut respectu eorum non sit periculum perversionis ex lectione librorum hæreticorum; quia tamen *lex prohibens* fundatur in præsumptione periculi universalis, neque iis absque facultate licitum est hosce libros legere. Idem tenet circa leges prohibentes nocturna conventicula, circumvagationes cum armis, etc.

2° Etiam *leges irritantes* v. g. matrimonia clandestina, contractus pupillorum sine tutorum auctoritate, professionem religiosam ante 16 ætatis annum, alienationes rerum ecclesiasticarum, electiones, testamenta sine debitis solemnitatibus facta, semper ac universim obligant propter periculum generale peccatorum et incommodorum, immaturi adhuc judicii, damnificationis Ecclesiarum fraudum facile irrepentium, etc.; semper enim verum est dicere : *hoc periculosum est*, quamvis in casu particulari non subsit periculum specificum, seu determinatum in specie, in quo leges illæ non fundantur.

Idcirco etiam, quia leges attendunt id quod frequentius contingit, potest irritare pater vota filii adhuc impuberis, licet constet, quod perfecti jamdum judicii fuerit.

181. *Observa I.* Leges tributa imponentes non sunt *mere pœnales* : vel enim præcise imperant tributum sine adjecta pœna, et dicuntur leges *morales*, h. e. præceptivæ aut prohibitivæ tantum; vel præcipitur tributum adjecta simul pœna, et sunt leges *mixtæ* ex morali et pœnali; vel statuitur præcise in defraudantes telonia, gabellas, etc., confiscatio mercium, aut certa pecunia solvenda, et hæc solvi debet ob legem *moralem*, quæ hanc solutionem præcipit absque ulla culpa illius, qui non solvit gabellas; ergo neque tunc est propria ac stricte *lex mere pœnalis*, sed quasi-pœnalis, sicut confiscatio mercium, et pecunia solvenda, etc., quasi-pœna dici potest. Obligant autem in conscientia ad solvenda tributa, idque fundatur in justitia commutativa; nimirum subditi suis Principibus congruam sustentationem debent ex quasi contractu, quo princeps se obligavit ad rite gubernandam ac defendendam rempublicam et subditi ad compensandos labores curasque regiminis, ea suppeditando, quæ ad sustinendam sui Principis dignitatem, rectamque gubernationem ei sunt necessaria. Idem est de reliquis exactionibus, ad quas exteri etiam merces invehentes aut evehentes obligantur ex æquitate, aut quasi-contractu, ut qui sentit commodum viarum, pontium, etc., sentiat quoque onus solvendi vectigalia, pedagia, gabellas; hinc Deus ipse per Apost. ad Rom. 13, 7 præcipit : *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tribu-*

tum, cui vectigal, vectigal : et v. 6 : *ideo enim et tributa præstatis : ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.*

Hæc vero de tributis *justis* intelligenda sunt : si enim sint nimis multa, aut nimis gravia, et de eorum injustitia constet, non tenentur ea præstare subditi ob defectum juris in Principe ea imponendi, cum is in bona subditorum non habeat jus proprietatis, sed tantum jurisdictionis, et in ordine ad bonum commune, populique felicitatem meliori modo procurandam. *In dubio*, an sint justa, solvi debent, quia præsumptio stat pro Principe, cujus lex est in possessione : in dubio, an penes Principem sit potestas simpliciter imponendi tributa, solvi non debent imposita ab eo, qui prius non erat in possessione, quo casu tunc est libertas ea solvendi, donec de potestate ea imponendi constiterit.

182. *Observa II.* Quandonam lex fundetur in præsumptione *facti particularis*, aut *periculi universalis*, desumi debet ex materia et verbis legis, item ex usu et communi legis interpretatione. Modus loquendi, quo dicitur lex fundari in *præsumptione*, non quidem omnibus placet, quia lex ejusmodi v. g. lex Concilii Trid. irritans matrimonia clandestina, non tam in præsumptione, quam in *scientia* periculi fundatur, cum certum sit existere periculum. Verum modus hic loquendi passim receptus est, neque præsumptio hic adeo *stricte* pro conjectura tantum, sed *latius* pro periculi præsuppositione accipitur. Tandem dicta hactenus de lege duntaxat *positiva* intelligi debent, cum lex naturalis suam obligationem non fundet in ejusmodi præsumptionibus, eum præcise obligans, respectu cujus est periculum; hinc occasio peccandi respectu unius potest esse remota, et respectu alterius proxima.

§ III.

Quam obligationem inducant leges irritantes?

183. *Nota I.* Lex humana potest irritare actum *simpliciter*, ita ut nec metus, nec ignorantia faciant validum, vel quia est defectus potestatis in agente vel formæ substantialis in actu, vel quia actus ipse absolute irritatus est a jure ob bonum commune, quorum nihil supplere potest metus aut ignorantia, aut necessitas : sic irritatur v. g. matrimonium cum impedimento dirimente; et talis actus *ipso jure, ipso facto* invalidus est ante declarationem judicis, saltem si irritatio non sit pœnalis, cum pœna supponat culpam, a qua metus, ignorantia, necessitas excusant; aliud tamen foret, si lex imponeret pœnam ab irritatione distinctam, ubi pœna propter delictum incurritur, irritatio propter alios fines, puta bonum publicum, ut v. g. per irritationem matrimonii cum impedimento criminis contracti consulatur securitati conjugum, aliique a tali crimine absterreantur. Aliquando lex irritans actum requirit *declarationem judicis*, ut actus ipso jure quidem irritus etiam quoad effectum pro irrito habeatur, quod fieri videtur in irritatione electionis Religiosi ad prælaturam sine consensu superioris.

Aliquando lex ipsa non irritat, sed actum *rescindi* aut *irritari* jubet, v. g. venditionem ultra dimidium justi pretii; hæc autem irritatio ac rescissio supponit actum prius fuisse validum, et quamvis ante illam rescissionem

detur naturalis obligatio reparandi damnum injuste illatum; ad procurandam tamen irritationem nemo tenetur : differt autem hæc *irritatio judicialis* a sententia declaratoria nullitatis, quod hæc, non illa, retrotrahatur ad tempus contractus, ita ut cum re fructus etiam percepti debeant restitui. Potest vero etiam lex humana obligare *civiliter* tantum, negando actionem vel concedendo rescissionem, manente interim obligatione naturali, dum rescindatur actus, v. g. si minor cum consensu curatoris læsus petit restitutionem in integrum. Ubi vero actui jure naturali valido lex nec assistit, nec resistit, v. g. circa pactum nudum, non quidem datur actio, sed obligatio tamen naturalis, et exceptio pro foro externo.

184. *Nota II.* Duplex hic quæstio movetur, utraque fere celebris : an lex *simpliciter* irritans irritet pro utroque foro? an omnis lex prohibens sit etiam irritans?

Quoad *primum* sunt DD. non pauci, qui actum a jure *simpliciter* irritatum censent irritum civiliter tantum et pro foro externo, naturaliter autem et in conscientia obligare, saltem ante sententiam judicis. Alii æque multi, imo teste Pichler, plerique JCti recentiores docent, actus a jure *simpliciter* irritatos esse etiam irritos in conscientia ante sententiam judicis, si nempe lex ut personam *inhabilem* reddat ad agendum, vel det *formam* actui, vel directe irritet actum per verba, quæ *absolutam* nullitatem significant. Hos inter mediam cum Suaresio viam tentant ii, qui, cum leges utroque modo ferri possint, scilicet ut pro foro etiam interno irritent, vel non irritent, regulam generalem vix statui posse autumant, proin verba, materiam, circumstantias, finem legum diligenter consideranda esse, ita ut leges, si principaliter et immediate bonum publicum, publicam administrationem, certamque formam substantialem præscribant, aut si irritationi jungatur prohibitio, censendæ sint *ipso jure, ipso facto* irritare pro utroque foro; non item si respiciant utilitatem privatorum, aut si leges nec assistant, nec resistant, aut si irritatio solum fiat quoad probationem externam et fidem faciendam.

Quoad *secundum* fere communis TT. ac Canonistarum negat, quod omnis lex prohibens etiam sit irritans, et omnis actus invalidus, qui prohibitus, nixi principio juris recepto : *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem,* C. ad Apostolicam 16 de Regular. Plures vero Legistæ et Canonistæ cum Baldo tuentur, omnem legem prohibentem esse etiam irritantem, idque ex L. *Non dubium* 5. C. de LL.

185. *Dico I.* **Lex simpliciter irritans, irritat actum pro utroque foro.**

Prob. Legum obligatio desumenda a voluntate et potestate legislatoris, a materia, verbis et fine legum : atqui hæc omnia probant, legem *simpliciter* irritantem irritare actum pro utroque foro; ergo.

Prob. min. 1° Leges *simpliciter* irritantes irritant actum sine ulla exceptione, limitatione ac distinctione inter forum internum et externum; ergo satis exprimunt mentem legislatoris, uti potentis, ita volentis pro utroque foro irritare actum, cui resistit omnino ipsum vitians et cassans. Cur enim potius pro foro externo, quam interno actus censeatur irritatus, cum leges aversari soleant divortium inter utrumque forum juxta celebre axioma : *Lex justa*

pro foro externo est etiam justa pro foro interno? cur in legibus *simpliciter* irritantibus necesse sit ad judicem recurrere, sicque obruere tribunalia inutilibus litibus, et ire per ambages difficiles ac dubias, cum simplex ac recta legum indoles per viam faciliorem, breviorem et certiorem tendat ad suos fines? cur denique judex, qui ferre sententiam debet juxta leges, tollat obligationem naturalem, quam ipsæ leges non tollunt, pronuntietque invalidum, quod jura ceu validum agnoscunt? aliud quippe foret, si lex juberet actum rescindere, quòd in nostro casû non fit.

2° Leges *simpliciter* irritantes reddunt personam *simpliciter inhabilem* ad valide operandum, aut requirunt solemnitatem aliquam per modum *formæ substantialis :* sed actus ab inhabili vel sine forma substantiali gestus pro nullo foro est validus, uti fatentur adversarii de contractu pupilli, de matrimonio cum impedimento dirimente contracto, de professione religiosa ante annum ætatis 16, etc., tametsi in his leges non addant specialem clausulam de foro interno; ergo quicumque etiam alii actus *simpliciter* irritati, sunt pro utroque foro nulli, siquidem leges eos irritantes sint justæ, nec fundatæ in præsumptione falsa, nec pœnales, et præsertim si, ut leges canonicæ, forum primario internum ex fine suo respiciant. Adde praxin omnium tribunalium, quæ actus ab inhabili, aut contra formam substantialem gestos non tunc primum irritant, sed irritos jam ac nullos declarant; ergo nisi aliunde ad forum præcise externum irritatio restringatur, actus *simpliciter* irritatus, est *simpliciter* nullus pro utroque foro : alioquin omnes leges saltem civiles eludi poterunt dicendo, eas non obligare in conscientia, quia id non exprimunt.

3° Leges pro eo casu, quo *simpliciter* irritant, his utuntur verbis : *actus non valet : nullum effectum parit : nullius roboris est : nullius momenti est :* atqui sic irritant actum pro utroque foro, quia particula *non,* et signum negativum universale *nullus* negant omnia; ergo. Hinc, c. 20 *de Elect.* diserte asserit, illegitime natum et sine dispensatione electum non posse *bona conscientia* dignitatem acceptare : et in Extrav. *Ambitiosæ*, de rebus Eccles. non alien., tum in alienantem, tum in recipientem res Ecclesiæ alienatas sine solemnitate deciditur excommunicatio, quæ utique supponit peccatum grave in conscientia. Profecto sine omni fundamento in jure, et contra tenorem legum in nostro casu fit distinctio inter forum internum et externum : et quam parum actus pro *foro externo* validus, non autem pro interno, simpliciter dici potest, *nullius roboris, nullius momenti* esse, et *nullam parere obligationem :* tam parum de actu valido pro *foro interno,* et non pro externo, simpliciter dici potest, *nullius roboris, nullius momenti* esse, etc.; cum sane pro foro interno, pro quo valeret, sit magni momenti, magni roboris, et gravem pariat obligationem.

4° *Finis* harum legum irritantium v. g. contractum pupilli, professionem religiosam ante 16 ætatis annum, etc., est, præter bonum publicum, prospicere singillatim indemnitati ac infirmitati certarum personarum, idque via brevissima et facillima : sed hunc finem leges non obtinerent, si actus ejusmodi valerent in conscientia; cum hæc irritatio prodesset quidem iis, qui pro foro externo tuti, nec Deum nec conscientiam curant, parum vero aut nihil homini probo, qui graviter obligaretur in conscientia; atque hinc etiam peccatis præberetur occasio; ergo *mens legislatoris, materia, verba* et *finis* legum simpliciter irritantium evincunt irritationem pro utroque foro.

186. *Dico II.* **Lex prohibens non est per se et ex natura rei irritans.**

Prob. Prohibere actum est præcipere, ut actus non fiat : *irritare* actum non est præcipere, sed facere, ut voluntas aut consensus sit inefficax, et persona ad valide agendum inhabilis; adeoque præcipere et prohibere sunt effectus legis valde diversi, imo ab invicem separabiles, ac sæpe separati; ergo lex prohibens non est eo ipso etiam irritans : quippe verba humana plus non operantur, quam significant; cum autem verbum *prohibeo,* sive ex primæva sui institutione, sive ex communi usu, effectum irritationis diversum et separabilem non significet, neque illum operatur, quantumvis etiam legislator haberet voluntatem irritandi, quam tamen nulla ratione exprimeret : nam licet apud Deum voluntas ad operandum sufficiat, inter homines vero non sufficit, nisi exterius manifestetur.

Prob. A. 1° Sæpe a jure *irritantur* actus, quin sint illiciti aut prohibiti, v. g. contractus pupilli, fidejussio mulieris, renuntiatio facta paternæ hæreditati, testamentum factum coram 4 vel 5 testibus, etc.

2° Sæpe a jure *prohibentur* actus, qui tamen si fiant, non sunt invalidi, e. g. matrimonium stante voto simplici castitatis, aut stantibus cum alia sponsalibus, matrimonium clandestinum ante Concilium Trid., matrimonium initum sine præmissis denuntiationibus, susceptio SS. Ordinum respectu irregularium, donatio rei alteri promissæ, aut secunda venditio facta rei traditione, prolatio sententiæ sub conditione, consecratio facta a sacerdote, aut ordinatio ab Episcopo excommunicato, etc.; ergo. Atque hoc universim confirmatur ex c. 16 de Regular. cit., nec non ex Reg. 30 in 6 *in obscuris minimum sequendum,* et Reg. 75 eod. *contra eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio est facienda.*

187. *Obj. cont. I.* Lex irritans actum *ipso jure,* est odiosa et correctoria juris naturalis, quo actus foret validus pro utroque foro; ergo si non distincte exprimat forum internum, neque ad hoc extendi debet, cum odia sint restringenda, et irritatio pro foro interno separabilis ab irritatione pro foro externo.

R. *Ad 1. — N. A. et Supp.* quod jus naturale valorem tribuat actui, quem potestas humana simpliciter irritat tanquam ab inhabili vel contra formam substantialem factum. Jus naturale solum jubet servare fidem valide datam, an vero hic actus vel contractus sit fides valide data, relinquit humanis legibus decernendum; hæ vero leges, actum *simpliciter* irritando, manifeste decernunt, hanc vel illam fidem non esse valide datam : et non distinguendo inter forum internum et externum, suam irritationem leges ipsæ ad utrumque forum extendunt. Proinde satis *stricte* hasce leges interpretamur, cum eas in sensu et tenore satis claro, nec ultra verba comprehensiva extensas accipimus. Eodem fere modo loquendum adversariis tit. *de Pactis,* dum quæritur, utrum pupillus contrahens sine auctoritate tutoris *naturaliter* obligetur : ni mirum dicendo, obligationem illam naturalem ex consensu provenientem esse duntaxat *conditionatam,* nisi aliter lex statuat.

Ad 2. Quamvis irritatio pro foro interno et externo absolute possint separari : hic tamen sine fundamento separantur, quia ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, præsertim cum *lex justa pro foro externo,*

h. e præcipiens, prohibens, aut irritans aliquid pro foro externo, *sit etiam justa*, idemque præstans *pro foro interno*.

Inst. 1. Juxta regulas juris cit. 30 et 75 in 6 in obscuris minimum est sequendum, et facienda interpretatio contra eum, qui legem dicere potuit apertius; ergo, quia leges *simpliciter* irritantes non exprimunt utrumque forum, nec pro utroque irritant, maxime cum c. 8 de *Consuet.* et c. 40 de *Elect.* electio ipso jure irrita dicatur *cassari* et *reprobari*, quæ verba supponunt valorem pro foro saltem interno.

R. 1° *Retorq.* in omnibus fere legibus humanis, quæ juxta ipsos etiam auctores obligant in conscientia, quamvis simpliciter præcipiant aut prohibeant actum, nulla facta mentione fori interni. 2° Falsum, quod leges *obscure* loquantur de foro interno, dum *simpliciter*, sine ulla restrictione aut exceptione dicunt, actum *pro infecto habendum, nullius momenti, nullius roboris* aut *valoris esse*. Ad hæc si, quod *minus gravat* aut *obligat*, in obscuris sequendum est, potius dicendum, quod actus simpliciter irritatus, pro utroque foro sit invalidus, quia sic minus obligat, quam si pro foro interno valeret. 3° Verba *cassari, reprobari*, non semper supponunt valorem actus, cum ordinationes etiam certo validæ dicantur *cassari*, scilicet quoad aliquos effectus, et matrimonium clandestinum certo invalidum dicatur *reprobari*.

Inst. 2. Si lex *simpliciter* irritans actum, irritat pro utroque foro; ergo frustraneæ sunt istæ clausulæ aliquando legibus adjectæ, *etiam pro foro animæ non suffragetur : viribus careat absque omni alia declaratione : quod obtentum est, non valeat retineri*. Adde, quod jura sæpe distinguant inter forum internum et externum, v. g. circa læsionem infra dimidium justi pretii, ita ut pro foro externo negent actionem, pro foro autem interno relinquant obligationem. Tandem obtinetur *finis legum*, eo quod judex teneatur actum pronuntiare invalidum; ergo ex fine harum legum nihil evincitur.

R. *Ad* 1. — *N. seq.* Nam illæ clausulæ aliquando adduntur ad majorem cautelam et instructionem in casu particulari, ne quis sententiam adversam, utpote probabilem, sequendo, fructus v. g. beneficiales non restituat, etc.

Ad 2. Lex denegans actionem nihil præcipit, aut prohibet, aut irritat, sed tantum denegat assistentiam juris, relicta naturali obligatione in conscientia : omnis autem lex præcipiens aut prohibens, aut irritans actum, et quidem simpliciter, sine ulla exceptione, cum sit *justa pro foro externo, justa etiam et pro foro interno*, h. e. præcipiens, prohibens, irritans in conscientia.

Ad 3. Leges brevius, facilius, certius suum *finem* obtinent per absolutam irritationem actus pro utroque foro, quam per sententiam judicis.

Inst. 3. Si lex *simpliciter* irritans tollit obligationem etiam in conscientia; ergo non peccat, qui actum ejusmodi exequitur, condendo v. g. testamentum sine solemnitate, contrahendo matrimonium clandestinum, etc.

R. — *D. seq.* Si irritationi non simul jungatur prohibitio, aut obligatio ex lege naturali *C.* si hæc jungatur *N.* Irritatio est effectus ab obligatione distinctus, uti patet ex matrimonio et professione religiosa *metu factis*, quæ irrita sunt, et tamen sic contrahens aut profitens *ex metu*, non peccat; idem est de testamento, præsertim ad evitanda varia incommoda sine solemnitate condito, quod sane nulli injuriosum est, non hæredi instituto, qui præteriri poterat, non hæredi ab intestato, qui in testamento non solemni succedit. Quod vero clandestine contrahendo matrimonium, aut emittendo professionem

sine debita forma, peccetur graviter, id oritur ex lege naturali, quæ actus ad religionem vel justitiam spectantes *valide* præstari jubet, nisi legitima causa excuset. Idem est, si lex non sit præcise irritans, sed simul prohibens.

188. *Obj. cont. II.* Lex naturalis sæpe verbis prohibitionem duntaxat significantibus irritat actum; ergo idem dicendum de lege humana.

R. — *D. A.* Lex naturalis prohibens simul irritat actum, quando vel est defectus potestatis in agente, vel actus intrinsece malus, et objectum de se turpe *C.* quando non deest potestas, nec actus ex se vel ex objecto suo turpis est *N.* Sic pactum v. g. de committenda fornicatione, aut de accipiendis usuris, quia *de se* turpe est, uti a lege naturali prohibetur, ita simul irritatur, cum eadem turpitudo esset in obligatione, quæ est in actu promittendi; sed matrimoninm v. g. stante voto simplici castitatis, aut aliis sponsalibus, item venditio ejusdem rei secunda, non *ex se* vel *ex objecto suo* turpia sunt, sed tantum ratione *circumstantiarum*, scilicet voti, sponsalium aut prioris venditionis, quæ potestatem contrahendi non adimunt.

Ad hæc lex humana, constitutiva novi juris, de qua hic sermo est, non prohibet actum, quia malus est, sed prohibendo facit malum; ideoque potest prohibere actum, et tamen tolerare effectum, vel quia non apparet tanta indecentia in uno, sicut in altero, vel saltem non movetur ad prohibendum utrumque, uti constat ex impedimentis impedientibus matrimonium. Si ergo lex humana non solum prohibet actum, sed et obligationem, erit lex simul irritans, et jam non tantum actus, sed obligatio etiam erit mala, quia prohibita.

Inst. 1. Lex prohibens, ne apponatur pœna sponsalibus, item lex prohibens promissionem revocandi testamentum, censentur leges simul irritantes; imo lex omnis humana, quæ prohibet actum intuitu justitiæ, eo ipso irritat illum, ne foveat injustitiam; ergo.

R. *Ad* 1. — *D. A.* Hæ leges censentur irritantes, quia prohibitionis ratio magis aut æque respicit effectum legis seu obligationem, quam ipsum actum *C.* præcise vi prohibitionis *N.* Ratio prohibitionis est, ut matrimonia et testamenta sint libera; proin lex prohibens v. g. appositionem pœnæ in sponsalibus, *absolute* impedit, ne ulla ad pœnam obligatio ex tali contractu nascatur, quia talis obligatio libertati matrimonii semper obstaret; ita Suarez. Verum de tali modo irritandi constare debet, quia in dubio præsumitur de valore actus.

Ad 2. — *D. A.* Lex prohibens actum intuitu justitiæ irritat actum, si verba et ratio legis id requirant *C.* et hæc irritatio ex ratione justitiæ vel injustitiæ per se tantum considerata colligitur *N.* Potest quippe lex intuitu justitiæ actum prohibere, et tamen nolle irritare factum, contenta inducere obligationem faciendi restitutionem propter injuriam; quod si aliquando fieri non potest, est *per accidens*, neque id sufficit ad annullandum actum.

Inst. 2. Leges *civiles*, etiamsi pure prohibeant actum, simul eumdem irritant, juxta L. *Non dubium.* 5. C. de LL., qua aperte statuitur, actum contra legem prohibentem *habendum esse pro infecto*, quamvis legislator non expresse dixerit, *inutile esse debere, quod factum est*; ergo leges etiam *canonicæ*, proin omnes leges prohibentes sunt etiam irritantes.

R. 1. Lex civilis prohibens est simul irritans, quando actus contra legem

prohibentem factus est in fraudem legis, id quod cit. L. *Non dubium*, verba innuere videntur : *in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem*, uti et illa : *quod ad omnes ctiam legum interpretationes trahi generaliter imperamus.* Adde, quod lex citata fuerit condita occasione quorumdam Curialium fraudulenter agentium. Verum hæc expositio acuta magis, quam vera esse videtur, cum Imperator omne effugium præcludens statuat : *Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente... quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habentur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est.* Atque hanc ipsam legem citat Greg. I, caus. 25, q. 2, can. 13 : *Imperiali Constitutione aperte sancitum est, ut, quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint;* Consentiunt L. 6. Cod. de *Pactis*, et Reg. Jur. 64 in 6; hinc

R. 2. Quæ legibus civilibus prohibentur, regulariter *ipso jure* sunt irrita, nisi aliunde constet, quod legislator noluerit irritare actum quemdam specialem; tamen hæc irritatio non fit cum effectu, neque obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam; tum quia irritatio ista pœnalis est juxta citatæ legis verba, *nec pœnas insertas legibus evitabit;* tum quia posita est in odium violatæ prohibitionis, adeoque non incurritur ante sententiam, itidem juxta verba legis citatæ, *sed nullum talem contractum videri volumus*, quæ verba referuntur ad actum hominis, uti et illa, *non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur*, nempe in judicio. Hac nempe via media salvantur et illa verba legis de *insertis pœnis*, deque contractu, qui *nullus videri* debeat, quæ sententiam judicis innuunt non irritantis, sed actus irritos declarantis : simul autem et illa verba legis, actus prohibitos *non tenere, nullius esse momenti, nullam vim habere*, quatenus illi actus ipso jure sunt irriti, ita ut, quamvis quoad effectum interim sustineantur usque ad sententiam declaratoriam, tamen hæc irritatio facta a lege, et declaratio facta a judice fictione juris retrotrahatur ad ipsum tempus initi contractus, omnes etiam effectus præteritos enervans pro utroque foro.

R. 3. Ex his vero non recte infertur, leges etiam *canonicas* omnes prohibentes esse simul irritantes; tum quia teste Suaresio communis Jurisperitorum id negat; tum quia irritatio ceu pœna vel saltem grave onus prohibitioni annexum non præsumitur, nisi alia lex canonica id declaret; tum ex usu et praxi summorum Pontificum ac Conciliorum, quæ clausulam irritantem sollicite addunt, ubi decernunt irritationem. Greg. I utitur cit. lege *Non dubium*, non ut effectum habeat circa canones, sed circa alias leges imperiales.

Inst. 3. Si actus contra legem civilem prohibentem gestus est *ipso jure* nullus; ergo non requiritur sententia judicis, ante quam jus naturale jam obligat ad restitutionem eum, qui rem alienam *nullo jure* detinet.

R. — *D. seq.* Non requiritur sententia condemnatoria, qua judex actum irritet *C.* declaratoria *N.* Pœnæ *ipso jure* latæ, si externam aliquam executionem delinquentis requirant, *regulariter* non obligant in conscientia, nisi post sententiam declaratoriam, et eousque lex suspendit effectum irritationis, ut interim accipiens aliquid ex tali actu vel contractu permittatur rem detinere, eaque uti possit, non tamen pro lubitu e. g. illam destruendi, alie-

nandi, etc., quia in casu sententiæ declaratoriæ tenetur rem cum emolumentis restituere. Igitur ante sententiam judicis declaratoriam irritatio necdum est omnino completa et absoluta, sed quodammodo *conditionata*, si nempe de delicto *juridice* constiterit. Hujus rei exempla præbent c. *Cum secundum leges.* 19 de *Hæret.* in 6, licet bona hæreticorum dicantur *ipso jure* confiscata : et Concilium Trid., Sess. 22, c. 11 de Ref., licet pœna privationis beneficiorum *ipso jure* lata dicatur contra usurpantes bona Ecclesiarum. Atque idcirco leges, quæ sententiam etiam declaratoriam excludunt, addunt hasce clausulas : *absque ulla declaratione : ante omnem sententiam : sine omni ministerio judicis : sine omni monitione*, etc.; uti videre est in c. *Licet canon.* de Elect. in 6, et in Extrav. *Ambitiosæ* supra cit.

Dixi : *regulariter*, nam irritatio pœnalis statim incurritur, si lex alias fieret inutilis; ita leges impedimenta matrimonii dirimentia statuentes irritant ante omnem sententiam, quamvis tantum utantur verbo *prohibeo*, quia si matrimonium aliquando valeret, per nullam amplius sententiam rescindi aut irritari posset; item irregularitas, quæ ordinarie statuitur a jure, et non ab homine, statim incurritur, licet non adjecta speciali clausula solum dicatur : *fiet*, aut *fiat* irregularis, etc. Demum de effectu seu obligatione legis aut *ignoratæ* aut *dubiæ* vide Tract. de Act. Hum., num. 87, 192, 227.

CAPUT V.

DE MUTATIONE LEGIS HUMANÆ.

ARTICULUS I.

DE INTERPRETATIONE LEGIS HUMANÆ.

189. *Nota I.* Tametsi bono communi non expediat, facile leges mutare aut abrogare, ne ansa detur eas earumque observantiam minoris æstimandi; attamen si aut necessitas, aut magna et evidens utilitas id exigat, et possunt et debent mutari, tum quia mores hominum, qui legibus diriguntur, admodum variabiles sunt, tum quia legislator itidem homo in condenda lege non potuit prævidere omnes casus, pro quibus successu temporis lex fieri posset aut inutilis aut noxia. Hæc autem *mutatio legis humanæ* fieri potest 1. quoad *substantiam*, qua lex vel secundum se totam, vel secundum partem sui abrogatur, et fit ab extrinseco per ipsum legislatorem aut desuetudinem, ab intrinseco autem per cessationem finis : 2. quoad *obligationem*, ita ut lex quidem maneat obligans communitatem, unus tamen vel plures ab ejus observatione eximantur, et fit per dispensationem, privilegium, interpretationem et epikeiam. Singula postremum hoc caput breviter discutiet; ordine tamen retrogrado.

190. *Nota II. Interpretatio* est legis obscuræ explicatio, qua declaratur in tali casu obligare vel non obligare : dividitur in *authenticam,* quæ fit ab ipso legislatore, vel ejus successore aut vicario : talis est interpretatio seu declaratio legis naturalis et divinæ facta a Romano Pontifice, Christi in terris Vicario; atque hæc dicitur generalis, quia ad omnes subditos extenditur; et necessaria, quia omnes obligat in vim legis : in *usualem,* quæ per usum et consuetudinem populi introducta, itidem generalis est ac necessaria, quia consuetudo *optima legum interpres,* L. 37, ff. de LL. : et in *doctrinalem,* quam judices inferiores, DD. et JCti, aut etiam in necessitate quicumque alii rerum gnari faciunt, dum abest legislator et consuetudo tacet : hæc nec generalis est, nec necessaria; licitum tamen est eam quandocumque sequi, imo si a judicibus facta sit, et sententia transierit in rem judicatam, partes illam sequi tenentur. De *doctrinali* nobis hic sermo est, quæ si ob paritatem aut identitatem rationis legem extendit ad personam vel casum in lege non expressum, vocatur *extensiva* : si vero ob circumstantias benigne interpretatur ex bono et æquo, hunc casum vel hanc personam in lege alias universali ex mente legislatoris non contineri, dicitur *restrictiva,* quæ et *epikeia* dicitur, voce æquitatem denotante : demum interpretatio, quæ verba legis juxta sensum a legislatore intentum declarat, *simplex* appellatur; hujus uti et illius extensivæ ac restrictivæ regulas hic subjicimus.

191. *Dico I.* **Regulæ pro interpretatione simplici sunt :**

1ª Interpretatio facienda juxta *mentem legislatoris. Ratio* : quia voluntas et intentio legislatoris est anima legis et mensura obligationis; hæc vero desumenda ex verbis legis propriis et claris, vel ex materia, vel ex comparatione cum aliis legibus, etc. Ita decisum can. *Humanæ* 11, caus. 22, q. 5 : item c. ult. de R. J. in 6, et L. *Non dubium* cit.

2ª In interpretatione præcipue etiam spectanda est *proprietas verborum. Ratio* : quia ex verbis legis regulariter colligitur mens legislatoris : si vero a propria verborum significatione pro lubitu recedi posset, vix quidquam in jure certum foret. Aliud est, si inde sequeretur absurdum. In dubio accipienda sunt verba juxta communem sensum Jurisperitorum.

3ª *Ratio legis expressa* alterum post verba certitudinis argumentum præbet. *Ratio* : quia est quædam veluti pars legis, in qua continetur a supponitur. Si vero *expressa* non est, sed ab interpretibus adducta, facit probabilem duntaxat conjecturam, cum sæpe ex arbitrio potius, quam ex certa ratione quid statuatur.

192. *Dico II.* **Pro interpretatione extensiva hæ sunt regulæ :**

1ª Lex nequidem favorabilis regulariter extendi potest *ab homine privato. Ratio* : quia nec jus, nec ratio id evincit pro DD. privatis, qui ex defectu jurisdictionis nequeunt extendere legem ad id, ad quod legislator eam non extendit. Quamvis autem pro casu in lege non expresso sit vel similis vel eadem ratio, potuit tamen legislator eam rationem pro uno casu assumere, non item pro altero; ita si Pontifex pro uno Ordine Religioso decerneret speciale vel privilegium, vel præceptum, interpretatio pro aliis Ordinibus non esset facienda, tum quia odia sunt restringenda, tum quia, licet favores sint ampliandi, aliud hic subintrat principium juris, *quod alicui gratiose*

conceditur, non esse ab aliis trahendum in exemplum, Reg. 74 in 6 tum quia si etiam par aut eadem ratio esset, juxta commune axioma, *ratio legis non est lex*. Si vero lex sit aliquo modo universalis, ejusdem extensio non tam interpretatio *extensiva*, quam *comprehensiva* erit, solum declarans alios etiam casus, licet non adeo clare expressos, in lege contineri.

Dictum 1. *Regulariter*, quia in casibus specialibus, nempe correlationis, connexionis, æquiparationis id possunt DD. privati, ut innuit L. *Ideo*. 27, ff. de LL., *semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, et ad eas res pertinerent, quæ quandoque similes erunt;* hinc quando lex dicit, maritum uxore adulterante lucrari dotem, censetur etiam dicere, uxorem marito adulterante lucrari donationem propter nuptias, juxta illud: *ubi est eadem ratio, debet esse eadem juris dispositio.*

Dictum 2. *Ab homine privato* : nam judex in ferenda sententia potest et debet quandoque legem extendere ad similem causam, ubi par est ratio; quippe non omnes causæ in legibus distincte exprimi possunt, judici autem non licet causas decidere, nisi secundum jura. Constat ex L. 12 et 13, ff. de LL., nec non ex L. 27, et nato inde axiomate : *casus similis expresso non censetur omissus.*

2ª Interpretatio extensiva et communi Jurisperitorum sensu facta, habet vim legis. *Ratio* : quia illa jam non amplius mere doctrinalis est, sed *usualis*, quæ optima est juris interpres : sic quia communis JCtorum Novellam 66. de promulgatione legum testamentariarum ad alias quoque leges imperiales extendit, idque usu etiam obtinet, ea interpretatio censetur *usualis*, habens vim legis.

193. *Dico III.* **Regulæ pro epikeia seu interpretatione legis restrictiva sunt :**

1ª Lex humana licite restringitur, si adsit causa rationabilis et justa præsumendi de benigna mente legislatoris, quod in his circumstantiis noluerit obligare. *Ratio* : Legislator humanus nequit prævidere, suisque legibus inserere omnia, proin casus particulares judicio et æquitati prudentum, juxta bonum et æquum leges explicantium, relinquit. Huic epikeiæ favent ipsæ leges, 8 Cod. de Judic. : *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ, æquitatisque, quam stricti juris rationem;* et L. 90, ff. de R. J. : *In omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitas spectanda est.* Favet ipsa etiam praxis, cum Machabæorum pugna in die sabbati, jejunium ab infirmis non servatum, egressus monialium ex clausura utut stricta pro casu incendii, gladii aut depositi redditio negata ei, qui prævidetur aut se aut alium occisurus, manifeste supponant factam in lege sabbati, jejunii, etc., benignam interpretationem per epikeiam, etiam circa legem naturalem et divinam.

Excipe leges *irritantes* et quæ dant formam actui, v. g. leges irritantes matrimonium clandestinum, aut cum alio impedimento dirimente contractum : nam hæ leges nullam, urgente quacumque necessitate, admittunt epikeiam, quia non tam bonum privatorum spectant, quam uniformitatem agendi, et rationes communes.

2ª Ut rationabilis sit *usus epikeiæ*, debet per illam vel caveri iniquum, ut si legis secundum verba acceptæ executio repugnaret præcepto naturali, divino, aut humano etiam gravius obliganti : vel evitari obligatio plus æquo acerba cum detrimento reipublicæ aut cum periculo mortis, gravis damni

et difficultatis, siquidem pro tali casu credibile sit, cessare aut voluntatem aut potestatem legislatoris : vel mens legislatoris, non obstante ejus potestate, conjectari debet ex circumstantiis, forma regiminis, observandi usu, et more interpretandi similes leges. *Ratio* : quia in his fundatur præsumptio de illa legislatoris mente, qua ipsemet, si fuisset interrogatus, ejusmodi restrictionem fieri voluisset.

Si ais : L. 1, C. de LL. ait imperator : *Inter æquitatem jusque interpositam interpretationem nobis solis et oportet et licet inspicere* : et in L. *Prospexit*, 12, ff. vult, legem etiam *duram* esse observandam, si ita scripta sit ; hinc S. Aug., can. 3, Dist. 4 dicit : *non de legibus, sed secundum leges judicandum esse;* ergo epikeiæ usum jura reprobant.

R. — *D. A.* Et hæc jura probant, legem utut duram servari debere, si mens legislatoris et verba legis sunt adeo clara, ut interpretationi restrictivæ plane locus non sit *C.* si verba legis sint generalia, quæ in casu particulari, salva adhuc verborum generalitate, admittunt interpretationem ex bono et æquo *N.* Si *probabile* tantum aut *dubium* sit, legem non comprehendere hunc vel illum casum particularem, juxta L. 1, C. de LL. cit. consulendus est Princeps; non vero si *certo* constet, legem vel ob iniquitatem et suam cum alia lege aut virtute magis obligante oppositionem, vel ob nimiam asperitatem ac difficultatem, vel ex alio quocumque capite pro casu aliquo particulari non obligare.

ARTICULUS II.

DE DISPENSATIONE LEGIS HUMANÆ.

194. *Nota. Dispensatio* definitur : relaxatio legis publica auctoritate concessa pro particulari casu vel persona, manente interim aliorum obligatione. Differt a *licentia* vel permissione, qua non relaxatur obligatio legis, sed permittitur operatio contra modum a lege præscriptum, ut si Superior permittat religioso donare aliquid alteri, quin propterea dispenset in voto paupertatis : ab *epikeia*, quæ non fit auctoritate publica, neque est actus jurisdictionis, sed doctrinæ et prudentiæ : ab *interpretatione authentica,* quæ legem dubiam declarat non obligare, cum dispensatio eximat ab obligatione legis certæ.

Dividitur in *totalem* et *partialem,* quæ vel ex toto, vel ex parte aufert obligationem legis, ut si irregularis dispensatur vel ad omnes, vel ad minores tantum ordines : in *necessariam,* quæ eam petenti non debet negari ob grave commodum vel incommodum seu commune, seu privatum præsertim spirituale, et in *voluntariam,* quæ licet justam causam habeat, non est tamen debita : in *expressam,* quæ disertis verbis aut signis voluntatem Superioris manifestantibus conceditur, et in *tacitam*, quæ non in se ac directe conceditur, sed in alio, quod sine dispensatione fieri non potest, ut si Superior, quem scit irregularem, jubeat recipere SS. Ordines. Dicitur autem justificari dispensatio vel ex causa intrinseca, ut si lex jejunii fiat alicui nimis onerosa, vel per causas extrinsecas, v. g. scientiam, nobilitatem, ita ut hæc renumeratio redundet in bonum Ecclesiæ. Nos hic præcipue disquirimus

conditiones requisitas ad dispensationem *legitimam*, h. e. vel præcise validam, vel simul validam et licitam.

195. *Dico I.* **Dispensatio valida et licita est, si fiat a legitimo Superiore, et justis de causis, sive in suis, sive in prædecessorum suorum, sive in inferiorum legibus.**

Prob. Lex non obligat, nisi ex voluntate legislatoris; ergo hac voluntate per dispensationem sublata, desinit lex obligare. Dein legislator parem habet cum prædecessoribus potestatem, neque restrictam ab illis accepit. Demum Superior inferiorum leges approbare, aut abrogare potest; ergo etiam in iis dispensare. Ita Episcopus in constitutionibus Synodi diœcesanæ, et Rom. Pontifex, qui sua ipse Rescripta in multis casibus executioni mandari non vult c. 10 *de Rescript.*, potest dispensare in jure mere canonico, in legibus suorum Prædecessorum, in Decretis Conciliorum etiam generalium, quin et in statutis Apostolorum humana auctoritate conditis, uti probat praxis Ecclesiæ, quæ circa neophytos et bigamos in ordine ad Episcopatum iis conferendum jam sæpe dispensavit; quippe in prædictis aliquando sine mora dispensatio concedenda erat, quin ad Concilium generale recurri posset.

Dictum 1. *A legitimo Superiore*, h. e. a legislatore, ejus successore, ac quolibet magistratu habente potestatem dispensandi, vel ordinariam et vi officii competentem, vel delegatam ex concessione habentis ordinariam. 2. *Justis de causis*, ut sunt necessitas, utilitas, pietas, misericordia, æquitas, gratitudo, etc.: nulla harum interveniente valida quidem erit, at non licita dispensatio, cum lex quidem dependeat a voluntate legislatoris, sed ita, ut prudenter utatur sua potestate; per se autem imprudens ac indecens est, sine causa alios eximere a lege, aliis legi subjectis, sicque ansam dare querelis tum contra vitium acceptionis personarum, tum contra deformitatem, qua partes discrepant a toto. Hinc Concilium Trid., Sess. 24, c. 5 de *Ref.* ait: *In matrimoniis contrahendis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa et gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, et ob publicam causam;* et Sess. 25, c. 18 de *Ref.* universim in dispensationibus justam causam requirit.

Si ais : 1° Princeps remittere alicui potest tributa *absque causa;* ergo et obligationem legis, præcipue cum non semper in petendis dispensationibus causa exprimatur. 2° Vel si licite id non potest, nec valide poterit juxta c. *Cum dilecta.* 22 de Rescript., et L. *Diligenter* 5, ff. Mandati. 3° In Curia Rom. inde a multo tempore dantur dispensationes, quæ dicuntur *sine causa;* ergo.

R. *Ad* 1. Princeps remittendo alicui tributa, se habet instar personæ privatæ, sed dispensando agit personam publicam : quamvis autem non semper assignetur causa, sine causa tamen, qualis e. g. sunt merita in Ecclesiam vel præterita, vel futura et exinde speranda, dispensationes non conceduntur. Dispensans sine justa causa peccat graviter pro casu gravis deformitatis aut damni, pro quo Concilium Trid. graviter prohibet talem dispensationem; secluso autem scandalo aut notabili damno probabilius tantum venialiter. Cæterum licite agit dispensans ex ratione vere probabili de sufficientia et justitia causæ, et subditus securus esse potest de obtenta dispensatione, si bona fide proponat causas dispensandi : quamvis enim dispensationes dican-

tur vulnera legum, et sint strictæ interpretationis, ipsa tamen potestas dispensandi dicitur esse amplæ interpretationis; unde et delegari potest, et dispensatio in dubio censetur legitima.

Ad 2. Cap. *Cum dilecta :* et L. *Diligenter,* sunt de dispensante, qui egreditur limites suæ potestatis; hinc inferior in lege superioris nec valide, nec licite dispensat absque ratione, quia superior censetur inferiori permisisse facultatem dispensandi valide ac licite, adeoque non imprudenter, et sine rationabili causa.

Ad 3. Dispensationes ejusmodi reipsa non concedi *sine causa*, quamvis hæc non exprimatur, probat formula Pontificia, *ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus.* Certe si nobilitas ad obtinendam dispensationem inserviat, quidni notabilis pecuniæ summa, quam in usus reipublicæ Christianæ necessarios aut summe utiles Cameræ Apostolicæ solvunt ii qui ejusmodi dispensationes obtinent, transire possit in partem causæ dispensandi? ita illust. De Marca.

196. *Dico II.* **Dispensatio inferioris in lege superioris ordinarie non est valida.**

Prob. Dispensatio est actus jurisdictionis : sed inferior non habet jurisdictionem in leges superioris : tum quia inferior c. 16 de M. et O. solvere vel ligare, et ex Clem. 2 de Elect. legem superioris tollere non potest : ergo. Unde sequitur Archi-Episcopum dispensare non posse in legibus statutis a Concilio Provinciali, utpote quod illo superius est; neque Episcopos aut Archi-Episcopos in legibus Ecclesiæ universalibus extra casus tacite vel expresse ipsis permissos.

Dictum *ordinarie :* potest namque inferior v. g. Episcopus in lege superioris v. g. Papæ dispensare. 1° Si *jus* id permittat, sive *expresse*, ut cum Concilium Trid., Sess, 24, c. 6 de Ref. dat nominatim Episcopis potestatem dispensandi *in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario;* sive *implicite*, h. e. non designato singulariter dispensatore, quo casu potestas dispensandi intelligitur concessa Episcopis et Prælatis inferioribus, cum non dirigatur ad Papam hac licentia non indigentem. 2° Si habeatur *ex speciali privilegio,* quale habent plures Germaniæ Episcopi, singulis vero quadriennis aut quinquenniis a Sede Apost. renovandum, v. g. facultas ex delegatione Papæ dispensandi pro utroque foro cum pauperibus in tertio vel quarto gradu consanguinitatis et affinitatis in ordine ad contrahendum matrimonium, aut ad permanendum in jam contracto, item in amisso jure petendi debitum, in impedimento criminis, si neuter conjugum machinatus est mortem, in impedimento publicæ honestatis orto ex sponsalibus de futuro. 3° Si *legitima consuetudine* præscripta sit, quia talis consuetudo confert jurisdictionem. 4° Si aut *materia* est *levis*, nec sub mortali præcepta, qua ejusmodi minora cum ipsa jurisdictione concessa esse præsumuntur, aut si *frequentior* est *necessitas* dispensandi, v. g. circa observationem jejuniorum et festorum, quia in his nimis difficile foret semper Romam recurrere. 5° Etiam in casu graviore v. g. irregularitatis aut voti Papæ reservati, impedimenti matrimonium dirimentis etiam contrahendum, si nempe ob locorum distantiam difficillimus sit aditus Papæ, et periculum grave in mora, quia

suave regimen Ecclesiæ hic exigit, posse dispensare Episcopum. 6º In *dubio* de necessitate dispensationis : tunc enim vel nulla requiritur, vel sufficit dispensatio Episcopi.

Si ais : Episcopus potest in sua Diœcesi, quod Pontifex in tota Ecclesia; ergo quando Pontifex sibi non reservavit dispensationem, hujus facultas est penes Episcopos et Prælatos Ecclesiasticos; hinc c. *Nuper* 29 de sent. excomm. INNOC. III rescripsit Episcopo Uratislaviensi : *Quando conditor canonis*, excommunicationis, *absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.*

R. Axioma illud nec habetur in jure canonico, nec firma ratione nititur; imo verum non est *universaliter :* alioquin poterit Episcopus canonizare sanctos, confirmare Ordines religiosos, ponere impedimenta matrimonii dirimentia, definire articulos fidei, simplici presbytero committere facultatem conferendæ confirmationis, etc.; in hoc ergo sensu tenet, quod in sua Diœcesi Episcopus possit omnia, quæ a jure, seu legitima consuetudine permissa, et ad ordinariam ejus gubernationem necessaria sunt, tamen cum debita ad leges canonicas et ad Caput Ecclesiæ subordinatione. Cap. *Nuper* agit de absolutione a censura non reservata, quæ non prohibetur a lege; adeoque per absolutionem nullum jus violatur, per dispensationem autem violatur jus superioris; unde HONORIUS III reprehendit Episcopum plures eodem die ordines conferentem, quia hæc *dispensatio ei a canone minime permissa erat*, adeoque prohibita. Cum ergo inferior superioris jura mutare non possit, nisi de ejus consensu, ille nequit dispensare in hujus lege, cujus relaxationem quidem superior sibi expresse non reservavit, quam si aliquando reservat, ad majorem id cautelam fit; si non reservat, exinde nihil juris colligitur pro inferiore.

Possunt vero etiam LEGATI APOSTOLICI habitantes in sua provincia, CAPITULUM Sede vacante, PRÆLATI habentes jurisdictionem quasi-Episcopalem, dispensare in lege Pontificia, sicut Episcopi quoad casus eisdem *jure ordinario* permissos; imo PAROCHI, licet dicantur non habere jurisdictionem pro foro externo, saltem ex consuetudine dispensant in quibusdam casibus, v. g. in jejunio circa personas particulares, quoad laborem servilem die festo, etc. ARCHI-EPISCOPUS non potest dispensare cum subditis suorum Suffraganeorum, in quo extra visitationem non habet jurisdictionem, præterquam in causa appellationis; imo prout vult SUAREZ cum aliis, in actuali visitatione habet quidem jus absolvendi subditos Suffraganei, at non cum iis dispensandi.

197. *Dico III.* **Dispensatio non est valida, si est vitiata subreptione vel obreptione circa substantiam.**

Prob. Ubi in narratione postulantis reticetur veritas, aut falsitas exprimitur, vel ex fraude et malitia oratoris id fit, sicque dispensatio nulla est in pœnam perversitatis : vel ex simplicitate et ignorantia, sicque deest tamen consensus et voluntas legislatoris, qui dispensare vult sub his duntaxat conditionibus, si res ita sit, si preces veritate nitantur, nempe nihil addendo, vel occultando eorum, quæ sint vel ipsa materiæ substantia, vel necessariam cum ea connexionem habeant, c. 20 *de Rescript.*

Dictum *circa substantiam* : non enim quævis subreptio, sed reticentia veritatis, quam exprimi vult *jus*, h. e. lex, consuetudo, et stylus superioris,

quia juxta c. 6 *de crim. falsi*, jus facit; nec quævis obreptio, sed narratio falsitatis, qua fingitur causa *motiva* seu finalis, principaliter movens ad concessionem dispensationis : nam hæc intrinsece pertinet ad materiam Rescripti. Causa vero *impulsiva*, tametsi facilius dispensari faciat, tamen nonnisi extrinsece et per accidens se habet ad ipsam dispensationem, quam proinde non irritat.

198. *Observa.* Qui petit dispensationem, aut ea utitur sine causa, vel quam scit illicitam, peccat, et ipse intendens et inducens alium ad illicitum, nec non violans legem naturalem, quæ præcipit, ne quis sine causa discrepet a communitate; si tamen valida est dispensatio hujusmodi, validus quoque ejusdem usus est, quia reipsa sublatum est vinculum legis. Superior autem secum ipse potest dispensare vel *indirecte*, v. g. dispensando cum tota Diœcesi in jejunio, aut delegando alteri e. g. confessario potestatem dispensandi, cujus proinde jurisdictioni etiam superior se submittit : vel probabilius etiam *directe*, seipsum eximendo a lege, tum ne Prælatus sit deterioris conditionis, quam subditi, tum quia dispensatio est actus jurisdictionis voluntariæ, quæ non semper requirit distinctionem personarum. Aliud quippe est de absolutione a censuris, quæ fit per *sententiam judicialem* : quamvis autem non possit quoad pœnas per sententiam in ipsum latas, potest tamen quoad pœnas, quas ipso jure incurrit, secum ipse, sicut cum aliis dispensare. Atque hæc potestas secum ipso dispensandi, intelligenda non est de summo Prælato seu Papa quoad leges humanas, imo nec de inferioribus etiam Prælatis quoad proprias leges, quia his non obligantur; sed de casu, quo inferior dispensat in lege superioris, e. g. Episcopus in lege Pontificis.

Quæ sint *causæ dispensandi*, præsertim in impedimentis matrimonii, item in voto castitatis aut religionis? an et quomodo dispensatio *cesset* tum cessante causa, tum per revocationem dispensantis, tum per renuntiationem dispensati? qua ratione *petenda* sit dispensatio a Sede Apostolica? vide in Jure Can. et in Theol. Mor.

ARTICULUS III.

DE PRIVILEGIIS SEU EXEMPTIONIBUS A LEGE HUMANA.

199. *Nota. Privilegium* definitur : lex privata aliquod speciale concedens beneficium; differt a *lege*, quæ eon spectat favorem unius aut plurium, sed bonum communitatis : a *dispensatione*, quæ est exemptio a lege, at non ordinaria et stabilis, sicut privilegium : a *licentia*, quæ pariter ad paucos tantum actus conceditur : a *rescripto*, quia beneficium est juris, et datur vel præter jus commune, ut potestas dispensandi, vel contra jus commune, ut exemptio a solvendis decimis; cum justitiæ rescriptum versetur circa jus et facta hominum, adeoque juris non sit, rescriptum vero gratiæ detur secundum jus et ad dicendum jus.

Dividitur 1° in *personale*, quod proxime confertur personæ, et in ejus favorem ob privatam excellentiam, scientiam, sanctitatem; et in *reale*, quod proxime confertur rei, loco, muneri, dignitati, v. g. prædio, monasterio,

Ecclesiæ, ultimato redundans in personam. 2° In *perpetuum*, quod ex se durat, donec fuerit revocatum, adhærens rei ex se perpetuæ, v. g. Ecclesiæ vel Ordini religioso; et in *temporale*, quod datur vel personæ singulari, vel ad certum tempus, vel sub certa conditione, cum quibus exspirat: hinc aliud dicitur datum *absolute*, cui nulla conditio seu modus additur, aliud *sub conditione* vel *modo* concessum. 3° In *favorabile*, quod dum favet privilegiato, aliis non præjudicat, e. g. privilegium audiendi sacrum tempore interdicti, et in *odiosum*, quod ita est favens uni, ut alteri sit præjudiciosum, v. g. privilegium *ad lites*, quod dum alteri favet, reum premit aut imminuit potestatem judicis. 4° In *gratiosum*, *remuneratorium* et *onerosum* seu conventionale, quod vel ex mera liberalitate, vel in præmium meritorum, vel cum onere reciproco datur. 5° In privilegium *ex motu proprio*, in quo exprimitur motus concedentis proprius, quamvis aliquando petitum non fuerit; et in concessum *ad instantiam*, in quo id non exprimitur. 6° In concessum *primo* et *per se*, h. e. sine ordine et respectu ad privilegium aliis datum; et in concessum *ad instar*, quod datur eo modo, quo jam est alteri concessum; idque vel *directe* et *æque principaliter*, cum conceditur uni, quod concessum est alteri, sed non quia concessum est alteri; vel solum *relative*, *indirecte*, *accessorie*, et propter connexium unius cum altero, ita ut dans privilegium secundo gratificetur primo.

De *conditionibus privilegiorum* idem tenendum, quod de conditionibus ad dispensationem requisitis; de eorumdem *affectionibus*, h. e. de interpretatione, usu et cessatione privilegiorum hic dicendum brevius, quia Canonistæ et Moralistæ uberius eas pertractant, uti et privilegia in specie, scilicet Ecclesiasticorum, Episcoporum et Regularium.

200. *Dico I.* **Regulæ pro interpretatione ac usu privilegiorum sunt istæ:**

1° Privilegium censetur *personale*, si exprimitur solum nomen privilegiati, aut datur ob privatam ejus excellentiam, scientiam, sanctitatem; *reale*, si sola ejus dignitas aut munus; si utrumque exprimitur, haberi potest pro personali, ita ut, tametsi privilegiatus sua dignitate exciderit, privilegio adhuc uti possit. In dubio habendum pro reali, si favorabile: pro personali, si odiosum sit. Reale transit cum re aut officio ad hæredem aut successorem, personale cum persona extinguitur.

2° Datum *sub conditione* non obtinet, nisi impleta conditione, siquidem hujus impletio poscatur ante effectum privilegii. Datum *sub modo*, seu forma accidentali, equidem obtinet modo etiam non servato; at idcirco tamen justæ revocationis causa datur.

3° Privilegium *favorabile* est latæ interpretationis contra privilegiantem, cui utpote volenti non præjudicat; *odiosum*, quatenus contra jus tertii jam acquisitum, aut contra jus commune datur, est strictæ interpretationis, ita tamen ut maneat utilitas privilegii. Odiosum, at favens religioni, aut causæ piæ, sive ex motu proprio et certa scientia concessum, aut clausum in Corpore Juris, sic tantum est restringendum, ne magis amplietur, quam ipsum exprimat. Privilegium derogans statuto vel consuetudini, quæ juri communi non repugnat, est odiosum; si ei repugnat, favorabile est. Circa privilegium *gratiosum* et *remuneratorium* eædem tenent regulæ, circa *onerosum* leges contractuum servandæ.

4° Privilegium *ex motu proprio* cæteris paribus est favorabilius privilegio *ad instantiam*, tum quia excludit præsumptionem subreptionis, tum quia ei non nocet reticentia eorum, quæ jus et stylus gratiæ exprimi jubet; hinc beneficium ei, qui jam aliud habet, ex motu proprio concessum, censetur valide esse collatum, etsi rescriptum nullam prioris beneficii mentionem faciat : attamen gratia redditur irrita propter vitium obreptionis, cui vel privilegians vel privilegiatus causam dedit.

5° Privilegium *ad instar*, sed *directe*, *per se*, et *æque principaliter* concessum, nec augetur, nec minuitur, nec aufertur respectu secundi, quamvis augeatur, minuatur, auferatur respectu primi : concessum *ad instar*, sed *indirecte*, *relative*, et *accessorie tantum* et crescit, et decrescit ad normam ejus, quibus id primo fuit datum; hujusmodi sunt privilegia quorumdam Religiosorum, quæ horum familiaribus, medicis et advocatis communicantur.

201. — *Dico II.* **Modi, queis cessant privilegia, sunt plures :**

1° Privilegium per se cessat *ab intrinseco*, si vel tempus elapsum, vel conditio non sit impleta, vel actus, ad quem datum erat, finitus, vel causa finalis contrarie cessans. *Ratio* : quia virtus privilegii pendet tota in fieri et in conservari a voluntate concedentis, ejusque causa motiva : his ergo sublatis etiam tollitur privilegium. Sic cessat privilegium Canonicorum, quo etiam absentes studiorum causa percipiunt fructus præbendarum, si nempe alio divertant, neque incumbant studiis.

Dictum *per se cessat*, nisi superior declaret, a se privilegium perpetuum aut gratis conferri : cessante *causa finali* et *motiva*, quia licet causa impulsiva et secundario movens non subsistat, adhuc obtinet privilegium ob sufficientem causam ex motivo principali ortam : *contrarie cessante*, ita ut privilegii usus ob mutatas circumstantias fiat injustus vel inhonestus. Hæc vero intelligas de privilegiis, quæ derogant juri communi, aut alterius tertii, uti facultas non solvendi decimas, et tractum habent successivum, uti facultas excipiendi confessiones : nam si fuerit merus favor Principis, hujus præcise voluntas sufficit, causa non requiritur : et privilegium, quod ad unum præcise actum est datum, quo v. g. illegitimus ab irregularitate solutus est, quoad effectum jam consummatum nequit retractari, cum ad irregularitatem reverti jam non possit, etsi velit.

2° Privilegium gratis concessum subdito amittitur per *revocationem*, non tamen per mortem concedentis, nisi contineat gratiam faciendam. *Ratio primi* : quia sic totum pendet a voluntate superioris; aliud foret, si non sit *gratuitum*, sed onerosum, quia sic transit in pactum, si remuneratorium, quod pariter ad contractum reducitur, uti et gratuitum, sed cum translatione juris aut dominii factum; et si *non subdito* datum fuerit, acceptatum tribuit jus rigorosum. *Ratio secundi* : quia si continet gratiam factam, est quædam moralis largitio aut donatio, quæ semel facta, sive res sit integra, sive non, morte donantis non finitur; si vero continet gratiam faciendam, est quasi mandatum, quod juxta leges re adhuc integra exspirat cum mandante, uti et jurisdictio contentiosa perit morte concedentis.

3° Privilegium amittitur per *renuntiationem* privilegiati. *Ratio* : quia privilegium pendet ab acceptatione privilegiati, et cuivis liberum est renuntiare juri suo; ergo. Renuntiatio autem libera sit, oportet, cum extorta per

dolum et metum non subsistat; quippe donatio, qualis censetur esse renuntiatio, si libera non est, firma censeri non debet. Si vero privilegium non in commodum solius renuntiantis cedat, sed in bonum alterius tertii vel communitatis, uti *privilegium canonis*, nequit ab Ecclesiastico eidem renuntiari.

4° Privilegium tollitur per *non usum*, si vel sub conditione usus sit datum, vel cedat in aliorum gravamen, idque per viam præscriptionis vel tacitæ renuntiationis. Pro *ratione* sunt apertæ leges de præscript. 30 vel 40 ann., de servit. præd. urb., et de nundin. Tenetur autem privilegiatus uti privilegio, si hoc detur ad aliquid aliunde præceptum, ut si cui per privilegium licet audire Missam tempore interdicti, is tenetur audire Missam diebus festis; aut si ex non usu sequatur grave damnum vel privilegiati, v. g. capitis damnandi, si privilegium non ostenderet, vel aliorum v. g. creditorum, quibus satisfieri non posset, si privilegiatus et immunis a decimis solvendis, eas tamen solveret.

5° Per *usum* seu *actum contrarium* privilegium negativum, vi cujus alias debitum omittere licet, tollitur, si tractum successivum non habeat : per *abusum* ipso facto amittitur privilegium, si abusus tollat finem privilegii. *Ratio primi* : quia tale privilegium datur pro uno actu; ergo si illo tempore, quo hic actus ponendus est, actus contrarius ponitur, cessat privilegium : secus, si habeat *tractum successivum*, quia tunc vi unius actus contrarii non ponitur sufficiens renuntiatio, nec is toti privilegio adæquate opponitur : secus si privilegium sit *affirmativum*, vi cujus aliquid facere licet, quia hoc proprie non habet actum contrarium, ideoque solus non usus ei non repugnat. *Ratio secundi;* quia sicut lex, ita privilegium, sublato fine tollitur, et quidem totum, si finis totalis, vel ex parte, si finis partialis tollitur, saltem post sententiam declaratoriam criminis. Si vero abusus sit in eo tantum, quod finis negligatur, aut extendatur privilegium ultra concessam potestatem, requiritur etiam sententia judicis condemnatoria, cum leges dicant, abusum concessæ potestatis mereri, ut privilegium amittatur.

202. *Observa.* Solus is, qui legem ferre, etiam privilegium concedere potest, cum vel interveniat dispensatio in lege, si privilegium sit contra jus; dispensare autem nemo, nisi qui legem condere valet : vel, si privilegium sit præter jus, talis esse debet privilegians, qui alios per modum legis cogat, ne privilegii usum impediat; hoc vero solus legislator potest. Verum ut rite intelligatur gratia privilegii, *generatim* attendendum ad ipsam concessionem, et ad antecedentia ac consequentia concessionem : quippe ex antecedentibus cognoscitur concessio facta ex motu proprio, vel ad instantiam, item subreptio vel obreptio; ipsa concessio manifestat diversitatem privilegiorum, et ex consequentibus intelligitur, an deroget juri communi, an defectus suppleantur, an adhibeatur clausula, etc. Porro *sensum* privilegii indicat initium privilegii, vel subjectum materiæ, vel privilegium simile; sin, recurrendum ad superiorem, aut judicandum juxta leges et principia interpretationis. Denique singulorum *exempla* privilegiorum, uti et principiorum hactenus expositorum quam uberes, tam solidas dilucidationes suppeditat Suaresius, in materia legum facile princeps.

ARTICULUS IV.

DE CONSUETUDINE LEGIS HUMANÆ ABROGATORIA.

§ I.

Quid sit, et qualis esse debeat consuetudo contra legem?

203. *Nota.* Consuetudo præcipue triplex discernitur, alia *secundum legem,* quæ nihil aliud est, quam legis præexistentis executio seu observantia, et consuetudo facti dicitur : alia *præter legem,* quæ simpliciter consuetudo vocatur, et est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum lex deficit, can. 5, Dist. 1 : alia *contra legem,* quæ legem abrogat, vel non recipiendo et non observando, vel actus legi contrarios faciendo, atque ista dicitur desuetudo. Præterea consuetudo, *generalis* dicitur respectu totius v. g. Ecclesiæ, *particularis* respectu Diœceseos, *specialissima* respectu alicujus v. g. Monasterii, *generalissima* ad orbis fere totius provincias porrecta, constituit jus gentium. Demum alia relate ad materiam vel ecclesiasticam, vel civilem, dicitur vel *canonica,* vel *civilis,* sive dein a clericis, sive a laicis, sive ab utrisque introducatur. Nos hic potissimum de consuetudine loquimur, quæ est *contra legem.*

204. *Dico I.* **Consuetudo est jus non scriptum, diuturnis populi moribus introductum, cum aliquo legislatoris consensu.**

Differt a *lege,* quæ ex sola Principis voluntate pendet, atque alio modo promulgatur et introducitur; a *traditione,* quæ nec legem abrogat, nec jus novum constituit, sed jam constitutum promulgat et applicat : ab *usu* et *moribus populi,* qui potius sunt causa consuetudinis, ideoque materialis seu causalis, et consuetudo facti dicuntur, cum consuetudo formalis, nempe ipsum jus ex moribus populi resultans, sit et dicatur consuetudo juris : a *stylo curiæ,* qui habet vim legis circa ea duntaxat, quæ judicia concernunt, consuetudo autem non ita respicit materiam certam : a *præscriptione,* quia hæc personas tantum privatas, aut saltem communitatem non qua talem attinet, occupatur in acquirendis tum corporalibus tum incorporalibus, circa tempus requisitum varias induit formas, diminuit jura et dominia rerum, quin requirat consensum illius, contra quem præscribit, requirit autem bonam fidem et titulum; at consuetudo integram perfectamque communitatem respicit, versatur solum circa incorporalia, non inhiat alieno juri aut dominio, universim requirit decennium, et quamvis sæpe cum mala fide inchoetur, Principis tamen consensus vel personalis vel legalis requiritur, qui est pro titulo, et consuetudinem formalem ac completam legitimat. De hac consuetudine, cujus quotidianus passim usus est, explicatius hic disserendum; dicitur autem

Jus non scriptum : *jus,* quia inveterata consuetudo pro lege custoditur, L. 32, ff. de LL., et consuetudo juris inducit jus contrarium, vel prohibendo quod antea licitum, vel permittendo quod antea illicitum erat : *non scriptum,* quia licet postmodum scriptis consignetur, tamen lex scripta non dicitur, eo quod non tam a voluntate legislatoris promulgata, quam ab usu

et moribus populi exortum sit; patet in duobus libris Feudorum, qui Corpori Juris scripto inserti non censentur jus scriptum, sed consuetudinarium, quia a moribus populorum suam ducunt originem.

Populi moribus, h. e. actibus frequentatis majoris saltem partis de communitate *perfecta,* cui nempe lex imponi possit, et quæ, nisi in Principem suam potestatem transtulisset, ferre legem ipsa posset; colligitur ex l. 35, ff. de LL., l. 32, c. de LL., et l. 19, ff. ad municip.; hi vero actus debent esse *positivi,* quod patet ex ipsa notione consuetudinis, et quidem cum animo inducendi consuetudinem, et abrogandi legem, quia actus non operantur ultra intentionem agentium, quin tamen expressa sit intentio, et a singulis elicienda; atque hinc actus meræ facultatis, aut qui solum ex devotione, quamvis diutissime, fiunt, non inducunt consuetudinem in vim legis: *voluntarii,* sicut lex requirit actum voluntarium Principis; proin non ex errore aut ignorantia esse debent, cum juxta leges nihil tam sit contrarium consensui, quam vis, metus, et ignorantia: *publici* et *notorii,* saltem notorietate facti, quia actus clam gesti non habent rationem promulgationis, qualis ad legem etiam non scriptam requiritur: *frequentati,* quia mores populi frequentiam dicunt; tot ergo actus esse debent, quot judicio judicis vel prudentis viri sufficiunt, ut consensum populi continuatum satis exprimant.

Diuturnis, scilicet per tempus plurium annorum non interruptum, quia ubi jus præscribit tempus, hoc semper censetur continuum, et loquens de consuetudine, eam vocat longævam, inveteratam, vetustissimam. Cum vero leges tempus illud longum ad consuetudinem requisitum non definiant, et decennium in jure sit tempus longum, hoc ordinarie sufficit pro qualibet consuetudine, etiam præscriptiva legis ecclesiasticæ.

Cum aliquo legislatoris consensu: nam sicut populus non potest ferre, ita nec abrogare legem, si Princeps resistat; non tamen requiritur consensus formalis aut personalis, quo is mores populi expresse approbet, sed sufficit vel tacitus, quo Princeps, cum facile potest, non contradicit, vel juridicus aut generalis in jure expressus, quo omni consuetudini legitimæ, quamvis a Principe ignoratæ, Princeps vim tribuit inducendi vel abrogandi legem. Inde duplex dignoscitur via introducendæ consuetudinis, *via præscriptionis,* dum nempe mores populi debito modo ac tempore continuantur ignorante legislatore, cujus proin legalis tantum consensus habetur, et *via conniventiæ,* si legislator hos populi mores scit et dissimulat, et sic consensus ejusdem tacitus habetur.

Si ais: Ad præscribendum contra absentem requiruntur 20, contra Ecclesiam Romanam 100, et contra quamvis aliam 40 anni; ergo nec ad consuetudinem decennium ordinarie sufficit.

R. *Ad* 1. Præscriptio tollit jus ac dominium alterius, non item consuetudo, cum legislator ipse suum dederit consensum per illas leges, quibus consuetudinem quamlibet legitimam approbavit, eique vim tribuit. Ad hæc tempus 20 annorum in jure expressum est in favorem absentis a rebus suis, nullibi vero jura exprimunt, quod requirantur plures, quam 10 anni ad consuetudinem, quamvis legislator sit absens, modo actus sint continui et non interrupti; censentur autem interrupti, si major pars communitatis vel unico

actu contrarium ageret, vel superior puniret transgressores legis, quorum actus tendunt ad legem abrogandam.

Ad 2 et 3. Licet contra Ecclesiam Romanam, aliasve Ecclesias præscribi non possit intra decennium, possunt tamen leges ecclesiasticæ contraria consuetudine intra 10 annos abrogari, cum hoc non sit contra Ecclesiam, tum quia fit cum consensu Ecclesiæ, et Pontifex legem potest restituere, ut primum visa fuerit utilis aut necessaria, tum quia lex ecclesiastica non censetur jus aliquod aut res immobilis.

205. *Dico II.* **Consuetudo debet esse rationabilis, saltem negative.**

Prob. Consuetudo est loco legis, et habet vim legis; ergo sicut omnis lex, ita et consuetudo rationabilis esse debet, saltem negative, h. e. non debet repugnare legi naturali aut divinæ, nec decentiæ et æquitati, ut si absque justa causa absentibus Canonicis darentur quotidianæ distributiones; neque rectæ rationi, bonis moribus ac religioni : non debet inducere nimiam licentiam aut occasionem peccandi, nec enervare disciplinam ecclesiasticam, ut si permitteret, interdictum aliasve censuras impune violari, nec subvertere libertatem ecclesiasticam, permittendo e. g. personas ecclesiasticas tanquam reos trahi ad forum seculare : non debet esse periculosa reipublicæ, tendens ad ejus perturbationem, bonorum dissipationem, judiciorum perversionem; nec damnosa Ecclesiis, permittens laicis, pro lubitu disponere de rebus ecclesiasticis, conferri beneficia ecclesiastica sine auctoritate Prælati Eccles. : denique non debet esse reprobata tanquam corruptela a jure positivo humano, quia quamdiu eædem circumstantiæ manent, talis consuetudo manet irrationabilis, utpote vel directe vel indirecte repugnans juri naturali, aut decentiæ et æquitati.

Hæc si absint, consuetudo est de se honesta, vel saltem non inhonesta, et quamvis non habeatur specialis ratio, imo repugnet legi positivæ, censetur tamen rationabilis et conducens ad bonum publicum, videlicet ex ratione positiva generali, quia stante tali consuetudine subditi reguntur suavius, tolluntur laquei conscientiarum, frequentes legum transgressiones, et perturbationes reipublicæ ex iis ortæ.

Si ais 1°. Consuetudo est contra legem, et introducitur per actus peccaminosos; ergo nequit esse rationabilis.

R. 1. Sicut lex posterior abrogans priorem potest esse rationabilis, ita et consuetudo legem formaliter abrogans, id quod aperte supponitur C. fin. h. t., quo dicitur, quod consuetudo non præjudicet juri positivo, nisi fuerit *rationabilis et legitime sit præscripta;* supponit ergo Greg. IX, consuetudinem etiam juri positivo contrariam posse rationabilem esse.

R. 2. — *D. A.* Consuetudo facti seu causalis est contra legem, et introducitur per actus peccaminosos *C.* Consuetudo juris, seu formalis *N.* Hæc enim jam completa non est contra legem, quæ amplius non existit, sicut lex posterior abrogans priorem non est proprie contra legem, utpote jam abrogatam. Equidem plures DD. existimant, consuetudinem non tam a primis transgressoribus introduci, quam ab eorum posteris sibi persuadentibus, antecessores suos licite egisse; verum tametsi concedatur, primos transgressores peccasse, tamen formalis consuetudo ad tales actus consequens, quæ sola vim legis obtinet, potius ex voluntate Principis legem abrogantis et

consuetudinem approbantis enascitur, quam ex actibus peccaminosis, ita ut actus contra legem passim facti duntaxat ansam dederint Principi, legem propter ejus inutilitatem ad bonum publicum, ad ulteriores ejusdem transgressiones evitandas, revocandi, et moribus populi ad bonum publicum hic et nunc magis conducentibus assentiendi : fere sicut legislatores mutatis circumstantiis ob majus bonum communitatis priores leges abrogant per leges posteriores. Esto, malos exin occasionem capere posse ad leges violandas; id vero non ita nocivum esse videtur bono publico, quam perseverantia legis, cujus observantia propter continuatos diu actus contrarios sperari moraliter non potest.

Si ais 2°. Consuetudo contra legem est præscriptiva legis; ergo requirit bonam fidem, sicut omnis præscriptio : sed ubi interveniunt actus peccaminosi et formales transgressiones legis, non datur bona fides; ergo.

R. — *D. A.* Est præscriptiva, h. e. consuetudo, ut legem abroget, debet esse legitime præscripta quoad tempus *C.* quoad bonam fidem *N.* Bona fides nec requiritur ad consuetudinem *inchoandam*, quia hæc inchoari non potest, nisi lege adhuc vigente, adeoque per transgressiones legis; sæpe tamen contingit, eas non esse *formaliter* peccaminosas, dum nempe bona fide existimant subditi, propter legis difficultatem aliasve circumstantias se lege non teneri; id quod de antecessoribus legem non observantibus præsumi sæpe potest; si tamen reipsa peccent, non tam ex his eorum actibus peccaminosis, quam ex consensu Principis suam consuetudo vim obtinet : neque ad *continuandam*, quia ob frequentes et continuatas legis transgressiones jura videntur consentire in consuetudinem legis abrogatoriam, ne subditi pluribus peccatis illaqueentur, sicut legislator ex ejusmodi transgressionibus sæpe occasionem sumit, expresse vel tacite consentiendi in abrogationem legis. Potuit autem malæ etiam fidei consuetudo permitti, quia legem ea non abrogat, nisi accedente aliquo censensu legislatoris; non item præscriptio, quæ invito domino transfert dominium rei, quod si cum mala etiam fide transferri posset, fortiorum violentiæ et latronum calliditati bona aliena exponerentur.

Si ais 3°. Juxta L. *Consuetudinis.* 2. C. *quæ sit long. Consuet.* nequit consuetudo vincere legem; ergo nec abrogare : sic enim dicitur : *Consuetudinis ususque longævi non vilis auctoritas est, verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem.*

R. — *D. A.* Et lex citata loquitur de consuetudine necessariis requisitis destituta, uti eam DD. communiter interpretantur *C.* de consuetudine rationabili, omnique ex parte legitima *N.* Lex citata explicatur per C. fin. h. t., *licet etiam longævæ Consuetudinis non sit vilis auctoritas, non est tamen usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime sit præscripta* : sed consuetudo, de qua hic sermo, est *rationabilis*, quia omnibus necessariis requisitis ac præprimis consensu Principis instructa, et post decennium *legitime præscripta* est; ergo. Aliud est de legibus naturalibus ac divinis, ad quas per frequentes earum violationes pariter abrogandas nemo prudens suam intentionem dirigit : versari autem illas circa intrinsece bona vel mala, atque altioris esse ordinis, facile omnes intelligunt : ac demum quis præsumat, suis legum

æternarum prævaricationibus tandem supremi legislatoris consensum accedere?

Advertendum denique, quod *in dubio*, sitne consuetudo rationabilis aut bono communi expediens, censeri rationabilis debeat, si legi non sit contraria, cum delicta non præsumantur, ac proinde posteri in consuetudine a majoribus introducta pergere possunt: si sit contra legem, *in dubio* standum est pro lege, quia lex certa est in possessione, cui prævalere non debet honestas dubia consuetudinis; excipe *immemorialem*, quia tempus immemoriale sicut de justitia tituli, ita etiam de rationabilitate consuetudinis præsumptionem parit.

§ II.

Quinam sint effectus consuetudinis?

206. *Nota.* Consuetudo *secundum legem* non inducit jus novum, sed legem latam firmat, et dubiam declarat ac interpretatur. Consuetudo *præter legem* inducit obligationem et jus novum, docente S. Aug., ep. 36, *mos populi Dei, et instituta Majorum pro lege sunt tenenda; et sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt.* Consuetudo *contra legem* abrogat legem, et non tam facit jus novum obligans, quam permittens, quia dum facit licitum, quod alias illicitum erat, nullam ejus faciendi necessitatem imponit. Posset vero etiam consuetudo non tantum abrogare legem, sed et novam constituere, ut si communitas aliqua inciperet abrogare legem, 7 testes requirentem ad testamentum, per actus contrarios, v. g. tantum adhibendo 4 testes, simul autem vellet irritum esse testamentum, si pauciores, quam 4 testes adhiberentur. Hæc fere singula satis aperta sunt.

Quæritur autem hic 1° Quandonam mores populi seu actus frequentati censendi sint inducere consuetudinem obligatoriam? 2° Utrum possit consuetudo abrogare legem etiam irritantem, item legem cum clausula, *non obstante quavis consuetudine?* 3° An et qualis interpretatio sit effectus consuetudinis?

207. *Dico I.* **Consuetudo obligat in conscientia, si in re gravi et difficili introducatur, si sit valde utilis reipublicæ, si probi piaculo sibi ducant contra eam agere, et si contra eam agentes castigentur.**

Ratio: Quia ex hisce circumstantiis recte conjicitur, quod actus populi frequentati non sint *supererogatorii* ac *meræ facultatis*, sed censendi sint inducere consuetudinem obligatoriam, maxime cum populus in re difficili non soleat operari conformiter absque obligatione. Si vero absint ejusmodi circumstantiæ, *in dubio* præsumendum potius est contrarium, et lex seu obligatio probari debet. Attamen non requiritur, ut consuetudo sit approbata in judicio contradictorio, aut introducta per actum judicialem, sed sufficit *notorietas facti* per actus extra-judiciales: quamvis enim actus judiciales sufficiant ad inducendam ac probandam consuetudinem, tamen necessarii non sunt, quia sine illis potest ea esse rationabilis, legitime præscripta, et de ea per duos v. g. testes de visu satis constare.

Consuetudo autem habens vim legis potest obligare; sicut lex scripta, vel

sub pœna, vel sub culpa, vel sub utraque, cum quoad hoc a lege scripta non differat; imo potest per consuetudinem, ad instar legis scriptæ, abrogari obligatio ad culpam, manente obligatione ad pœnam saltem improprie dictam, et vicissim.

208. *Dico II.* **Consuetudo potest abrogare leges etiam irritantes, quin et leges cum clausula, non obstante, etc.**

Ratio primi : quia etiam lex scripta potest abrogare leges, quæ dant formam actui, aut ad agendum inhabilitant.

Ratio secundi : quia mutari possunt circumstantiæ ita, ut consuetudo contraria legi cum tali clausula incipiat esse rationabilis; sicut ergo pro tali casu legislator suam ipse legem abrogare rationabiliter potest, ita et consuetudo. Quandonam vero circumstantiæ ita sint mutatæ, ut consuetudo videatur esse rationabilis, arbitrio judicis, vel prudentum æstimationi relinquendum : quæ si non mutentur, nequit illa esse rationabilis, cum lex reprobans consuetudinem contrariam pergat esse rationabilis, deficiatque consensus legislatoris in consuetudinem reprobatam, cujus efficaciam impedit : sicut lex omnino prohibens præscriptionem alicujus rei, impedit ejus præscriptionem, licet adsit titulus et bona fides. Hæc vel maxime etiam tenent de consuetudine *immemoriali*, quæ fere æquiparatur privilegio, et clausula legis prohibente vel irritante consuetudinem contrariam vix comprehenditur.

Si ais 1°. Si leges etiam *irritantes* abrogare potest consuetudo; ergo per illam introduci poterunt impedimenta matrimonii dirimentia, et introducta rursus abrogari, quod tamen c. 5 de *Consang. et Affin.* vocatur corruptela. Item si consuetudo *immemorialis* est instar privilegii; ergo qui eam allegat, e. g. laicus, poterit acquirere jus decimandi, eligendi, confirmandi in ordine ad beneficia ecclesiastica, poterit per illam obtineri : v. g. immunitas ab observatione interdicti, potestas simul habendi plures canonicatus, etc.: hoc dici nequit; ergo.

R. *Ad* 1. Cap. cit. intelligendum est de consuetudine necdum legitime præscripta.

Ad 2. *N. seq.* Consuetudo immemorialis non in omnibus æquiparatur privilegio, cum laicus prædicta jura ecclesiastica obtinere valeat per privilegium, non item per consuetudinem aut præscriptionem, nisi privilegio Pontificio, quod vel reipsa datum sit, vel datum esse præsumatur, ad ea laicus habilitetur; hoc ergo secluso laicus sicut est incapax ea jura possidendi, ita et acquirendi. Præterea excipitur casus, quo consuetudo a lege reprobatur tanquam abusus et corruptela : tunc enim manentibus iisdem circumstantiis et causis reprobandi, nec immemoriali tempore fieri potest rationabilis, v. g. consuetudo non servandi interdictum ecclesiasticum, plures simul præbendas obtinendi, etc.

Si ais 2°. Consuetudo *immemorialis* fundat præsumptionem privilegii; ergo quod vi privilegii, etiam vi talis consuetudinis acquiri et possideri potest.

R. — *D. A.* Et hæc præsumptio est juris et de jure, nullam admittens probationem in contrarium *N.* Non est juris, sed potius facti, ita ut, si vitium tituli vel defectus privilegii a parte adversa satis probetur, præsumptio cedere veritati debeat *C.* Tempus immemoriale fundare potest præsumptionem pri-

vilegii, præsertim concurrente simul constanti fama de concesso privilegio Pontificio, ita ut possessio juris continuari possit, donec probetur privilegium non esse obtentum. Præterea consuetudo, quæ non est immemorialis, probari debet, sicut præscriptio, eo quod facta non præsumantur, idque vel per litteras publicas, instrumenta vel acta judicialia, aut famam publicam, aut duos minimum testes de visu. Dixi *duos testes,* quia licet uni auctori gravi, cui nemo contradicit, adhiberi fides pro foro interno possit, tamen pro foro externo unus testis, quamvis excellens, non probat *concludenter,* sed tantum *præsumptive;* neque extra casum consuetudinis valde antiquæ admittitur juramentum suppletorium, quia, cum consuetudo pluribus nota esse debeat, testimonium foret suspectum. Dixi *testes de visu,* qui deponant se vidisse, in illo loco sic observari continuo per decennium, scientibus et præsentibus multis. *Immemorialis* probatur, si duo saltem testentur, se vidisse et a majoribus audivisse observatum, quin viderint vel audiverint contrarium.

209. *Dico III.* **Consuetudo necdum præscripta facit interpretationem legis doctrinalem, legitime præscripta usualem, quæ sit omnino authentica, habens vim legis.**

Ratio : quia consuetudo c. 8 de Consuet. *optima legum interpres,* secundum quam regulandi contractus, judicia interna et externa, etc. Vide num. 204.

210. *Observa.* Consuetudo cessat et abrogatur 1° Per *consuetudinem contrariam,* scilicet universalis per universalem, et particularis per particularem; universali etiam derogatur per particularem, in quantum hæc illi contraria est; per non usum autem consuetudo jam completa non abrogatur, si ejus exercendæ ulterius occasio nulla fuit : 2° Per *legem novam* clare ac directe *contrariam,* itidem universalis per universalem, etsi lex consuetudinis mentionem non faciat, neque addat clausulam derogatoriam; ut vero particularis consuetudo tollatur per legem universalem, hæc illius meminisse debet, aut saltem addere clausulam derogatoriam generalem cujusque consuetudinis contrariæ, id quod probabiliter etiam tenet de lege particulari supremi Principis, Papæ aut Imperatoris lata pro loco speciali, in quo viget consuetudo specialis, præsertim immemorialis illius loci : quippe consuetudo universalis, non item particulares omnium locorum consuetudines censentur esse cognitæ legislatori supremo et universali, propter locorum sibi subditorum multitudinem, et molem negotiorum. Aliud est de Principe inferiore, cujus non ita amplum est imperium : hic, quia præsumitur nosse particulares locorum consuetudines, hoc ipso, quod legem fert iis directe contrariam, easdem abrogat.

Cavendum autem, ne Princeps legem ferat adversus consuetudinem, quæ vere utilis est, cum ea lex, utpote bono communi contraria, vera lex non esset; imo si minus etiam utilis est consuetudo, toleranda potius, quam tollenda videtur S. Augustino, qui ep. 54 *sola,* inquit, *mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat,* censens propterea, ceremonias quasdam Religioni Christianæ minus consentaneas ferendas esse potius, quam tollendas cum offensione populorum. Igitur meminisse *in abrogandis consuetudinibus* Superior debet, multa licere quæ non expediunt, tollendum esse abusum usu retento, zizania quidem colligenda, sed caute admodum, ne simul et triticum eradicetur.

ARTICULUS V.

DE ABROGATIONE LEGIS HUMANÆ PER VOLUNTATEM SUPERIORIS.

211. *Nota. Abrogatio* est antiquatio legis secundum se totam; utrum lex sic abrogari possit, videtur esse dubium ex eo, quod, si lex est justa, utilis et honesta, iniquum sit eam tollere : si injusta ac nociva reipublicæ, per se ipsam cessat, quin opus sit abrogatione. Verum communis et certa est sententia, quod valide ac licite possit abrogari lex, cujus tametsi utilis utilior revocatio esse potest, vel quia passim violatur, vel ne nimis multiplicentur leges, vel quia subditos gravat, quamvis non injuste, etc. Sane justum etiam omitti vel mutari potest propter magis justum, sicut minus utile propter utilius; neque levitatis aut inconstantiæ idcirco arguendus est legislator, cum Deus etiam ob temporum hominumque mutationem legem suam voluerit abrogare. Quæritur hic, quis de jure valeat abrogare leges humanas, et qua id ratione fieri debeat.

212. *Dico I.* **Generales pro abrogatione legis hæ sunt regulæ :**

1° Lex juxta de causa potest abrogari a legislatore, ejus successore et superiore. *Ratio :* lex pendet a voluntate legislatoris, cujus successor parem, superior etiam ampliorem potestatem habet; ergo. Dictum *justa de causa*, quia sicut condere legem, et dispensare in lege, ita multo magis tollere legem, ut licite fiat, justam causam requirit; quamvis valide quivis legislator etiam sine causa legem tollat.

2° Inferior nequit abrogare legem superioris. *Ratio* patet ex dictis de dispensatione : quippe potestas superior non pendet ab inferiori, neque voluntas inferioris mutare potest voluntatem superioris. Hinc Episcopi et communitates ecclesiasticæ nequeunt condere leges contra jus canonicum, aut decreta suorum superiorum : multo minus Principes seculares quidquam proprie valent statuere contra canones, eos abrogando : quin et de rigore juris, ac secluso speciali privilegio, Respublicæ inferiores et Civitates subjectæ alicui Principi, hujus legem abrogare non possunt.

3° Statutum inferioris a superiore confirmatum confirmatione essentiali nequit ordinarie abrogari ab inferiore, potest confirmatum confirmatione simplici et accidentali.

Ratio primi : confirmatio essentialis hic intelligitur ea, vi cujus statutum inferioris evadit lex superioris; ergo inferior illam abrogare non potest, c. 22 de *Præbend.* in 6, et L. 1, § *Sed neque.* C. de V. J. enucl.; hoc tamen non præsumitur, nisi expresse declaretur : quare in praxi verba confirmationis sollicite consideranda sunt.

Ratio secundi : confirmatio accidentalis, præsupposita jam vi obligandi, præcise pondus addit et honorem, principaliter data in favorem statuentium; habet ergo se instar privilegii, cui potest renuntiari : nisi fors clausula a superiore addita, *ut, si quidquam contra fieret, non valeret*, qua ipsis statuentibus tollitur potestas contra statutum sic confirmatum agendi, c. 25 de *Præbend.* Dictum *ordinarie*, quia si statutum a superiore confirmatum sit contra jus commune, inferior potest eo relicto regredi ad jus commune,

cum regressus ille censeatur favorabilis, et voluntatem superioris interpretativam supponat.

Si *ais :* 1° Lex ecclesiastica reprobavit legem civilem, quamvis in suo ordine supremam, e. g. de secundis nuptiis puniendis, de homicidio in certis casibus impune permisso, item circa contractum matrimonii, dispositionem ad pias causas, etc. 2° Ex leg. *Omnes populi,* ff. de J. et J. possunt inferiores populi condere statuta, quamvis legi superioris contraria; ergo hanc abrogare. 3° Principes seculares possunt abrogare leges civiles juris communis; ergo et Episcopi decreta juris canonici, sicut dispensare in lege Pontificia valent; proinde lex superioris non a solo superiore mutari et aboleri potest.

R. *Ad* 1. Lex civilis, licet in suo ordine suprema, tamen quoad bonum animæ subordinatur ecclesiasticæ, tum quando lex civilis in propria materia est contra bonos mores, aut animæ periculum infert, uti illa de secundis nuptiis, et de homicidio; tum quando versatur circa materiam, quæ de se videtur esse temporalis, ad spiritualem vero ordinem evecta est, uti contractus matrimonii, etc.

Ad 2. Citata lex *Omnes populi,* solum dicit, populos habere potestatem condendi leges proprias, et suis moribus accommodatas, quod intelligi potest de legibus ultra jus commune, non contra illud; sicut multa dicuntur a JCtis introducta jure gentium contra jus naturæ, v. g. servitutes et privata dominia, non quod sint juri naturæ contraria, sed quod non sint jure naturæ determinata; possunt ergo inferiores improprie contra jus commune superioris aliquid statuere, h. e. reservare casus, quos illud non reservat, addere censuras, quas illud non præscribit, sicque non abrogare, sed novis potius statutis ac pœnis juvare et urgere legem superioris.

Ad 3. Nullus inferior de se potestatem habet abrogandi legem superioris, quia hoc ipso non esset inferior : si Principes seculares hinc inde derogant juri communi, ex potestate sibi concessa id faciunt; talis vero potestas circa jus canonicum aperte denegatur, c. 9 de M. et O. Potestatem dispensandi in lege Pontificia, quam habent Episcopi, a superiore habent, siquidem ob casuum frequentiam magis sit necessaria potestas dispensandi, quam abrogandi; et abrogatio quidem plane tollit legem, quam dispensatio pro uno alterove duntaxat casu relaxat. Quid, ubi lex communis alicui provinciæ minus videtur accommodata, præstandum, vide num. 131.

213. *Dico II.* **Speciales regulæ pro abrogatione legis sunt :**

1° Abrogatio legis facta per legem novam, promulgari debet : si autem revocatio non fiat per legem, sufficit aliqua ejus manifestatio. *Ratio primi :* quia omnis lex, ut actu obliget, solemnem promulgationem essentialiter requirit. *Ratio secundi :* quia tametsi solemnis promulgatio non sit necessaria, cum deficiente voluntate superioris jam lex deficiat, tamen si talis abrogatio nullo modo est publica, subditi adhuc manent lege obstricti vi conscientiæ erroneæ, cum nescirent, oppositum legis esse licitum.

2° Lex posterior generalis non abrogat legem priorem specialem, nisi hujus mentionem faciat : lex autem posterior specialis tantum derogat legi priori generali. *Ratio primi* desumitur ex c. 1 de *Consuet.* in 6, et c. 29 *de Elect.,* ibidem. *Ratio secundi* est, quia tametsi speciale nequeat esse adæquate contrarium generali, tamen generi per speciem derogatur.

3° Lex generalis posterior abrogat priorem generalem, quamvis illa careat clausula derogatoria; patet ex dictis de consuetudine, quia leges generales legislator scire præsumitur : lex item specialis prior, saltem si contenta sit in jure communi, neque firmata juramento de ea nunquam revocanda, abrogatur per specialem posteriorem, quia sic voluntas superioris posterior prævalet priori, utpote quam in jure communi contentam cognoscit, cognitamque rejicit : si autem juramento firmaverat legem priorem, fortior est præsumptio excludens delictum; tamen juramentum non ita videtur stringere successores legislatoris, quam ipsum legislatorem, qui legem illo firmavit.

ARTICULUS VI.

DE CESSATIONE LEGIS HUMANÆ EX DEFECTU FINIS.

214. *Nota.* Certum, quod lex cesset ab intrinseco, si vel cesset tempus, ultra quod legislator non voluit obligare, vel materia legis facta sit inutilis aut inhonesta. An et quando lex cesset cessante fine, aliquantum difficilior est quæstio. Finis legis alius est *intrinsecus,* scilicet derivatus ab ipsa materia vel ex se honestâ, e. g. orationis aut jejunii, vel ut medium assumpta ad virtutem, uti est pretium a lege taxatum, quod ita per legem fit medium justitiæ, ut ejus violatio non tantum sit inobedientia, sed et injustitia; alius vero *extrinsecus,* ob quascumque alias rationes intentus. Finis cessare potest vel adæquate et in communi, vel inadæquate et in aliquo particulari; item vel *negative* tantum, quando in tota materia legis non amplius invenitur ratio, ob quam lex posita fuit, quin tamen inutilis aut nociva sit, vel *contrarie,* quando lex est inutilis et nociva : de contraria cessatione legis non quæritur, cum res plana sit, sed tantum de negativa.

215. *Dico.* **Lex ipso facto cessat, si ejus finis cessat adæquate, generaliter et constanter.**

Ratio primi : quia cessante tota ratione, propter quam fuit lata, lex cessat esse utilis, cessatque voluntas superioris de obligatione legis, quæ jam non amplius bono communi utilis est. Si vero finis partes habet, parte finis una deficiente, nonnisi pars legis respondens fini partiali cessat, cum utile per inutile non debeat vitiari, c. 37 de R. J. in 6; hinc si lex indiceret preces pro obtinenda pace, hac obtenta cessat lex : si preces indiceret pro pace et pluvia obtinenda, pace quidem obtenta, non item pluvia, necdum cessat lex, quia in primo finis totalis, in secundo finis tantum partialis cessat.

Ratio secundi : lex omnis fertur generaliter, h. e. non pro uno alterove privato, sed pro communitate; ergo nec cessat, nisi generaliter ejus finis cesset; hinc tametsi privatus quis ita sit dispositus, ut ex lectione librorum hæreticorum ei perversio non immineat, neque matrimonium ejus clandestinum comitetur fraus, aliaque sequantur incommoda, propterea non cessat lex et hoc et illud prohibens, quia manet periculum fraudis ac perversionis generale, quæ ratio legis est.

Ratio tertii : quia si finis legis non cessat, nisi ad tempus, lex etiam solum cessat ad tempus, et fine legis reviviscente, ipsa quoque reviviscit.

Dictum *ipso facto* : nam licet constitutio legis requirat promulgationem, ut voluntas Principis innotescat, non tamen cessatio legis : cum hæc non tam a voluntate Principis proveniat, quam ex defectu legis intrinseco et essentiali, qui per evidentiam facti satis, uti supponitur, communitati manifestatur.

Si ais : Lex v. g. jejunii, quæ fertur propter macerationem carnis, adhuc obligat, quamvis communitas hoc medio ad illum finem non indigeat, habens alia media carnem macerandi; ergo potest finis legis simpliciter et absolute cessare, quin cesset obligatio legis.

R. — *D. C.* Quin cesset obligatio legis præcipientis actum de se indifferentem *N.* præcipientis actum vel ex sua materia, vel ex assumptione sui pro medio ad virtutem bonum ac honestum *C.* Etsi fingatur, cessare jejunium ceu macerationem carnis, non cessat tamen ut actus temperantiæ, quem ceu finem intrinsecum immediate ac primario lex jejunii intendit. Universim ergo lex præcipiens actum de se bonum et honestum, cessante etiam toto ejus fine extrinseco, nunquam cessat, eo quod maneat finis intrinsecus immediate ac primario intentus; imo respectu talis legis nunquam finis extrinsecus esse potest finis adæquatus. Atque per hoc etiam lex a præcepto distinguitur, cum lex objectum de se indifferens constituat in materia virtutis, v. g. taxatum rerum pretium in materia justitiæ, non ita præceptum qualecumque superioris; hinc Religiosus violans jejunium singulari præcepto impositum peccat quidem contra obedientiam, non vero contra temperantiam. Si autem materia de se indifferens est, uti gestare vel non gestare arma, exportare e loco has vel illas merces, cessante generaliter et adæquate fine talis legis extrinseco, cessat ipsa etiam lex tota, quia, cum materia de se indifferens, adeoque per se solam honeste non amabilis, nunquam per se et propter se præcipi possit, cessatio finis negativa hic transit in contrariam.

O. A. M. D. G.

CONSPECTUS TOMI QUINTI.

TRACTATUS DE BEATITUDINE.

CAPUT I. — De natura Beatitudinis.

Pag.

Artic. I. — In quo consistat Beatitudo Hominis..... 3
— II. — Unde, et qualis sit tum Visio, tum Amor Beatificus..... 5

CAPUT II. — De affectionibus Beatitudinis.

Artic. I. — De Affectionibus Beatitudinis quoad statum.
§ I. — An statui Beatifico essentialis sit Perpetuitas..... 7
Quæres I. *An ad Beatitudinem requiratur securitas de Perpetuitate?*..... 10
Quæres II. *Unde statui Beatorum obveniat Impeccabilitas*..... 11
Artic. II. — De Affectionibus Beatitudinis quoad subjectum.
§ I. — An homines Beati habituri sint corpora?..... 12
§ II. — An omnes fruantur Beatitudine æquali?..... 16
Artic. III. — De Affectionibus Beatitudinis quoad perfectiones.
§ I. — An et quibus scientiis, præter visionem, illustretur intellectus Beatorum?..... 18
§ II. — Quibus virtutibus et prærogativis, præter charitatem, ornetur voluntas Beatorum?..... 21
Artic. IV. — De Affectionibus Beatitudinis quoad tempus.
§ I. — An Beatitudinem antecedat Regnum Chiliastarum?..... 23
§ II. — An Justorum animæ ante Resurrectionem universalem admittantur ad visionem Dei?..... 26
Quæres. *An Joannes XXII tenuerit, animas hominum ante judicium extremum non videre intuitive Deum?*..... 33
§ III. — An Justorum animæ nondum plene purgatæ in Purgatorii pœnis detineantur?..... 34
§ IV. — An Justorum animæ in Purgatorio detentæ Fidelium suffragiis juvari possint?..... 42
Quæres. *An justorum animæ purgentur vero igne?*..... 45

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT I. — De Voluntarietate actuum humanorum.

			Pag.
Artic.	I.	— Quid et Quotuplex sit Voluntarium?	47
—	II.	— An vis, Metus, Passio tollant Voluntarietatem?	49
—	III.	— An Ignorantia tollat Voluntarietatem?	
§	I.	— Quid et Quotuplex sit Ignorantia?	52
§	II.	— Quæ sit doctrina SS. Hieronymi et Augustini de Ignorantia?	53
§	III.	— An Ignorantia Vincibilis excuset a peccato?	54
§	IV.	— An Ignorantia Invincibilis excuset a peccato?	56

CAPUT II. — De Libertate actuum humanorum.

Artic.	I.	— Quæ immunitas requiratur et sufficiat ad Libertatem Arbitrii?	64
—	II.	— Quæ indifferentia requiratur et sufficiat ad Libertatem Arbitrii?	69
—	III.	— Qui sint Errores præcipui circa Libertatem Arbitrii?	72
—	IV.	— Quæ sit vera doctrina S. Augustini de Libertate Arbitrii?	76
—	V.	— Quid senserit D. Thomas de Libertate Arbitrii?	
§	I.	— Præcognita de Prædeterminatione	84
§	II.	— Mens S. Thomæ circa Libertatem Arbitrii	87
Artic.	VI.	— An homo in statu naturæ lapsæ gaudeat Libertate Arbitrii?	90

CAPUT III. — De Moralitate actuum humanorum.

Artic.	I.	— Unde desumenda Moralitas actuum humanorum?	96
—	II.	— An omnes actus humani necessario referri debeant ad Finem Honestum?	100
—	III.	— An sit obligatio omnes actus humanos dirigendi ad Deum, ceu Finem Ultimum?	105
—	IV.	— Quæ sit Regula prima actuum humanorum?	112
—	V.	— Quæ sit Regula proxima actuum humanorum?	
§	I.	— Præcognita de Conscientia generatim	117
§	II.	— Dictamen Conscientiæ Ultimum	120

CAPUT IV. — De Conscientia.

Artic.	I.	— De Conscientia Erronea, Dubia, Scrupulosa.	
§	I.	— De Conscientia Erronea	127
§	II.	— De Conscientia Dubia	130
§	III.	— De Conscientia Scrupulosa	133
Artic.	II.	— De Conscientia Rigidiore, Tutiore, Probabiliore, Probabili et Laxa generatim	135
Artic.	III.	— De Tutiorismo.	
§	I.	— Præcognita	140
§	II.	— Discutitur Tutiorismus Rigidus	142
§	III.	— Pensantur fundamenta Tutiorismi Mitigati	143
§	IV.	— An in dubio legis semper sit eligendum Tutius?	151
		Quæres. *An liceat sequi sententiam certo et practice probabilem, minus tutam?*	157

Pag.

ARTIC. IV. — De Probabiliorismo.
§ I. — An in concursu æqualiter probabilium sequi liceat opinionem minus tutam? ... 161
§ II. — An in concursu opinionum inæqualiter probabilium liceat sequi minus tutam, et simul minus probabilem? ... 165
§ III. — Momenta sententiæ probabilis et probabilioris ex S. Scriptura. 167
§ IV. — Momenta sententiæ probabilis et probabilioris ex SS. Patribus. 171
§ V. — Momenta sententiæ probabilis et probabilioris ex Ratione Theologica ... 177

ARTIC. V. — De Probabilismo.
§ I. — Præcognita de opinione Probabili ... 184
§ II. — An duæ partes contradictoriæ possint simul probabiles apparere intellectui, isque prudenter assentiri probabili in concursu probabilis vel probabilioris? ... 187
§ III. — Quæ sint obligationes et fundamenta præcipua Probabilistarum? 189
§ IV. — Utrum Probabilismus unquam fuerit ab Ecclesia reprobatus?. 192
QUÆRES I. *Ubi et Quibusnam usus Probabilismi non sit licitus?* 201
QUÆRES II. *An usus Probabilismi etiam se extendat ad opinionem minus probabilem alienam?* ... 201

TRACTATUS DE LEGIBUS.

CAPUT I. — DE LEGE, ÆTERNA, NATURALI.

ARTIC. I. — Quidditas, Proprietates, Divisio Legis ... 203
— II. — De Lege Æterna ... 207
— III. — De Lege Naturali ... 210
— IV. — De Principio Intrinseco et Ultimo Legis naturalis ... 216
— V. — De Immutabilitate Legis Naturalis ... 222
— VI. — De Præceptis Legis Naturalis ... 230
— VII. — De Modo operandi a Lege Naturali præscripto ... 232
QUÆRES. *Quid sit Lex sive Jus Gentium?* ... 238

CAPUT II. — DE LEGE POSITIVA DIVINA.

ARTIC. I. — De Lege Mosaica a Deo lata ... 238
— II. — De Lege Mosaica per Christum abrogata ... 245
— III. — De Lege Mosaica post Christum tandem illicita ... 265
— IV. — De Legalibus ab Apostolis aliquamdiu post Christi mortem exercitis ... 234
— V. — De Cepha a Paulo circa usum Legalium reprehenso ... 258
— VI. — De Lege Evangelica a Christo pro omnibus instituta ... 265
— VII. — De Lege Evangelica post sufficientem sui promulgationem universos obligante ... 271
— VIII. — De Lege Evangelica Indispensabili, ac perpetuo duratura ... 275

CAPUT III. — DE LEGE POSITIVA HUMANA.

ARTIC. I. — De Potestate Legislativa Humana generatim ... 280
— II. — De Potestate Legislativa Civili ... 286
— III. — De Potestate Legislativa Ecclesiastica ... 289
— IV. — De Potestate Ecclesiastica Pontifici et Episcopis propria ... 295

Pag.

— V. — De Potestate Ecclesiastica Pontifici et Episcopis ex jure divino propria 302
— VI. — De Potestate Ecclesiastica a Civili et Politica omnino discreta. 308
§ I. — Objectiones ex Lege Naturali, Mosaica et Evangelica 310
§ II. — Objectiones ex Historia Ecclesiastica et Profana 314
Artic. VII. — De Epistolis Decretalibus Veterum Pontificum ante Siricium .. 320

CAPUT IV. — De Promulgatione, Acceptatione, Objecto, Subjecto et Effectu Legis Humanæ.

Artic. I. — De Promulgatione Legis Humanæ.
§ I. — Promulgatio Legum generatim 325
§ II. — Momenta sententiæ Affirmantis, necessariam esse solemnem Legum Ecclesiasticarum promulgationem in singulis diœcesibus 327
§ III. — Momenta sententiæ Negantis, necessariam esse solemnem Legum Ecclesiasticarum promulgationem in singulis diœcesibus. 329
Artic. II. — De Acceptatione Legis Humanæ 335
— III. — De Objecto seu Materia Legis Humanæ.
§ I. — An Legislator Humanus possit præcipere actus mere internos? 339
§ II. — Momenta sententiæ Negantis, Ecclesiam posse directe præcipere actus mere internos 340
§ III. — Momenta sententiæ Affirmantis, Ecclesiam posse directe præcipere actus mere internos 343
Artic. IV. — De Subjecto Legis Humanæ.
§ I. — An Fideles et Justi a Legibus Humanis exempti sint? 346
§ II. — An et quomodo Peregrini Legibus Humanis obligentur? 348
§ III. — Utrum Clerici Legibus Civilibus obligentur? 353
Artic. V. — De Effectu seu Obligatione Legis Humanæ.
§ I. — Quæ et Quanta sit obligatio Legis Humanæ? 359
§ II. — Quomodo obligent Lex Pœnalis, et Lex fundata in Præsumptione? 363
§ III. — Quam obligationem inducant Leges Irritantes? 367

CAPUT V. — De mutatione Legis Humanæ.

Artic. I. — De Interpretatione Legis Humanæ 374
— II. — De Dispensatione Legis Humanæ 377
— III. — De Privilegiis seu Exemptionibus a Lege Humana 381
— IV. — De Consuetudine Legis Humanæ abrogatoria.
§ I. — Quid sit, et qualis esse debeat Consuetudo contra Legem? 385
§ II. — Quinam sint Effectus Consuetudinis? 389
Artic. V. — De Abrogatione Legis per voluntatem Superioris 392
— VI. — De Cessatione Legis ex defectu Finis 394

BAR-LE-DUC, IMPRIMERIE CONTANT-LAGUERRE.

208.9 8854
W 743 WIRCEBURGENSIS V
AUTHOR
Theologia De Beatitudine
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	O'Brien	
	Corcoran	
	STORAGE - CBPL	

8854